
37
29 A
11



DE

SACRAMENTIS NOVÆ LEGIS

DISSERTATIONUM THEOLOGICARUM

LIBRI OCTO

QUOS


IN UNIVERSITATE VIENNENSI

AUDITORIBUS SUIS EXPOSUIT

NICOLAUS MUSZKA, e. S. J.

SS. THEOLOGIÆ DOCTOR, EJUSDEMQUE PROFESSOR PUBLICUS, ET IN SACRA FACULTATE CÆSAREO-REGIUS EXAMINATOR JURATUS.


TOMULUS ALTER CONTINENS



L. IV. de SS. Euchariſtia.
L. V. de Pœnitentia.
L. VI. de Extrema Unctione.
L. VII. de Ordine.
L. VIII. de Matrimonio.







VIENNÆ AUSTRIÆ,

TYPIS JOANNIS THOMAE TRATTNER, CAES. REG. AULAE TYPOGR. ET BIBLIOP. 1755.

LIBER IV.

De SS. Euchariſtia.

In SS. hoc Myſterio ſumma Theologicæ diſceptationis capita ſunt: ipſa primum Euchariſtia ſecundum ſe generatim ſpectata, ratio dein in ea Sacramenti, tum & ratio Sacrificii. Complectemur hæc omnia Diſſertationibus quinque. I. erit de Euchariſtiæ generatim ſumptæ Natura & Inſtitutione. II. de Euchariſtiæ, ut ea ſpeciatim Sacramentum eſt, Natura, Effectibus, & neceſſitate. III. de Sacramenti Euchariſtiæ Miniſtro & Subjecto. IV. de Euchariſtia, ut Sacrificio. V. demum de Cæremoniis ad Euchariſtiæ Sacramentum, & Sacrificium pertinentibus. Ante Diſſertationes referemus argumenti hujus Canones ex Concil. Tridentino: præcipua item ex aliis Oecumenicis Conciliis Decreta: tum Propoſitiones damnatas.

CANONES CONCILII TRIDENTINI.

Ex Decreto Seſſionis XIII. de SS. Euchariſtiæ Sacramento.

I. SI quis negaverit in ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento contineri vere, realiter, & ſubſtantialiter, corpus & ſanguinem una cum anima, & divinitate Domini noſtri JESU Chriſti, ac proinde totum Chriſtum; ſed dixerit tantummodo eſſe in eo, ut in ſigno, vel figura, aut virtute; anathema ſit.

II. Si quis dixerit in Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis, & vini, una cum corpore & ſanguine Domini noſtri JESU Chriſti; negaveritque mirabilem illam, & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus duntaxat ſpeciebus panis & vini; quam quidem converſionem, Catholica Eccleſia aptiſſime Tranſubſtantiationem appellat; anathema ſit.

III. Si quis negaverit, in Venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub unaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cujusque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri; anathema ſit.

IV. Si quis dixerit, peracta conſecratione in admirabili Euchariſtiæ Sacramento non eſſe corpus & ſanguinem Domini N. J. Chriſti, ſed tantum in uſu, dum ſumitur, non autem ante, vel poſt: & in hoſtiis, ſeu particulis conſecratis, quæ poſt Communionem reſervantur, vel ſuperſunt, non remanere verum corpus Domini; anathema ſit.

V. Si quis dixerit, vel præcipuum fructum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ eſſe remiſſionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire; anathema ſit.

VI. Si quis dixerit, in ſancto Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum Unigenitum DEI filium non eſſe, cultu Latriæ, etiam externo, adorandum; atque ideo, nec feſtiva peculiari celebritate venerandum, neque in proceſſionibus ſecundum laudabilem, & univerſalem Eccleſiæ ſanctæ ritum, & conſuetudinem ſolenniter circumgeſtandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, & ejus Adoratores eſſe idololatràs; anathema ſit.

VII. Si quis dixerit, non licere ſacram Euchariſtiam in ſacrario reſervari, ſed ſtatim poſt Conſecrationem adſtantibus neceſſario diſtribuendam, aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur; anathema ſit.

VIII. Si quis dixerit, Chriſtum in Euchariſtia exhibitum, ſpiritualiter tantum manducari, & non etiam ſacramentaliter, ac realiter; anathema ſit.

IX. Si quis negaverit, omnes & ſingulos Chriſti fideles utriusque ſexus, cum ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis

ſingulis annis; ſaltem in Paſchate, ad communicandum, juxta præceptum ſanctæ Matris Eccleſiæ; anathema ſit.

X. Si quis dixerit, non licere Sacerdoti celebranti, ſeipſum communicare; anathema ſit.

XI. Si quis dixerit, ſolam fidem eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum; anathema ſit. Et, ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem & condemnationem ſumatur; ſtatuit, atque declarat ipſa ſancta Synodus, illis, quos conſcientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia confeſſoris, neceſſario præmittendam eſſe Confeſſionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeu etiam publice diſputando, defendere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat.

Ex Seſſione XXI. de Communione ſub utraque ſpecie, & parvulorum.

I. SI quis dixerit, ex DEI præcepto, vel neceſſitate ſalutis, omnes & ſingulos Chriſti fideles utramque ſpeciem ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ſumere debere; anathema ſit.

II. Si quis dixerit, ſanctam Eccleſiam Catholicam non juſtis cauſis, & rationibus adductam fuiſſe, ut Laicos, atque etiam Clericos non conficientes, ſub panis tantummodo ſpecie communicaret, aut in eo erraſſe, anathema ſit.

III. Si quis negaverit, totum, & integrum Chriſtum, omnium gratiarum fontem, & authorem ſub una panis ſpecie ſumi, quia, ut quidam falſo aſſerunt, non ſecundum ipſius Chriſti Inſtitutionem ſub utraque ſpecie ſumatur; anathema ſit.

IV. Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos diſcretionis pervenerint, neceſſariam eſſe Euchariſtiæ communionem, anathema ſit.

Ex Sessione XXII. de Sacrificio Missæ.

I. SI quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum, & proprium Sacrificium, aut quod offerri, non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari; anathema sit.

II. Si quis dixerit, illis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes: aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent corpus, & sanguinem suum; anathema sit.

III. Si quis dixerit, Missæ Sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium: vel soli prodesse sumenti: neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.

IV. Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto per Missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari; anathema sit.

V. Si quis dixerit, imposturam esse Missas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit; anathema sit.

VI. Si quis dixerit, Canonem Missæ errores continere, ideoque abrogandum esse; anathema sit.

VII. Si quis dixerit, cæremonias, vestes, & externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis; anathema sit.

VIII. Si quis dixerit, Missas, in quibus solus sacerdos Sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas; anathema sit.

IX. Si

IX. Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars canonis, & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse, aut lingua tantum vulgari, Missam celebrari debere, aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eò quod sit contra Christi institutionem; anathema sit.

DECRETA
ALIORUM CONCILIORUM.

Ex Nicæno I. An. 325. *Can.* 18. Pervenit ad sanctum Concilium, quod - - Presbyteris gratiam sacræ Communionis porrigant Diaconi, quod nec regula nec consuetudo tradidit, ut ab his, qui potestatem non habent offerendi, illi, qui offerunt, Christi corpus accipiant.

Ex Ephesino An. 431. *quod ex Cyrilli Alexandrini Epistola ad Nestorium data, hæc verba (ut legitur in ejus par.* 1.) *recitat, & approbat.* Confitemur incruentum in Ecclesia sacrificium nos celebrare, atque ad mysticas eulogias, seu benedictiones accedere, & sanctificari; utpote participes sacræ carnis, & pretiosi sanguinis Christi. *Ex illis deinde Joan.* 6. Nisi manducaveritis &c. *probat carnem illam esse propriam ac veram Christi carnem.*

Nicænum II. An. 787. *Act.* 6. *referente Epiphanio Diacono:* Nullus, *inquit*, aliquando - - Apostolorum, aut illustrium Patrum nostrorum incruentum sacrificium nostrum, quod in commemorationem Christi DEI nostri - - efficitur, dixit imaginem corporis ejus. Neque enim acceperunt à Domino sic dicere & confiteri; sed audiant evangelice dicentem eum, *nisi manducaveritis &c.* & non dixit: accipite & comedite imaginem corporis mei.

Ex Lateranensi IV. An. 1215. *Can.* 1. *relato Cap. firmiter de sum. Trin.* Una est fidelium Ecclesia, - - in qua idem ipse

Sacerdos eſt ſacrificium JESUS Chriſtus: cujus Corpus & ſanguis - - ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continentur, tranſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem poteſtate divina &c.

Idem Concilium ibid. Hoc Sacramentum, *inquit*, nemo poteſt conficere, niſi ſacerdos, qui rite fuerit ordinatus.

Conſtantienſe An. 1415. *ſeſſ.* 13. *contra Ioannem Hus approbans Laicorum ſub ſola panis ſpecie communionem, ita definit:* Cum hujusmodi conſuetudo ab Eccleſia & SS. Patribus rationabiliter introducta, & diutisſime obſervata ſit, habenda eſt pro lege, quam non licet reprobare, aut ſine Eccleſiæ authoritate pro libito mutare. *Addit dein non multo poſt*, totum & integrum Chriſtum ſub una tantum ſpecie contineri &c.

Idem Seſſ. ead. Sacrorum Canonum authoritas laudabilis, & approbata conſuetudo Eccleſiæ ſervavit, & ſervat, quod hujusmodi Sacramentum non debet confici poſt cœnam, neque a fidelibus recipi, non jejunis, niſi in caſu infirmitatis, aut alterius neceſſitatis &c.

Florentinum An. 1439. *in Decreto Eugenii pro Armenis de Euchariſtia agens*, Forma hujus Sacramenti, *inquit*, ſunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum. Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens, hoc conficit Sacramentum: nam ipſorum verborum virtute, ſubſtantia panis in corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in Sanguinem convertuntur.

Idem in eod. Decret. materiam Euchariſtiæ neceſſariam aſſignans, ait, eam eſſe panem triticeum, & vinum de vite. *Et infra:* definimus, *inquit*, in azymo, ſive fermentato pane triticeo corpus Chriſti veraciter confici; ſacerdotesque in alterutro ipſum Domini corpus conficere debere, unumquemque ſcilicet, juxta ſuæ Eccleſiæ Occidentalis, ſive Orientalis conſuetu-

ſuetudinem. *Item:* Armeni ſe cum univerſo Orbe Chriſtiano conforment, eorumque ſacerdotes in Calicis oblatione paululum aquæ admiſceant vino.

PROPOSITIONES DAMNATÆ.

De Sacramento Euchariſtiæ.

Ab Innocentio XI. *Prop.* LV. Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.

LVI. Frequens Confeſſio & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis.

Ab Alexandro VIII. *Prop.* XXIII. Arcendi ſunt à ſacrà Communione, quibus nondum ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers.

De Sacrificio Miſſæ.

Ab Alexandro VII. *Prop.* VIII. Duplicatum ſtipendium poteſt ſacerdos pro eadem Miſſa licite accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Urbani Octavi.

IX. Poſt Decretum Urbani poteſt ſacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minore ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.

X. Non eſt contra juſtitiam pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere, & Sacrificium unum offerre. Neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam, promiſſione etiam juramento firmata, danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram.

DISSER-

DISSERTATIO I.

DE SS. EUCHARISTIÆ IN GENERE NATURA ET INSTITUTIONE.

§. I.

Quid Eucharistiæ nomine veniat?

Peculiaris ea est Eucharistiæ prærogativa, quod non modo gratiam (quod omnibus Sacramentis commune est) conferat: verum etiam ipsum, omnis gratiæ auctorem Christum contineat; inde, Sacramentum hoc, esse dignitate primum, & reliquis excellentius, dubitari nequit. Ejusdem veritas adeo certa est, ut ne Novatores quidem, tametsi Divinissimorum Mysteriorum hostes acerrimi, e numero Sacramentorum Eucharistiam expungere ausi fuerint. Id vero lugendum! quod hanc ipsam doctrinam multis adeo & gravibus erroribus subinde corruperint, ut in tuenda illa, nomine dumtaxat, non re ipsa cum Orthodoxis consentiant. Errores hos per decursum Libri indicabimus, ac etiam refellemus, opposita simul Ecclesiæ Catholicæ dogmata affirmaturi. Nunc præliminarium instar, referre juverit, primum quidem Figuras, quibus longe ante præsignificatum fuit hoc Mysterium; deinde Nomina ac Elogia, eidem a Patribus attributa; tum definitionem apud Orthodoxos receptam.

Figuræ & Symbola Eucharistæ.

1. I. Vetus Testamentum evolventi occurrent complura, quibus ex mente Patrum voluit Deus figurari Eucharistiam. Hujusmodi sunt: lignum Vitæ in Paradiso plantatum; oblatio panis & vini a Melchisedech facta; panes propositionis, panes item

item primitiarum, & panis subcinericius, in cujus fortitudine Elias ambulavit usque ad montem Dei Horeb: Manna Hebræis in deserto datum. In his certe singulis, si eorum originem & finem, ac effectum attendas, typum Eucharistiæ reperies; quæ ipsa est opinio Irenæi, Tertulliani, Hieronymi, Ambrosii, Cyrilli Hieros. &c. Interim

II. Principe inter Eucharistiæ Figuras loco ponendus videtur Agnus Paschalis, ut D. Thom. 3. p. qu. 73. Art. 6. in ⊙ notat, ac jam antea, post Hieronymum & Chrysostomum, docuit Augustinus L. 2. contra lit. Petil. C. 37. Nempe in ritu Agni Paschalis cumprimis observanda veniunt: Agnus ipse, qui non modo immolabatur, sed & manducabatur; panis item azymus, cum quo manducandus erat Agnus; hujus dein sanguis, per quem Hebræi a plaga Ægyptiaca liberati sunt. Quæ omnia quidni typum exhibeant Eucharistiæ? cum in ea sub speciebus panis proponatur in cibum Christus, verus Dei Agnus, ita pro nobis occisus, ut sanguinis ejus pretio a dæmonis servitute, quam per peccatum incurreramus, redimeremur. 2

Prætereo Figuras cæteras; vel ex his autem non obscure colligas excellentiam Sacramenti, ut quod, priusquam constitueretur, totidem velut prænunciis symbolis & argumentis longe jam ante adumbrari ac annunciari Mundo Deus voluerit, quo eum ad tam sublimis Mysterii fidem & reverentiam sensim compararet.

Varia ejusdem Mysterii Nomina.

I. Commune, tam apud veteres, quam apud nos Sacramenti hujus nomen est *Eucharistia*, a græco videlicet verbo εὐχαριστεῖν, quod idem est, ac *gratias agere;* hinc græca vox εὐχαριστία, latine reddi potest *bona gratia*, vel *gratiarum actio.* Appellationis autem huius causa est, quod Sacramentum hoc gratiarum omnium fontem & auctorem Christum contineat: 3

quodque in nobis memoriam cumprimis excitet divinorum beneficiorum: nec denique illo quidquam Deo acceptius ſit ad gratias pro beneficiis referendas. *Propterea*, inquit Chryſoſtomus Hom. 25. in Matth. *tremenda ac ſalutaria illa Myſteria - - Euchariſtia vocantur, quia multorum beneficiorum ſunt recordatio, ipſumque caput divinæ erga nos providentiæ oſtendunt, noſque præparant, ut in omnibus gratias agamus.*

4 II. Quod vero ad alia ejusdem Sacramenti nomina attinet, plurima, eaque illuſtria omnia paſſim occurrunt apud Patres; qui nominibus variis, ceu totidem elogiis, Myſterium hoc exornantes, abunde indicarunt, quo loco illud haberent, quidque de natura ejus ac efficacia ſentirent. Hujusmodi nomina ſunt: *Sacramentum corporis ac ſanguinis Chriſti*, *Sacramentum Altaris*, *Menſa Domini*, *Panis Cœleſtis & Angelorum*, *Alimonia immortalitatis*, *Æternæ Vitæ cibus & portio*, *Amor amorum*, *Sanctum Sanctorum*, *Holocauſtum ſalutis*, *Agapa*, *Eulogia*, *ſynaxis*, *Cœna*. Ac horum quidem, & his ſimilium partem magnam nominum ſignificatio clarior eſt, quam ut minutim explanari debeat; de poſtremis quatuor proinde dumtaxat pauca notabimus. Ac

1mo quidem Sacramentum hoc dicebatur *Agapa*, græce ἀγάπη, ſeu *dilectio* propterea, quod præcipuum ſit tam Dei in nos dilectionis argumentum, quam mutuæ inter fideles charitatis ſymbolum & vinculum. Iſthic interim & illud obſervandum: nomine hoc deſignata fuiſſe olim ea etiam Convivia, quæ primis ſeculis ad fovendam dilectionem fraternam, ac reficiendos pauperes in Eccleſia inſtruebantur, & cum ipſa celebratione Euchariſtiæ conjungebantur. Meminit eorum Apoſtolus 1. Cor. 11. ubi ſimul quorumdam abuſus carpit, propter quos ſubinde abrogata ſunt, ut legitur Can. 28. Concilii Laodic.

2do dicebatur Eulogia a græco εὐλογεῖν, quod eſt *benedicere*, hinc εὐλογία, idem ac *benedictio*, quo ipſo ſenſu Apoſt.

1. Cor.

1. Cor. 10. loquitur: *calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* Ut plurimum attamen veteres nomen hoc uſurpabant ad ſignificandas eas Euchariſtiæ partes, quæ in ſignum mutuæ communionis ac charitatis ad abſentes Presbyteros per Parochias mitti ſolebant; cujus moris mentionem facit Innocentius I. Ep. ad Decent. & Concil. Laodic. a quo ritus ille Can. 14. abrogatus eſt. Quin hoc eodem nomine compellabantur etiam illæ partes panis ex oblatione fidelium ſuperſtites, quas ſacerdos ſub divinis officiis benedicebat, ac ſubinde ad abſentes in ſignum Communionis mittebat, aut etiam porrigebat præſentibus iis, qui ex cauſa aliqua Euchariſtiæ participes eſſe non poterant, ut habetur apud Dionyſium Areop. in Hier. Eccl. C. 3. item in Concil. Laodic. Can. 49. Morem hunc Græci etiamnum ex parte retinent, paneſque hujusmodi non tantum *Eulogias*, ſed & *Antidora* vocant propterea, quod dentur loco doni, ſeu Euchariſtiæ, quam ipſam dicunt τὰ ἅγια δῶρα hoc eſt, *ſancta dona.*

3tio quod græcis σύναξις, hoc nobis eſt *Congregatio*, ſeu *Collectio;* inde Latini Euchariſtiam modo *Synaxim*, modo *Collectam* dicimus: cujus nominis ratio inde repetenda eſt, quod ad Myſterii hujus celebrationem ex veteri inſtituto fideles in unum convenire ſoleant, imo & participatione ejus in unum veluti corpus myſticum colligentur, juxta illud Pauli 1. Cor. 10. *unum corpus multi ſumus, omnes, qui de uno pane participamus.*

4to denique *Cœnæ* nomen ipſe Apoſtolus 1. Cor. 11. Euchariſtiæ attribuit, *convenientibus in unum*, inquiens, *jam non eſt Dominicam Cœnam manducare &c.* quod idem exemplo illius (contra, quam putent cum Maldonato nonnulli) fecerunt Patres, ac nominatim Tertullianus, Gregorius Nyſſen. Chryſoſtomus, Hieronymus, & Auguſtinus tam C. 2. de Sermone Domini, quam Ep. 54. alias 118. Hanc in rem facit teſtimonium Catechiſmi Rom. Part. 2. de Euch. ubi N. 5. ita habet:

vetustissimi Patres, auctoritatem Apostoli secuti, Cœnæ etiam nomine sacram Eucharistiam vocarunt, quod in illo novissimæ Cœnæ salutari mysterio a Christo Domino sit instituta ; quibus verbis & opinio Maldonati infirmatur, & redditur ratio hujus appellationis. Fateor equidem Novatores hoc nomine abuti, cum ex eo inferunt: Eucharistiam celebrari non posse, nisi in congregatione plurium, eamdem etiam a non jejunis licite sumi &c. at error eorum obesse non debet, quo minus *Cœnæ* nomen ad Eucharistiam designandam Orthodoxi adhibeant. Quod illis abusus, nobis sit usus; neque in hoc Novatores, sed Sacras Literas & Patres sequimur.

Definitio Eucharistiæ.

Eucharistia est Corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini Sacramentum, ad spiritualem animarum alimoniam & refectionem a Christo institutum.

5 EUcharistiæ igitur nomine Orthodoxi intelligimus *Sacramentum*, seu rem quamdam sensibus subjectam, quæ habetur *per species panis & vini* sensibiles, neque has quaslibet, sed eas dumtaxat, sub quibus continetur *corpus & sanguis Christi*, quod ipsum est illud grande in Eucharistia mysterium. Idem deinde dicimus *a Christo institutum ad spiritualem alimoniam ;* quibus verbis significatur & institutio Sacramento propria, & effectus ex Christi institutione soli Eucharistiæ conveniens, ea videlicet sanctificans gratia, qua in Sacramento hoc spiritualiter reficimur, nutrimur, & roboramur.

Sed nempe hæc uberiorem dabunt deinceps differendi materiam ; nunc indicasse sit satis : definitione hac prorsus ad mentem Ecclesiæ naturam Eucharistiæ exponi, ut patet ex doctrina, quam Concil. Trident. Sess. 13 de Sacram. Euch. tradit. Profitetur autem illud hic Cap. 1. Eucharistiæ Sacramento

mento

mento *post panis & vini consecrationem Dominum nostrum JESUM Christum, verum Deum, atque hominem, vere realiter ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri ;* & Cap. 3. *semper hæc fides*, inquit, *in Ecclesia Dei fuit, statim post Consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis & vini specie una cum ipsius anima & divinitate existere ;* ac jam antea Cap. 2. dixerat, *Christum Sacramentum hoc instituisse*, voluisseque illud sumi *tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vita illius, qui dixit: qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Confer cum his relatæ definitionis verba, & ad sensum Tridentini exactam reperies.

§. II.

An, & quando Eucharistiam Christus instituerit?

Eucharistiæ naturam explanare præcipuus est labor, quem Dissertatio hæc spectat ; ne quid attamen eorum etiam, quæ ad affirmandam tanti Mysterii existentiam faciunt, desideres, libet ante omnia statuere de ejus Auctore, & ipso institutionis tempore. Est nempe quæstionis, quæ hic] fieri potest, caput geminum : primum quidem, num per se ipsum Christus Eucharistiam instituerit ? deinde, num istud præstiterit post Agnum Paschalem ex Mosaicæ Legis præscripto Luna 14. Mensis Nisan manducatum ? De primo non erit, quod multis disceptemus, omnibus in unam sententiam facile conspirantibus; alterum contra litem continet implexam, ac jam diu inter Eruditos magna contentione agitatam, vel ideo autem accuratius pertractandam Theologo, ut Græcis quibusdam pro fermento suo pertinacius pugnantibus possit occurrere. Argumentum controversiæ ut expeditius fiat, prævie notanda

erunt quædam de Paſchate Moſaico: recenſendæ item de Agno Paſchali a Chriſto ante mortem manducato DD. opiniones: Aſſertionibus dein duabus noſtram proferemus ſententiam.

Animadverſiones de Paſchate Moſaico.

6 I. Paſchatis nomine venit ſolemnis illa Cærimonia, quam jubente Deo Moyſes Exod. 12. præſcripſit Hebræis, ut agnum videlicet certo ritu immolarent & manducarent, idque in memoriam noctis illius, qua exterminator Angelus *tranſivit ſuper domos filiorum Iſrael in Ægypto, percutiens Ægyptios, & domos* Iſraelitarum *liberans*; hinc *Paſcha*, ſeu *Phaſe*, idem eſt, ac Solemnitas *tranſitus*. Hæc eadem porro Paſchæ ſolemnitas conjuncta fuit cum ſolemnitate *azymorum*; agnus enim paſchalis manducandus erat cum pane azymo, quo ejus, utpote inſipidi, eſu admonerentur Hebræi perpeſſarum in Ægypto calamitatum, ac *meminiſſent diei egreſſionis ſuæ de Ægypto* Deut. 16. Neque hæc dein Iſraelitarum poſteris arbitraria erant; ab omnibus omnino legem Paſchatis & Azymorum obſervandam fuiſſe docemur ex S. Literis, Exod. 12. v. 14. ita præcipiente Domino: *habebitis hanc diem in monumentum, & celebrabitis eam ſolemnem Domino in generationibus veſtris cultu ſempiterno - - - cuſtodi verbum iſtud legitimum tibi, & filiis tuis usque in æternum.*

7 II. Ad tempus Paſchatis quod attinet, celebrandum erat primo Verni temporis menſe, Hebræis *Niſan* dicto, ac noſtro partim Martio, partim Aprili reſpondente, a quo Sacrum annum auſpicabantur, ipſius Menſis initium ducentes a Novilunio, ita ut idem iis eſſet prima Luna, ac primus dies menſis: ſecunda Luna, ſecundus dies &c. Hujus igitur Menſis Luna 14. ad veſperam manducandum erat Paſcha, ſeu Agnus Paſchalis cum pane azymo; quin & præceptum fuit, ut ab hac

hac vespera per dies septem continuos, seu usque ad vesperam diei 21. ejusdem mensis, omnes vescerentur panibus azymis, nec fermenti quidquam apud eos intra hoc tempus reperiretur. Accipe hæc omnia Scripturæ verbis: *Mensis iste* (Nisan) *primus erit in mensibus Anni, - - decima die mensis tollat unusquisque agnum - - & servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus; immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam, - - & edent carnes nocte illa assas igni & azymos panes &c.* Exod. 12. a V. 2. Et rursum Deuter. 16. *Observa mensem novarum frugum & verni primum temporis, ut facias Phase Domino Deo tuo, quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte, - - non comedes in eo panem fermentatum; septem diebus comedes absque fermento afflictionis panem, quoniam in pavore egressus es de Ægypto, - - non apparebit fermentum in omnibus terminis tuis septem diebus &c.*

III. Quamvis Paschatis & Azymorum tempus Luna 14. 8
ad vesperam incœperit, ac dein continuis septem diebus perduraverit, horum attamen solemnis ac festivus dies non erat nisi primus, qui videlicet Lunæ 14. vesperam sequebatur, hoc est Luna 15. ac dein ultimus, seu Luna 21. quo utroque die vetita erant opera servilia. En! iterum scripturæ verba: *septem diebus azyma comedetis, - - Dies prima erit sancta atque solemnis, & dies septima eadem festivitate venerabilis; nihil operis* (intellige *servilis* juxta Lev. Cap. 23. V. 28.) *facietis in eis, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent.* Observandum vero isthic: universim Judæis, quamvis Dei mandato Lev. 23. V. 32. dies festos celebrarent a vespera diei præcedentis ad vesperam alterius, atque ita prima etiam vespera ad Festum pertineret, diem tamen Solemnem illis eum dumtaxat fuisse, qui hanc vesperam proxime sequebatur. Ita nominatim, tametsi in vespera diei 14. Paschatis & Azymorum initium

tium fieret, ſolum nihilominus dies ſequens pro ſolemni habebatur, ut legere eſt Num. 28. V. 16. *menſe primo* 14. *die menſis Phaſe Domini erit*, & 15. *die ſolemnitas*; item Levit. 23. V. 6. *quinta decima die menſis hujus ſolemnitas azymorum Domini eſt*.

Opiniones de Paſchate a Chriſto pridie mortis celebrato.

9 I. Etſi communis ac certa ſit ſententia, pridie mortis Chriſtum legale Paſcha manducaſſe; non deſunt attamen, qui iſtud in dubium revocent, aut etiam negent, e veteribus quidem (ut quidam putant) Hyppolitus Portuenſis, Clemens Alexandrinus, Philoponus, Cedrenus &c. e Recentioribus autem, præter quosdam Græcos, item Antonium de Dominis & Hugonem Grotium, Toinardus, Tourneminus, & cumprimis Lamius Orat. Presb. in Concordia quatuor Evangg. & rurſum in Tract. de Paſchate Judæorum. Horum igitur opinione Chriſtus anno vitæ ſuæ ultimo legale Paſcha non celebravit propterea, quod anno hoc Paſchatis tempus, ſeu Luna 14. inciderit in diem Veneris, qua ipſa ante veſperam mortem oppetiit. Neque obeſſe ajunt, quod Matth. 26. & Marci 14. Apoſtoli prima die azymorum ex Chriſto quæſierint, ubi vellet ſibi parari Paſcha? quodque Chriſtus cum illis ſero jam facto cænaſſe legatur; exiſtimant nempe his Scripturæ locis per primam diem azymorum intelligi primam veſperam Lunæ 14. ſeu diei Jovis veſperam, qua fermentum nondum abjectum fuit, nec legale Paſcha manducari potuit. Inde juxta laudatos AA. *1mo*, Apoſtoli pararunt Paſcha, non hac ipſa prima veſpera Lunæ 14. ſeu die Jovis, ſed altera dumtaxat, ſeu veſpera diei Veneris a Chriſto manducandum, qua tamen deinde, morte præventus, illud non manducavit; *2do* Cœna illa, quæ Chriſto cum Apoſtolis fuit ultima, non erat Paſchalis, verum communis tantum & ordinaria, in qua fermentato adhuc

huc pane uti licuit; ex quo ultro sequitur *3tio*, cum Christus in hac ultima Cœna Apostolis Eucharistiam porrexerit, eam fuisse ab illo, non in azymo, sed fermentato pane consecratam.

II. Opinio altera, quam Nicephorus L. 1. Hist. C. 28. tra- 10
dit, & e Græcis Schismaticis tuentur plurimi, admittit quidem Christum legale Pascha celebrasse: at non legali tempore. Cum enim (ut isti rursum contendunt) anno mortis Christi legale tempus Paschatis & Azymorum, seu Luna 14. in diem Veneris inciderit, hocque die cruci se affigendum Christus præviderit, legale hoc tempus antevertit, agnumque Paschalem cum azymis pridie mortis, hoc est Luna 13. ad vesperam diei Jovis manducavit. Addunt vero isthic Patroni hujus opinionis: Christum post Pascha ex ritu legis cum pane azymo celebratum, cœnæ alteri vulgari accubuisse, atque in hac in pane fermentato, quo adhuc tum vesci licebat, Eucharistiam instituisse.

III. Recepta demum communiter sententia est, Christum 11
eo etiam, quo mortuus est, anno Paschalem agnum manducasse legali tempore, vespera videlicet illa, qua jam cœpit Pascha & usus azymorum, vetitumque erat fermentum. Quæ quidem opinio si obtineat, non erit jam dubio locus de Eucharistia, tempore hujus Cœnæ ultimæ, in pane azymo a Christo consecrata. At, quod hic rursum partes! quam diversa in tuendo opinionis hujus Systemate Cll. Virorum studia! Rem ut perstringam paucis;

Rupertus Abbas Tuitiensis cum quibusdam putat, eo anno, quo Christus mortuus est, die Jovis fuisse Lunam 14. mensis Nisan, hacque ipsa die ad vesperam tam Christum, quam Judæos Pascha manducasse; Solemnitatem attamen Paschatis & Azymorum non fuisse celebratam Luna 15. sequente, seu die Veneris: verum dilatam esse in Sabbatum, hoc est Lunam 16.

ut adeo dies Veneris, qua Christus in crucem actus est, non fuerit festiva, sed profana. Opinionis porro hujus fundamentum Rupertus repetit ex quadam Judæorum traditione, qua (ut contendit ille) vetabantur duos continuos dies festos celebrare; quod si igitur Festum Azymorum in diem Veneris incidit, necesse habebant illud differre in Sabbatum, quin tamen Agni Paschalis manducationem differrent. Accedit ex parte ad hanc opinionem & Petrus Burgensis, eo tamen cum discrimine: quod hoc casu Judæos non Paschatis tantum solemnitatem, sed & Agni Paschalis esum distulisse existimet; ex quo deducit, Christum mortis suæ anno Agnum Paschalem manducasse ex Legis præscripto ad vesperam Lunæ 14. quæ incidit in diem Jovis: Judæos vero, propter memoratam traditionem, non nisi Luna 15. seu die Veneris ad vesperam, ita ut sequens Sabbatum ipsis esset dupplici nomine dies solemnis. Addendus his Cl. Petavius, qui L. 12. de Doctr. Temp. C. 16. contendit, Christum cum paucis quibusdam Judæis Pascha celebrasse die legitima, hoc est Luna 14. quæ erat dies Jovis; plerosque autem alios istud anno mortis Christi præstitisse primum Luna 15. seu feria sexta; idque non ob Majorum traditionem, aut honestam quamvis causam aliam, verum (in quo a Burgensi differt Petavius) ex superstitioso quodam ritu, quem corrupti Pharisæorum mores invexerant.

Diversam ab his isthic viam ineunt Aloysius Legionensis & Harduinus. Prior quidem in Op. de Agni immolat. docet, Christum cum omnibus Judæis Pascha celebrasse prima vespera Lunæ 14. hoc est die naturali 13. post solis occasum, quo tempore (ut illi videtur) legale Pascha manducandum erat. Contra Harduinus in Op. de ult. Christi Pasch. postquam fundamenti instar præmittit, Judæos, qui Galilæam incolebant, mensem Nisan non numerasse ab eadem die cum Judæis aliis, demum deducit 1*mo*, Anno mortis Christi, quo media Lunæ con-

conjunctio cum sole incidit in 6. feriam, Galilæos ab hac 6. feria numerasse mensem primum, Judæos vero cæteros a Sabbato; ut adeo eo anno Luna 14. & 15. pro Galilæis fuerit feria quinta & sexta: pro Judæis autem aliis feria sexta & Sabbatum; ex quo Cl. Auctor deducit *2do*, Christum, ut qui Galilæus erat, ante mortem Pascha celebrasse feria quinta, seu Luna 14. Galilæorum: cæteros vero Judæos feria sexta, pariter nempe Luna 14. ipsis propria: proinde tam Christum, quam Judæos legale Paschatis tempus observasse.

Sententia demum, quam cum Vasquezio, Bellarmino, Tournelyo, & Simonneto plurimi Doctores sequuntur, tradit: Christum, perinde ac cæteros Judæos omnes, anno hoc Agnum Paschalem comedisse die Jovis post solis occasum, qui erat Lunæ 14. secunda vespera: die vero sequente Veneris, seu Luna 15. fuisse Festum solemne Paschatis & Azymorum, quo Christus a Judæis in crucem actus est.

IV. En opinionum in proposita controversia varietatem! 12
Id vero conatu hoc tam vario spectarunt Viri Clarissimi, ut scripturæ loca, ac nominatim Joannem cum reliquis Evangelistis, a quibus in præsenti argumento diffidere videtur, ratione conciliarent multiplici, evincerentque demum, Christum pridie mortis legale Pascha manducasse. Fatendum interim simul: ad tantam de supremo Christi Paschate opinandi varietatem plurimum contulisse mirum pugnantia Rabinorum testimonia, & discordes Astronomorum ac Chronologorum de Mortis Christi Anno, ejusque Noviluniis & pleniluniis calculos: quibus omnino judicibus siquis denique stare velit, lis, de qua hic agitur, finem habitura est nunquam. Inde, Cl. Honorati a S. Maria, contra Lamii opinionem peculiari Differt. disputantis monitum secuti, vario ac incerto Astronomorum & Chronologorum tribunali caute nos subducimus: quodque Theologo (ni fallor) satis fuerit, controversiam hanc non proferemus ul-

tra, quam ex ea necesse sit præsidium adversum Græcos petere, quo videlicet iis subinde Differt. II. §. II. ostendi possit, Christum in pane azymo consecrasse; quæ ipsa (ne in incertum feramur) ad scripturæ duntaxat & Traditionis regulam exigere constitutum habemus. In hæc jam intentis, sit

ASSERTIO I.

Christus per se ipsum ac immediate Eucharistiam instituit: & quidem post legalem Agnum Paschalem, hoc est juxta ritum legis Mosaicæ, pridie mortis manducatum.

13 Prima Assertionis pars a nemine controvertitur: adeo clara sunt Evangelii testimonia Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. Quid enim illa, ac his similia: *accepit JESUS panem - & ait: accipite & comedite: hoc est corpus meum.* Item: *accipiens calicem - - dedit illis dicens*: *bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus &c.* Ac denique: *hoc facite in meam commemorationem.* Quid inquam hæc sunt? nisi ipsa Christi Eucharistiam per se ipsum instituentis verba; neque omnino ullum ex S. Literis locum protuleris, quo Apostolis aut Ecclesiæ concessa legatur potestas Mysterii hujus instituendi. Recole demum, si libet, etiam ea, quibus L. I. de sacr. in Gen. Differt. II. §. III. probavimus, universim Sacramentorum omnium institutionem ad ipsum immediate Christum esse referendam.

14 Secunda Assertionis pars etiam certa est ex S. Literis. Legantur ex Matthæo, Marco, & Luca paulo ante laudata loca; *primo die azymorum* (inquiunt Evangelistæ) *quando Pascha immolabant, dicunt ei* (Christo) *Discipuli: quo vis eamus & paremus tibi ut manduces Pascha?* misit deinde duos ad quemdam, cui dicerent: *tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum Discipulis meis. Fecerunt Discipuli sicut constituit illis JESUS, & paraverunt Pascha. Vespere autem facto discubuit,* &

& duodecim Apoſtoli cum eo, & ait illis: deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar. His ſubjiciunt Evangeliſtæ jam ſupra recitata inſtitutionis Euchariſtiæ verba; ac ſubinde narrant, eodem veſpere poſt finitam Cœnam Chriſtum fuiſſe comprehenſum: altero autem die, qui erat Paraſceve, & dies Feſtus, cruci affixum.

Hæc jam ſi attendas, claro utique Evangeliſtarum teſtimonio confectum habes: Chriſtum pridie mortis ad veſperam cum Diſcipulis manducaſſe Páſcha, atque in hac Cœna Euchariſtiæ Myſterium conſtituiſſe. Quod igitur iſthic ad controverſiam reliquum eſt; num Paſcha hoc (quæres) legale fuerit? ſeu illud ipſum, quod ex ritu Legis Moſaicæ Judæis celebrandum erat? Tale autem omnino fuiſſe, eorundem rurſus Evangeliſtarum verba evincunt. Nempe (ut teſtantur illi) Chriſtus pridie mortis illud manducavit Paſcha, quod primo die azymorum Judæi immolabant, quodque tum neceſſe erat occidi: illud, de quo, ubi parandum eſſet, Diſcipuli ex Chriſto quæſierunt; de quo nomine Chriſti interpellarunt Patremfamilias quemdam, apud quem etiam illud paraverunt; de quo ipſo denique Chriſtus dixit, deſiderio deſideraſſe ſe manducare hoc Paſcha. Quod jam vero hoc niſi legale Paſcha fuerit? ſane non aliud primo azymorum die immolabatur: hoc unum noverant Apoſtoli, uti & ille, ad quem miſſi ſunt parare Paſcha.

Utramque demum ſimul Aſſertionis partem confirmat 15
Traditionis authoritas. Hanc quippe ipſam doctrinam, poſt Tertullianum & Origenem, tuiti ſunt PP. plurimi, ac nominatim Epiphanius Hær. 70. Cyrillus Hieroſ. Catech. 13. Chryſoſtom. Hom. 81. & 86. in Matth. Auguſtinus Tract. 10. in Joan. nihil ut dicam de Quartadecimanis omnibus, & aliorum Veterum ſenſis. Senſus certe in hanc rem Eccleſiæ in comperto eſt, ut quæ Feſto Corporis Domini ita canit: *noctis recolitur Cœna noviſſima, qua Chriſtus creditur agnum & azyma de-*

dedisse fratribus, juxta legitima priscis indulta Patribus; & paulo post: *post agnum typicum, Corpus Dominicum datum Discipulis.* Idem certius constat ex Concilio Trident. quod Sess. 22. Cap. 1. ait: *celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit* (Christus) *Pascha, se ipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum &c.* Factum vero istud a Christo pridie mortis eod. Cap. Synodus jam supra declaravit illis verbis: *in cœna novissima, qua nocte tradebatur, - - - Corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit &c.* Ad hæc eadem denique comprobanda multum momenti adferet, quæ sequitur.

ASSERTIO II.

Pascha, in quo Christus pridie mortis Eucharistiam instituit, uno eodemque cum omnibus Judæis tempore celebravit.

16 PRobatur I. ex Evangelio. Tria autem ad id ex eo supra cit. testimonia suffecerint: *prima autem die azymorum* (inquit Matthæus) *accesserunt Discipuli ad JESUM dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Marcus autem, *primo die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei Discipuli: quo vis eamus & paremus tibi, ut manduces Pascha?* Lucas demum, *venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha &c.*

Ex his jam quidni ita invicte arguas: Evangelistarum testimonio Christus Pascha manducavit *primo azymorum die, quando Pascha immolabant* (utique Judæi) cumque *necesse erat occidi Pascha;* eo igitur die, qui a Lege constitutus erat: dicendum ergo, aut Judæos hoc anno diem Paschatis legalem non observasse, aut certe una eademque die cum Christo Pascha celebrasse; at primi fundamentum certum nullum est, ut a

N. 21.

N. 21. patebit: alterum igitur, ceu Evangelio conformius, admitti debet.

Probatur II. ex obſervantia, quam non modo Chriſtus, ſed & Judæi præſtabant univerſim Legi Moſaicæ. Et Chriſtum quidem ejus prorſus obſervantem fuiſſe, quis addubitet? quando ipſe de ſe Matth. 5. teſtatur: *nolite putare, quoniam veni ſolvere Legem aut Prophetas; non veni ſolvere, ſed adimplere &c.* id quod jure potiori utique intelligendum de Lege Paſchatis, cujus ritus inter legalia fuit celeberrimus. Ac ſane, ſi quid in hanc Legem admiſiſſet Chriſtus, id ei indubie a Judæis exprobrandum erat; cum igitur de hoc coram tribunali nullo ſit poſtulatus, plane cenſendum eſt, eum non modo ritum Paſchatis legalem, ſed & tempus a lege præſtitutum obſervaſſe. Idem porro in præſenti de Judæis etiam merito cenſueris: præterquam quod enim univerſim moris Moſaici fuerint retinentiſſimi, Paſcha ab iis die eadem legali ſemper fuiſſe celebratum nominatim docemur Exodi 12. Numer. 9. Joſue 5. L. 2. Paralip. C. 30. & 35. L. 1. Eſdræ C. 6. Quin idem ab illis etiam Chriſti ætate præſtitum teſtantur Evangeliſtæ in locis ſupra laudatis, ac etiam accurati rerum Judaicarum ſcriptores, Joſephus de Bel. Jud. L. 7. C. 17. & Philo Judæus L. 3. de Vita Moyſi. 17

Quorſum vero (inquies) iſta? eo, ut rurſus ita arguam: tam Chriſtus quam Judæi die a lege præſcripta Agnum Paſchalem manducarunt; hæc igitur cum una dumtaxat per legem deſignata fuerit, ut patet ex N. 7. uno eodemque die Chriſtus cum Judæis Paſchatis officio eſt defunctus. Illationis hujus robur inconcuſſum manet, dum Adverſarius evincat: aut Chriſtum antevertiſſe tempus Paſchatis, aut Judæos diſtuliſſe, quorum quidem neutrum certo argumento confecerit. Etenim (quod ad primum attinet) antevertere tempus Paſchatis nuſpiam in divinis Literis lege conceſſum reperies; quamvis autem certis ex cauſis differri aliquando potuit, ut conſtat ex Num.

Num. 9. V. 10. item ex L. 2. Paral. C. 30. V. 2. & seqq. nunquam tamen nisi in mensem alterum; at Judæis anno mortis Christi nec causa legalis ulla fuit differendi Pascha: nec ullo scripturæ testimonio docemur illud ab iis mense alterò celebratum; ergo &c. Sane quod isthic pro dilatione aut anticipatione Paschatis pars adversa adferre solet, leves admodum sunt conjecturæ; rejiciendæ proinde omnino, dum gravioribus affirmentur momentis.

Respondetur ad Objecta
contra partem *2dam* Assertionis I.

18 PUgnatur autem ante omnia Patrum ac Scriptorum veterum auctoritate. Nempe (ut refertur in Chronico Petri Alexandrini, quod Signonius *Fastos Siculos*, Du Cange autem *Chronicon Paschale* appellat) Petrus Alexandr. Hypolitus Portuen. Apollinaris Hierapol. & Clemens Alexandrinus negant Christum anno passionis suæ Pascha Judaicum celebrasse: hancque ipsam subinde opinionem amplexus est S. Joannes Damasc. in Op. de panibus azymis; ergo &c.

Resp. I. laudati Chronici auctorem prorsus incertum esse; passim autem certe illud ab Eruditis abjudicatur Petro Alexandrino; inde incerta pariter ac dubiæ fidei sunt Veterum illorum testimonia, quæ ex eo proferuntur. Idem esto judicium de cit. Op. Damasceni; falso quippe ei illud attribui, præter alios, luculente demonstravit Cl. Michael Le Quien Operum S. Damasceni editor. Haudque difficulter istud tibi persuaseris, si genuina S. Doctoris Opera consulas, in quibus eum ejusdem plane nobiscum fuisse in præsenti sententiæ reperies. En! ex L. 4. de Fide Orthod. C. 13. verba illius: *itaque Christus in sanctæ ac illustris Sion cœnaculo, postquam vetus Pascha cum Discipulis manducasset, testamento veteri expleto, Discipulorum pedes*

pedes lavit &c. quibus haud absimilia repetit L. de duabus voluntatibus.

Resp. II. tametsi ultro detur, paucos hos e veteribus ab opinione nostra esse alienos: sat firma attamen persistit illa plurium aliorum Patrum, ipsius quin etiam Universæ Ecclesiæ judicio N. relato; id quod pro nobis eo facit amplius, quod authoritas, qua nos tuemur, sit certa: incerta ex adverso illa, qua pugnat Adversarius. Verum

Instari potest I. ad opposita Patrum & Ecclesiæ sensa isthic frustra provocari, nisi ea cum S. Literarum testimonio consentiant; at ab hoc dissident potius: adducta enim ex Evangelistis de Christi Paschate loca, non de legali & Mosaico, sed de novo & Eucharistico Paschate, hoc est, de ipsa SS. Eucharistiæ institutione sunt intelligenda; ergo &c. Min. prop. fundatur in illis Christi verbis: *desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar;* post quæ cum continuo Eucharistiam instituerit Luc. 22. V. 17. utique Paschatis nomine Eucharistiam designasse dicendus est: ad quod conformiter & aliis supra citatis Evangelii locis, cum Christus aut Apostoli Paschatis mentionem injiciunt, eo nomine novum Pascha Eucharisticum, non vero vetus Mosaicum intelligendum videtur. Quæ quidem si ita se habeant, quis non videt, vim Sacro Textui inferre eos, qui ex illo Christum pridie mortis Pascha Judaicum manducasse contendunt? 19

Resp. Nego Min. uti & ejus probationem, quæ tota arbitrarium potius est assertum, quam argumentum. Ajo itaque verba illa, *desiderio desideravi &c.* ad Pascha vetus & legale omnino pertinere.

Istud vero conficitur 1*mo* ex eo, quod sensus horum verborum colligi debeat ex præcedentibus, quibus immediate conjuncta sunt: nisi forte velis abruptas ac minime cohærentes esse Evangelii sententias. Quæ autem apud eumdem Lucam cit. C. præcedunt, hæc sunt: *venit dies azymorum, in qua necesse*

ceſſe erat occidi Paſcha. - - euntes parate nobis Paſcha, ut manducemus, - - ubi eſt diverſorium, ubi Paſcha cum Diſcipulis meis manducem? - - euntes invenerunt, ſicut dixit illis JESUS, & paraverunt Paſcha; atqui hæc aperte ſignificant Paſcha Judaicum; igitur & illa, quæ ſine interruptione ſubjiciuntur, *& cum facta eſſet hora, diſcubuit, - - & ait illis: deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare &c.*

Idem conficitur 2*do* inde, quod Chriſtus dixerit *deſideraſſe ſe manducare hoc Paſcha;* at ipſe utique non manducavit Euchariſtiam, hanc quippe Apoſtolis tantum porrexiſſe legitur; de Paſchate igitur ab Euchariſtico diverſo iſthic locutus eſt, eo videlicet, quod die azymorum neceſſe erat occidi, quodque jam paraverant Diſcipuli, legali proinde & Moſaico.

Demum 3*tio*, quia falſo ſupponitur poſt verba *deſiderio deſideravi &c.* immediate ſubſecutam fuiſſe inſtitutionem Euchariſtiæ. An non ergo, inquies, ſtatim conſequente V. 17. verbis illis, *accepto calice gratias egit & dixit: accipite & dividite inter vos &c.* inſtitutus eſt Calix Euchariſticus? equidem hoc V. inſtitutum inficior; neque enim hic ulla memorantur conſecrationis verba; & alias (quod minus congruum foret) conſecrationem Calicis bis intra paucos verſus enarraret Evangeliſta, nempe V. 17. ac mox iterum V. 20. quo primum nominatur *Calix novi teſtamenti*, proinde Euchariſticus. Inde Calicem illum, quem V. 17. Chriſtus dedit Diſcipulis, cenſeo fuiſſe vel legalem: vel eum, qui ex more Hebræorum in cœna, præſertim Paſchali, a Patreſamilias convivis porrigebatur. Contra hæc nihilominus.

20 Inſtabis II. Paſcha, quod Chriſtum manducaſſe Evangelium meminit, caruit conditionibus, quæ pro Paſchate Judaico Lege Moſaica in S. Literis requirebantur: recte igitur ex his infertur, non fuiſſe illud Moſaicum & legale. Ant. prob. nam ut Paſcha eſſet legale, juxta Exodi C. 12.

1mo

1mo decima die mensis primi tollendus erat agnus, & servandus usque ad decimam quartam diem mensis ejusdem, proinde quatriduo jam ante Festum Paschæ præparandus; Apostoli contra non prius, quam *primo azymorum die accesserunt ad JESUM dicentes: ubi vis tibi paremus comedere Pascha?* Matth. 26. V. 17.

2do idem agnus hac eadem decima quarta die ad vesperam immolari debuit in Templo, & quidem a Sacerdotibus; immolatio enim hæc fuit verum Sacrificium, in templo proinde Sacerdotum ministerio peragendum: quod ipsum non obscure colligitur ex C. 23. Exodi V. 18. Num. 9. V. 7. Paral. L. 2. C. 30. Deuter. 16. V. 5. & Levit. 17. V. 3. nihil vero horum in ultima Christi cœna observatum legas uspiam.

3tio denique, agnum Paschalem jubebantur Judæi comedere stantes, accinctis renibus, baculos in manibus tenentes &c. ipse Convivarum numerus vicenario definiebatur teste Josepho L. 7. de Bel. Jud. C. 17. quæ omnia rursum in Christi Paschate desiderata fuisse, ex silentio Evangelistarum jure arguas. Quid quod ex iis constet, Christum cum Apostolis in hac cœna non stetisse, sed *discubuisse:* numerus etiam Apostolorum, qui convivæ erant, duodecimum non excedebat.

Resp. I. generatim: certum usque adeo non esse, num ritus Paschatis omnes Exod. 12. & Deut. 16. præscripti, semper ac pro omni casu inviolabiliter minutim observandi fuerint. Certe in Paschate, quod L. 2. Paral. C. 30. item L. 4. Reg. C. 23. & L. 1. Esdræ C. 6. celebratum legimus, non meminit Scriptura omnium earum cæremoniarum, quas pro primo Paschate in Ægypto Exod. 12. jussu Dei Moyses præscripserat. Inde, tametsi horum in Christi Paschate aliquid desideratum fuerit, non est, cur negemus continuo illud legale ac Judaicum fuisse: modo non defuerit immolatio & esus agni, ac usus

azymorum, quæ erant hujus Paſchatis ſubſtantialia. Interim, veriſimiliter dici poſſe exiſtimo, Chriſtum in ultimo ſuo Paſchate nihil eorum prætermiſiſſe, quæ ex ritu Legis Moſaicæ obſervanda erant. Hinc negato prop. Antecedentis aſſerto, ad ejus probationem

Reſp. II. in particulari, & quidem ad 1*mum*: eum ipſum agnum, quem Chriſtus in ultima cœna manducavit, quatriduo ante præparatum fuiſſe; non quidem ab ipſo Chriſto: ſed ab eo Patreſamilias, ad quem Diſcipuli miſſi fuerant, ut apud eum pararent Paſcha. Mos nempe Civibus Hieroſolymitanis erat pro exteris etiam, ad celebrandum Paſcha venturis, tam agnos, quam Cœnaculum, ac reliqua neceſſaria apparare, hæcque deinde pretio, aut gratuito ſubminiſtrare: uti iſtud in aliorum Sacrificiorum victimis, quæ ad populi advenientis opportunitatem vænales proponebantur, obſervatum novimus. Ac omnino niſi morem hunc admittas, non ſatis congrue ſtatues de Paſchate ab iis celebrato, qui biduo, vel pridie, aut ipſa die, & in ipſo ſolemnitatis procinctu Hieroſolymam advenerunt.

Ad 2*dum* dico: probabilius eſſe (quod etiam Philo L. 3. de Vita Moyſis refert) Sacrificium Paſchale in hoc a cæteris diſcrepaſſe, quod neque a Sacerdotibus, neque in Templo fuerit immolandum. Non *a Sacerdotibus:* nam Exod. 12. diſerte dicitur: *immolabit eum* (agnum) *univerſa multitudo filiorum Iſrael;* populi igitur ipſius hoc officium erat, non Sacerdotibus peculiare. Non item *in Templo:* verba enim, quibus immolationis Paſchalis locus præcipitur, hæc ſunt Deut. 16. V. 5. *non poteris immolare Phaſe in qualibet Urbium tuarum, - - ſed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi;* ubi vides locum hunc opponi cæteris Palæſtinæ Urbibus: ut igitur ſuis legibus conſtet oppoſitio, locus, quem electurus erat Dominus, non de Templo, verum de Urbe Hieruſalem eſt intelligendus. Adde, quod ibid. V. 6. & 7.

& 7. hæc legantur præterea: *immolabis Phaſe - - - & coques, & comedes in loco, quem elegerit Dominus.* Qui autem ſit credibile, una veſpera, quæ duarum horarum intervallo definiebatur (a tertia ſcilicet veſpertina ad quintam) a tota Hieroſolymitanorum multitudine in Templo aut ejus atrio agnos Paſchales immolari, coqui, imo & comedi potuiſſe? Certe Joſephus de Bello Jud. L. 7. C. 17. narrat, ætate ſua aliquando uno Paſchatis veſpere immolata fuiſſe agnorum ducenta & quinquaginta millia ſupra quingentos; cum ergo Hebræi per ſingulas diſtinctim familias Paſcha immolare & comedere debuerint, numerusque convivarum in una familia denario minor eſſe non potuerit, neceſſe erat aliquando Hieroſolymis pro Paſchate celebrando conveniſſe ad minus vicies centena hominum millia cum quingentis & ſexaginta quinque millibus, quo numero etiam majorem Hieroſolymis repertum Joſephus loco cit. teſtatur. Quis jam autem ſibi perſuaſerit, tantam multitudinem in unius Templi ambitu intra unam veſperam Paſcha facere potuiſſe?

Nec obeſt, L. 2. Paral. C. 30. & L. 1. Eſdræ C. 6. legi, Paſcha a Sacerdotibus in Templo immolatum; iſthic enim nomine hujus Paſchatis veniunt holocauſta, & aliæ victimæ Paſchalis Solemnitatis tempore a Sacerdotibus immolatæ: non vero Paſcha proprie dictum, ſeu agnus Luna 14. ad veſperam immolandus. Conſule in hanc rem laudata loca, ac nominatim V. 2. 3. & 15. ex cit. C. Paral. item V. 16. & ſeqq. cit. C. Eſdræ: diſcrimen certe iſthic fit inter agnum Paſchalem & victimas Paſchales a Sacerdotibus immolatas. Quanquam, etſi hi textus de Paſchate proprie dicto intelligendi forent, nihil contra nos faceret: neque enim hic quæritur de eo, quod aliquando præter morem factum eſt, ſed quid ex lege fieri oportuerit.

Quod ſi interim quis pertinacius contendat, ipſum Paſcha legale a Sacerdotibus in Templo immolandum fuiſſe, iſtudque

ei demum liberaliter concedas, nihildum erit, quo ſibi plaudat Adverſarius; hoc enim dato, prorſus congrue dixeris, ab illo Patrefamilias, apud quem Chriſtus parari voluit Paſcha, quique Legis Moſaicæ non ignarus fuerit, non alium fuiſſe in Cœnaculo appoſitum agnum, quam qui jam ante in Templo Sacerdotis miniſterio immolatus eſt. Cujus aſſerti ratio petitur ex iis, quæ paulo ante in Reſp. II. ad 1*mum* dicta ſunt de more apud Cives Hieroſolymitanos recepto.

Ad 3*tium* quod attinet: ex ſolo Evangeliſtarum ſilentio non recte arguitur, Chriſtum ritus eos in ſua cœna Paſchali non obſervaſſe; novimus quippe non omnia ejus facta minutim eſſe ſcripta ipſo Joanne atteſtante in Evang. Cap. 21. V. ult. Nec urget quidquam, quod Chriſtus cum Diſcipulis in hac Cœna *diſcubuiſſe* legatur: iſtud enim non ad cœnam legalem, ſed ad communem dumtaxat & uſualem appellat, cujus utriusque a Chriſto ex more Judæorum celebratæ meminit S. Chryſoſtomus Hom. 82. in Matth. Quod vero de numero additur, non ſatis fideliter recitatum eſt ex Joſepho, ut qui in laud. Cap. Cœnæ Paſchalis convivarum in unaquaque domo numerum nec vicenario majorem, nec minorem denario eſſe potuiſſe aſſerit: nihil igitur ad legalem numerum Cœnæ illi defuit, quam Chriſtus cum duodecim Apoſtolis manducavit.

Reſpondetur ad Objecta contra Aſſertion. II.

21 MOmentum, quod iſthic Adverſariis eſt præcipuum, petitur ex Joannis Evangelio; ac primum quidem ex illis C. 13. V. 1. & ſeqq. verbis, *ante diem Feſtum Paſchæ ſciens JESUS, quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc mundo - - ſurgit a cœna - - & cœpit lavare pedes Diſcipulorum &c.* ita arguunt: Chriſtus ultimam cœnam ſumpſit, ac Diſcipulorum pedes lavit *ante diem Feſtum Paſchæ;* at non ante diem Feſtum Paſchæ, quod

quod ipse agebat in hac cœna; igitur ante diem Festum Paschæ, quod erat a Judæis postridie celebrandum: atque ita uno saltem die Christus Pascha antevertit, ut adeo illud cum Judæis uno eodemque tempore celebrare non potuerit.

Resp. argumento huic satisfieri ex iis, quæ supra N. 8. notavimus; conformiter ad quæ non tantum Christus, sed Judæi ipsi agnum Paschalem manducarunt *ante diem Festum Paschæ*, hoc est vespera, non quidem ipsum Pascha, verum Paschatis & Azymorum solemnitatem præcedente. Responsio hæc quoad rem est eadem cum illa, quam alii dant his verbis: Christus Discipulorum pedes lavit ante Festum Paschæ diem *usualem* Conc. *legalem* Neg. id quod etiam de agno Paschali a Judæis manducato dicendum est. Nec difficilis est distinctionis datæ sensus, si modo advertas, apud Judæos quadruplex genus dierum in usu fuisse: nempe *legalis* dies illis erat a vespera ad vesperam, cui apud nos respondet dies Ecclesiasticus; *naturalis* ab ortu solis ad ortum recurrentem; *usualis* a media nocte ad mediam noctem; demum *artificialis* ab ortu solis ad occasum, sic dicta, quod hoc temporis intervallo artifices suis vacare soleant operibus. Urgent nihilominus Adversarii, ac

Instant I. Eo die, quo Christus cruci affixus est, non fuit solemnitas Paschatis; cum igitur Christus pridie mortis suæ cœnam ultimam cum Discipulis sumeret, tum adhuc nullo vero sensu cœpit Pascha legale: quodque hinc consequitur, Judæi Pascha suum non celebrarunt eodem die cum Christo. Ant. prob. nam dies mortis Christi erat Παρασκευή, præparatio videlicet ad Pascha: *erat autem Parasceve Paschæ hora quasi sexta, & dicit* (Pilatus) *Judæis: ecce Rex vester &c.* quod narrat Joannes Evang. C. 19. V. 14. quodque ipsum repetit V. 42. ergo mortis Christi die nondum fuit solemnitas Paschatis. 22

Resp. Neg. Ant. Probationem ejus deinde distinctione explico: nempe, dies mortis Christi erat *Parasceve Paschæ*, hoc est,

est, dies præparationis ad sequens Sabbatum, qui concurrit cum ipso Festo Paschatis, Conc. erat *Parasceve Paschæ*, hoc est, dies præparationis ad ipsum Pascha, Nego. Judæi scilicet feriam sextam vocabant *Parasceven* propterea, quod hoc die præparandi fuerint cibi pro sequente Sabbato, quo universim lege vetabantur vel cibos apparare. Quod vero Evangelista laudatus hanc ipsam feriam nominatim vocet *Parasceven Paschæ*, non alia causa est, quam quod ea inciderit in Festum Paschæ: ita Festum e. g. Nativitatis Domini in Sabbatum incidens, non incongrue quis dixerit, *Sabbatum Nativitatis*. Nec arbitraria est hæc Sacri Textus explanatio, fundamentum quippe ejus præbent alii Evangelistæ: Marcus quidem, cum C. 15. V. 42. ait, *erat Parasceve, quod est ante Sabbatum*, & Lucas C. 23. V. 54. *erat Parasceve, & Sabbatum illucescebat.*

23 Instant II. si die mortis Christi fuisset Festum & solemnitas Paschæ, Judæi jam antea, pridie videlicet ejus ad vesperam, juxta legem manducassent Pascha; at non manducarunt; ergo &c. Minoris prop. assertum Adversarii repetunt ex Joannis Evangelio, ubi C. 18. V. 28. hæc leguntur: *adducunt ergo JESUM a Caipha in prætorium; erat autem mane, & ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha;* Judæi igitur hoc tempore nondum manducaverunt Pascha.

Resp. Neg. Min. Nec evincit quidquam probatio ex Joanne Evang. petita; verba etenim illa, *sed ut manducarent Pascha*, non sunt accipienda pro *Agno Paschali*, cui præcipue nomen Paschatis conveniebat: verum pro reliquis *Paschalibus victimis*. Ad augendam videlicet temporis Paschalis lætitiam & solennitatem azymorum diebus varias victimas Judæi immolare consueverant, idque ex lege, ut constat ex Deut. 16. V. 2. ubi præcipitur: *immolabis Phase Domino Deo tuo de ovibus & de bobus &c.* & V. 3. juxta vulgatam nostram,

non

non comedes in eo panem fermentatum &c. quod textus hebraicus ita habet: *non comedes cum illo panem fermentatum, septem diebus comedes cum illo infermentata.* Ubi, Tò *cum illo*, cum nequeat intelligi de agno Paschali ad vesperam Lunæ 14. manducando, ut qui hac eadem vespera totus consumendus erat, nihilque ex eo asservare licuit, ut Exodi 12. V. 10. & Deut. 16. V. 4. legitur: prorsus congrue intelligitur de memoratis aliis victimis, quæ ipsæ Scripturæ Phrasi *Phase*, seu *Pascha* vocantur propterea, quod intra Paschatis tempus immolatæ fuerint. Immolationis porro hujusmodi testimonium habetur tam in Josepho de Bel. Jud. L. 7. C. 17. quam in L. 2. Paral. C. 35. V. 8. *Principes Domus Domini* (inquit sacer textus) *dederunt Sacerdotibus ad faciendum Phase pecora commixtim duo millia sexcenta, & boves trecentos.* Objecti igitur ex Joannis Evangelio loci plane congrua est expositio, quam adferimus; præsertim cum hæc sit ratio optima Joannem conciliandi cum reliquis Evangelistis, quorum testimonio Christus manducavit Pascha *prima die azymorum, qua immolabant (Judæi) Pascha,* qua ex lege *necesse erat occidi* illud, ac proinde eodem plane legali die cum Judæis. Vide dicta N. 16. & 17. Attamen

Instari potest III. Feria sexta, qua Christus in crucem 24 actus est, non fuit Festum Paschæ; objectus igitur ex Joanne locus intelligendus est de Agno Paschali, ac dicendum, hoc tempore Judæos nondum illum manducasse. Pro assumpta propos. illud facit, quod sequens Sabbatum Joan. 19. V. 31. vocetur *magnus dies Sabbati;* hoc igitur Sabbatum erat Festum & solemnitas Paschæ, non autem præcedens feria sexta; præsertim cum mos fuerit Judæis nunquam duo Festa continua celebrandi, atque ita, quamvis anno mortis Christi Festum Paschæ in hanc feriam incidisset, necessario fuerit in diem alteram transferendum.

Resp. Neg. Ant. ac sane, cum pridie mortis Christi (teste Luca) illud tempus fuerit, quo necesse erat occidi Pascha, at-

tenta lege divina (de qua consule N. 8.) dubitari nequit sequente feria sexta, qua Christus mortuus est, fuisse Fest. Paschae & solemnitatem azymorum. Nec urget quidquam, sequens Sabbatum vocari *magnum diem Sabbati:* compellatio enim hæc idcirco duntaxat ei attributa est, quod in Paschatis hebdomadam inciderit, atque sic dupplici nomine fuerit celebris. Quid quod, tametsi prima tantum dies azymorum Festa ac solemnis fuerit, reliqui nihilominus etiam dies omnes *dies solemnitatis* vocentur L. 2. Paral. C. 30. V. 21. & seqq. Quod autem de more Judæorum additur, prorsus arbitrarie dictum est, nec ullo Scripturæ aut probatorum Auctorum testimonio comprobari potest; quin necesse habebant Judæi aliquando duo continua Festa celebrare. Ita posito etiam, anno mortis Christi Festum Paschæ in feriam sextam incidens translatum fuisse in Sabbatum: numquid attamen azymorum diem septimum, qui erat perinde solemnis ac primus, necesse erat incidere in sequentis hebdomadæ feriam sextam? hanc vero cum sequens Sabbatum exceperit, fieri non potuit, ut non celebrarentur duo Festa continua.

Corollarium

De ipsa Luna, ejusque vespere, & feria Paschatis Christi.

QUod ad propositum Theologi facit cumprimis, Christum videlicet Eucharistiam instituisse in ea cœna, in qua legale Pascha eodem legali cum reliquis Judæis tempore manducavit, id hactenus comprobatum est. Si jam porro particulatius quæras de hoc tempore: in quam videlicet Lunam, in quam item Lunæ vesperam, ac demum in quam hebdomadæ diem illud inciderit? etsi in has Eruditorum tricas minutim me immittere nolim, paucis tamen de singulis sensum meum aperiam. Itaque

I. Chri-

I. Chriſtum Luna 14. Menſis Niſan Paſcha hoc ſuum ce- 25
lebraſſe ajo. Ut enim jam ex ſupra dictis conſtat, celebravit Paſcha legale, ex præſcripto proinde legis; cum igitur hæc pro manducando agno Paſchali definita fuerit Luna 14. menſis Niſan, quidni legitima conſecutione inferas, hoc ipſum tempus a Chriſto fuiſſe obſervatum. Nec alius omnino de hoc fuit unquam veterum ſenſus; inde Quartadecimani Paſcha celebrandum eſſe Luna 14. ea duntaxat cauſa contendebant, quod hac ipſa Luna a Chriſto fuerit celebratum: quamvis autem Eccleſia propoſito eorum reſiſteret, cauſam attamen, quam adferebant, in dubium vocavit nunquam.

At, quæ hæc, inquies, fuit Luna 14? An ea, quæ a primo Solis & Lunæ congreſſu: an vero, quæ a prima Lunæ phaſe numerabatur? primum aſſero; quin etiam exiſtimo, ſemper Judæos menſem auſpicatos fuiſſe a prima Lunæ cum ſole conjunctione; ac niſi iſtud facerent, certis ac ſtatis diebus Feſta ſua celebrare non poterant, cum prima Lunæ apparitio nec certa ſit, nec ubique eodem tempore contingat. Adde: hujus dupplicis Lunæ diſtinctionem nuſpiam memorari in Scripturis, aut in Philone, vel Joſepho; ut adeo jure dixeris commentitiam, nec unquam omnino apud Judæos in menſibus auſpicandis uſitatam.

II. Hoc ipſum Paſcha Chriſtus manducavit ad ſecundam 26
veſperam Lunæ 14*tæ*, non vero ad primam: hoc eſt, non ea veſpera, qua incœpit Luna 14. ſed qua claudebatur hæc eadem Luna. Iſtud dicendi ratio eſt: quia Chriſtus in Paſchate celebrando legale tempus obſervavit, ut jam probavimus; at hoc tempus fuit Lunæ 14. ſecunda veſpera, non autem prima, ergo &c. Min. propoſitionis veritas dupplici argumento conficitur.

1*mo*, per Lunæ 14. veſperam, qua erat ex lege manducandus Paſchalis Agnus, ea intelligitur veſpera, quam proxime ſequebatur dies 15. feſtiva ac ſolemnis, ut deducitur ex

C. 12. Exod. a V. 16. & 18. & testatur Josephus L. 3. Antiq. Jud. C. 10. atqui hæc vespera fuit secunda, qua videlicet claudebatur Luna 14. & incipiebat Luna 15. qua ipsa vespera Christum Pascha celebrasse certum est, cum dies alter, qui eam sequebatur, quaque Christus mortuus est, vocetur *solemnis & festus* Matth. 27. & Marc. 15. ergo &c.

..ado, azymorum dies erant tantum septem, ita ut initium eorum fieret ad vesperam Lunæ 14. finis autem esset Luna 21. ejusdem mensis ad Vesperam Exod. 12. at si prima azymorum dies, qua immolandus erat agnus, inchoata fuisset a Lunæ 14. prima vespera, non septem, sed octo fuissent numerandi dies; dicendum igitur, non primam, sed secundam Lunæ 14. vesperam fuisse legale illud tempus.

Frustra autem hic certe opposueris primum Judæorum Pascha, quod in suo de Ægypto exitu celebrarunt. Quamvis enim eggressus hic eorum nocte acciderit inchoante Luna 15. ac proinde post Lunæ 14. secundam vesperam, non est, cur continuo negetur eos hac ipsa vespera agnum Paschalem manducasse: cur enim utrumque istud componi non potuerit, si nox pro tota sua latitudine sumatur? Mihi quidem videtur, omnia Exodi, Deuter. & Num. loca, quæ isthic objici solent, facile conciliari, ac congrue explicari posse, si dicatur Lunæ 14. secunda vespera manducasse Judæos Pascha, eosque simul deinde post noctis hujus medium eggredi cœpisse, ita ut abitum hunc suum continuarent etiam die sequente, videntibus & mortuos suos sepelientibus Ægyptiis, quod refertur Num. 33. V. 3. Consule, si lubet, pluribus de hoc differentem Tournelium de Sacr. Euch. Quæst. 5. Ar. 1. in Object. contra 3. par. Conclusionis.

27 III. denique, Pascha hoc suum ultimum Christus celebravit feria quinta. Novimus quippe ex Evangelistis Christum in Parasceve, hoc est, die Sabbatum præcedente, ac proinde feria sexta mortuum fuisse: Traditione autem habetur, quin

quin etiam ex S. Literis non obscure colligitur, pridie mortis eum Pascha manducasse; igitur feria quinta. Recole dicta N. 14. & 15. Idem aperte docet Ambrosius Ep. 83. ad Epp. Æmiliæ: *celebravit*, inquit, *Pascha hebdomade, in qua fuit Luna 14. feria quinta; denique ipsa die Pascha cum Discipulis manducavit; sequenti autem die, hoc est, sexta feria crucifixus est &c.* Eadem sunt fere verba S. Proteri, Successoris Cyrilli Alexandrini, in Ep. ad Leonem Imp. de ratione Paschatis.

Contra assertum hoc pugnare videtur I. illud, quod anno 28 mortis Christi dies Pentecostes (hoc est, dies quinquagesima) inciderit in Dominicum, ut post Augustinum docent Patres, opinionique huic favet praxis Ecclesiæ Pentecosten die Dominico celebrantis; at istud fieri non potuisset, si Christus legale Pascha manducasset feria quinta: hoc enim posito necesse erat Pentecosten incidere in Sabbatum, id quod ita declaratur. Juxta Lev. C. 23. V. 15. & seqq. *numerandi erant ab altero die Sabbati - - quinquaginta dies, & sic offerendum novum Sacrificium Domino &c.* ubi per *alterum diem Sabbati* intelligendam esse *secundam azymorum diem* testatur Joseph. L. 3. Ant. Jud. C. 10. quod si igitur anno mortis Christi legale tempus agni Paschalis manducandi fuisset vespera feriæ quintæ, altera dies azymorum futura erat ipsum Sabbatum: at ab hoc si quinquaginta dies numeres, necesse est quinquagesimam incidere in Sabbatum, ergo &c.

Pugnant II. tabulæ Astronomicæ & Chronologicæ, in quarum compluribus legas anno mortis Christi Lunam 14. mensis Nisan signari feria sexta, ut videre est apud Cl. Lamium in ejus critico Opere de Concordia quatuor Evangg. de Christi Pasch. & Tract. de Judæor. Paschate: cum igitur in sententia, quam tuemur, Christus Pascha celebraverit Luna 14. non utique celebravit illud feria quinta: aut si denique tum celebravit, legale Paschatis tempus ab eo observatum fuisse frustra contendimus.

Resp. ad I. argumentum hoc niti fundamento prorsus incerto; non est igitur, cur eo asserti nostri, cum Scriptura & Traditione consentientis, veritatem infirmari existimemus. Etenim 1mo incertum est, num anno mortis Christi Pentecostes in Dominicam inciderit; nihil profecto de hoc in S. Literis, nihil apud veteres Scriptores ante Augustinum reperias: hic ipse autem S. Doctor L. 18. de Civ. Dei, & in Ps. 150. id memorat unum, quod *Spiritus S. quinquagesimo a Resurrectione Christi die descenderit*, quin nominatim hanc diem designet; Sermo autem 154. de Temp. qui isthic opponitur, suspectæ est fidei, ut adeo etiam in postremis Operum S. Augustini editionibus ad Appendicem fuerit rejectus. Incertum est 2do, quo sensu accipienda sint illa Lev. verba; *ab altero die Sabbati*; admisso enim etiam Josephi cit. testimonio putant quidam illa intelligi oportere hoc sensu: quod Festum Pentecostes Judæis celebrandum fuerit die quinquagesimo, numerando hos dies a secunda azymorum die *exclusive*, non *inclusive*. Istud vero si ita habeat, cum anno mortis Christi secunda azymorum dies fuerit Sabbatum, excluso illo, quinquaginta dies numerandi erant a Dominica, proinde in ea etiam complendi.

Resp. II. Astronomos & Chronologos in hac controversia me nihil morari: discordes adeo & invicem pugnantes sunt, ut certi nihil ex eorum Tabulis de Christi Paschate erui possit. Quid ita vero? non igitur, inquies, sibi constant Astronomica & Chronologica principia? constant equidem, ac omnino inconcussæ sunt Scientiarum harum illationes demonstrativæ; si modo certa ac constans sit positio, cui illæ superstruuntur: id quod in præsenti argumento desideratur. Etenim ut ex principiis Astronomiæ & Chronologiæ certo possit confici, anno mortis Christi Lunam 14. mensis primi in feriam sextam incidisse, hancque ipsam fuisse diem Paschatis celebrandi, oporteret tenere annum, quo Christus in crucem actus est: constare

præ-

præterea deberet, num Judæi menses suos auspicati fuerint a primo solis & Lunæ congressu, an vero a prima Lunæ phase; at utrumque istud apud Eruditos incertum est, mirum variantibus etiamnum eorum sententiis: quin nec spes est, annum mortis Christi certo determinari posse; igitur Astronomicæ & Chronologicæ regulæ statuere nequeunt de feria, in quam anno mortis Christi Luna 14. mensis Nisan incidit.

Atque hinc est sapiens illud præstantissimi Chronologi Cl. Petavii monitum L. 12. de Doctr. Temp. C. 12. *desinant*, inquit, *Chronologi in anno & die passionis eruendo, Mathematicorum calculis, noviluniorum pleniluniorumque minutiis ac scrupulosis ratiociniis, sibi ac lectoribus suis negotium facere &c.* Cui plane consentiens fuit opinio Joan. Keppleri celebris Astronomi, quem in suis Ecclogis Chronicis contra Reusnerium & Calvisium ita scribentem legas: *in prima controversia de Paschate hæret uterque in Astronomia, velut mus in pice. Mirum fatum! ipse Astronomus cæteros Astronomos abstraho ab Astronomia in actione hujus causæ &c.* Et infra: *valde igitur decepti sunt nostri Astronomi his ultimis 150. annis, qui ex sua perfecta Astronomia plenilunia ad Christi tempora, ex pleniluniis Festa Judæorum, ex his & Concursu feriæ annum passionis ausi sunt determinare &c.*

§. III.

An in Eucharistia sit vere ac realiter præsens Corpus Christi?

CUm de Eucharistia agitur, princeps controversia est: num hoc Mysterio contineatur verum ac reale Christi Corpus? id quod definire cumprimis omnino necessarium est ad explanandam Eucharistiæ naturam. Et Catholicos quidem sub speciebus panis & vini Eucharisticis realem Christi Corporis, ejusque

que animæ & Divinitatis præsentiam profiteri, certum est vel ex Conc. Tridentini Sess. 13. de Sacr. Euch. C. 1. & 3. ac Canonibus in hac Sess. latis; Sectariorum ex adverso complures inficiantur illam, adjecta etiam in causæ suæ patrocinium calumnia, qua hoc Ecclesiæ dogma novitatis insimulant. Nobis id jam nunc erit negotii, ut contra eos Catholicæ doctrinæ veritatem SS. Literarum & Traditionis præsidio propugnemus. Ante Assertionem autem dabimus compendio notitiam de origine & progressu Hæresum isthuc pertinentium; ac etiam de memorata calumnia, ejusque vanitate; quod utrumque ad illustrandam præsentem controversiam haud parum conferet.

Narratur Origo & Progressus hæresis, realem Christi in Eucharistia præsentiam negantis.

29 I. ORiginem Hæresis, de qua isthic agitur, ad Seculi VIII. initium referendam censeo cum Bellarmino. Quamvis enim ipso statim Ecclesiæ Sec. I. (teste S. Ignat. M. in Ep. ad Smyrn.) Simoniani, Menandriani, hisque similes alii subinde fuerint, qui in Eucharistia esse Christi Corpus non agnoscerent: hi attamen omnes ex consequenti duntaxat istud contendebant, propterea videlicet, quod ipsum Eucharistiæ Sacramentum, aut etiam Incarnationis mysterium negarent, uti hoc nominatim de sui temporis Hæreticis in laud. Ep. insinuat S. Ignatius; hæcque eadem causa est, cur apud Irenæum, Tertullianum, Epiphanium, & alios veterum hæresum Scriptores peculiaris hujus erroris nulla fiat mentio.

Primi itaque, qui, admisso Verbi Incarnati mysterio & Altaris Sacramento, ferale hoc classicum cecinerunt, fuere Iconomachi, in conciliabulo Constantinopolitano sub initium Seculi VIII. collecto, asserentes: *unicam esse imaginem Christi ab ipso*

ipso Christo institutam, nimirum panem & vinum in Eucharistia, quæ repræsentant Christi Corpus & sanguinem; ut istud refertur in Conc. Nicæni II. Act. 6. Inde ab eo tempore Scriptores Græci, ut Damascenus L. 4. C. 14. Theophylactus in C. 26. Matth. & alii sæpe monent, Eucharistiam non esse figuram & imaginem Corporis Christi, sed ipsum ejus Corpus. Atque hæc in Oriente;

II. In Occidente autem erroris ejusdem Sec. IX. initium 30
fecit Joannes Scotus, Parisinus Doctor, etiam *Erigena* aliis *Herigena* dictus ab Hybernia, ex qua ortum duxit, quæque tum *Eri* vel *Herin* hybernico idiomate dicebatur, ac Scotiæ nomine veniebat. E Latinis nempe primus is in suo de Eucharistia Libro docere ausus, *Sacramentum Altaris non esse verum Corpus & Sanguinem Domini, sed tantum memoriam veri Corporis & Sanguinis ejus*, ut refert coævus Hincmarus L. de Prædest. C. 31. ubi una errorem hunc impugnat, quod ipsum continuo præstitit Adrevaldus Floriacensis ex Ord. S. Ben. disputans peculiari Opere *contra ineptias Joannis Scoti.*

Sed nec Nicolaus I. tum Pontifex errorem in Occidente recens natum otiosus spectavit; nihil profecto non egisse eum de comprimenda Joannis Scoti licentia aperte docet Epistola, ad Carolum Calvum Galliæ Regem data, in qua, *Dilectioni vestræ*, inquit, *vehementer rogantes mandamus, quatenus Apostolatui nostro prædictum Joannem repræsentari faciatis, aut certe Parisiis in Studio, cujus olim Capital fuisse perhibetur, morari non sinatis; ne cum tritico Sacri eloquii grana lolii & zizania miscere dignoscatur &c.* Quin Galliæ toti exosam fuisse Joannis doctrinam vel inde colligas, quod coactus sit demum se recipere in Britanniam, ubi & vitam clausit An. 884. Liber ejus de Euch. damnatus est deinde in Conciliis Vercellensi & Parisiensi circa An. 1050. item Romano An. 1059.

III. Quantuscumque interim hic Orthodoxorum conatus 31
fuerit, caveri non potuit, ne sparsum a Joanne venenum por-

ro serperet. Ex ejus Libro primus hausit illud subinde Sec. XI. Berengarius patria Turonensis, & Ecclesiæ Andegavensis Archidiaconus, in professione fidei a se edita palam docens, *Eucharistiam non esse vere & substantialiter Corpus & Sanguinem Domini, sed sola voce sic appellari pro eo, quod tanquam umbra & figura significativa sit Corporis & sanguinis Domini.* Verum Novatori huic certatim se opposuerunt, DD. Catholici, ac nominatim Adelmannus Brixiensis, & Hugo Lingoniensis Episcopi, Lantfrancus Beccensis Cœnobii Prior, postea Archiep. Cantuariensis, Durandus Abbas Troarnensis, aliique complures, quorum Opera videre est in Bibl. PP. Tom. 18. edit. Lugd. In eumdem anathema pronunciatum est a Leone IX. in Romana & Vercellensi Synodis An. 1050. ac rursum post quadriennium a Leonis Successore Victore II. in Concil. Florentino, & ab ejus Legato Hildebrando in Turonensi; ubi etiam errorem revocavit, ut testatur coævus Guitmandus L. 3. contra Bereng.

At versatilis nimium fuit Berengarii indoles. Haud multo post ad damnatum dogma rediit, a Nicolao II. Pont. idcirco Romam evocatus; cumque isthic in Concilio 113. Episcoporum a Lantfranco convinceretur, iterum ejurat hæresim, exustis etiam manu sua tam suis, quam Joannis Scoti Libris. Non diu attamen sibi constitit: tertium recinit pristinam cantilenam, rursum idcirco damnatus a Gregorio VII. in Synodis Rhotomagensi & Pictaviensi An. 1075. & duabus Romanis An. 1078. & 1079. in quibus postremis fidem iterum profitetur; at quam rursus fefellit, dum denique post Burgalensem Synodum An. 1080. celebratam serio resipisceret, octo deinde reliquis vitæ annis in gremio Ecclesiæ & vera pœnitentia traductis. De obitu ejus MS. Codex S. Martini Turon. ita habet: *Obiit M. Berengarius Grammaticus fidelis & vere Catholicus, An. Dom. MLXXXVIII.*

IV.

IV. Extinctum erat cum Berengario incendium cum ecce! pestilentes flammas Sec. XIV. resuscitat Wickleffus, præter errores alios, Berengarii etiam de Eucharistia hæresim professus L. 4. Trial. c. 2. & seqq. quo malo subinde totam late Bohemiam fuisse correptam scribit Æneas Sylvius L. de Orig. Bohem. cap. 35. dum denique pestis eadem latissime proferretur Sec. XVI. auctoribus Luthero & Calvino. 32

Quamvis enim Lutherus Berengarii de Eucharistia errorem aperte nunquam docuerit, ejus tamen semina jecit pluribus locis in suis LL. quos notat Bellarm. L. 1. de Euch. c. 1. Certe in Ep. ad Argentinenses significat propensum se fuisse in Berengarii Sententiam; quo minus tamen profiteretur illam, prohiberi se claris scripturæ verbis. Inde facta occasio Lutheri Discipulis, novandi perinde ac ille cupidis, ut speciosis Scripturæ interpretationibus excogitatis veritati Evangelicæ velum adducere, ac jam supra Magistrum suum sapere auderent. Tales erant Andreas Carolstadius & Ulricus Zwinglius, ille ex Archidiacono Wittembergensi, hic ex Tigurino Parocho apostatæ, facti subinde duces eorum Antilutheranorum, qui hodie negant realem Christi in Eucharistia præsentiam, ac propterea dicuntur *Sacramentarii*, divisi & ipsi in plures Sectas, videlicet *Significativorum*, *Tropistarum*, *Energicorum*, *Metamorphistarum &c.*

Errorem eundem in suam sectam invexit Ioan. Calvinus, ac deinde, post Zwinglium Anno 1531. in acie cæsum, omnium maxime Sacramentariorum partes sustentavit. Ut enim nonnunquam in explicanda Eucharistia totus recedere videatur a Zwinglio, idque Lutheranorum gratia, quos sibi demereri studebat: re ipsa attamen in sacramento Altaris Christum, non nisi per fidem, aut virtutem ab eo in Cœlis existente diffusam, præsentem admisit, uti istud ex ejus Instit. L. 4. c. 17. ostendit Bellarm. loco supra cit. quodque ipsum etiam hodierni Cal-

viniani profitentur. Atque hæc nos de Sectariis; jam & eorum de nostro dogmate sensa audienda sunt.

Refertur & refellitur calumnia.

de mutata apud Catholicos circa Christi in Eucharistia præsentiam doctrina.

33 I. Pervulgata est Novatorum calumnia: doctrinam de reali Christi præsentia in Eucharistia veteri Ecclesiæ ignotam fuisse, neque nisi serius invectam illam. Et Blondellus quidem istud factum existimat Sec. VII. per Anastasium Sinaitam, aut certe Sec. VIII. per Epiphanium Diaconum in Conc. Nicæno II. Act. 6. Amplius illo ausus M. Claudius, natione Gallus apud Carentonenses olim Calvinianus Minister, ejusdem doctrinæ initium repetit a Paschasio Radberto Corbejensi Abbate Sec. IX. quasi nempe primus hic in L. suo de Corp. & Sangu. Domini dogma hoc procuderit, quod subinde plurimorum animos occupavit. Atque hoc illud est, quod, duce Claudio, hodie etiam Novatores crebro declamitant.

34 II. Verum, quid istud est, nisi commentum, & putida calumnia? si Paschasius, in laud. L. verum Christi Corpus in Eucharistia afferens, novum quid protulit, qui factum? ut in re fidei præcipua inductam ab eo mutationem tranquillo vultu spectaret Ecclesia. Nuspiam certe legas eum aut a Pontificibus, aut a Concillis impetitum: cum ex adverso oppositum docens Berengarius acerrime fuerit exagitatus, ut supra vidimus.

Ad ætatis ejus ignorantiam, & corruptos mores forte provocabunt sectarii? Ab his equidem calumniæ suæ patrocinium cumprimis petunt: at labem hanc toti ævi illius Ecclesiæ aspergere, nova est Calumnia. Adeant Scriptores Ecclesiasticos, & reperient intra tempus illud, quod a Paschasio ad Berenga-

rengarium fluxit, floruiſſe in Eccleſia a vitæ ſanctimonia & inſigni eruditione plurimos: quales erant, Stephanus VIII. Leo VII. Agapetus II. Leo IX. PP. Anaſtaſius Bibl. Ado Vien. Luitprandus. Udalricus *gemma Sacerdotum* dictus, Fulbertus Carnotenſis, Romualdus Camaldulenſium Pater &c. Apud eosdem Scriptores reperient inſignia vigilantiæ Epiſcoporum monimenta: ac nominatim frequentia Concilia, leges, ac ſtatuta ad fidei & diſciplinæ Eccleſiaſticæ conſervationem; quæ omnia legere eſt apud Labbeum in Collect. Concil. Tom. 9.

III. At (urgent Novatores) quamvis Pontifices & Concilia nihil in Paſchaſium decreverint: non deerant attamen e DD. 35
Catholicis, qui continuo ei adverſarentur, ut: Ioannes Scotus, Rabanus Maurus ex Abbate Fuldenſi Archiepiſcopus Moguntinus, Bertramus (quibusdam *Ratramus*) Abbas Orbacenſis, ac dein Seculo X. Herigerus Abbas Lobienſis. Sit ita vero iſtud: an paucis his (nec enim plures proferri poſſunt) reclamantibus, totam continuo Eccleſiam Paſchaſio reclamaſſe dici poteſt? Cæterum neque iſtud integre ita ſe habet, ut volunt Novatores.

Ioannem Scotum quidem fateor impugnaſſe realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam, quam Paſchaſius in L. ſuo aſſeruerat: verum quis fuerit de Scoti, & ejus ſectatoris Berengarii doctrina Eccleſiæ ſenſus, jam ſupra commemoravimus.

Quod autem ad tres alios attinet, tametſi quibusdam locis in LL. contra Paſchaſium Scriptis, ambigua ſint eorum verba, præſertim Bertrami: attentis tamen omnibus, non quoad ſubſtantiam realis præſentiæ, verum quoad ejus duntaxat modum Paſchaſio adverſatos fuiſſe, multo veriſimilius eſt. Nimirum Paſchaſius, laudato per ſe Ambroſio, docebat: in Euchariſtia realiter præſens eſſe illud ipſum Chriſti Corpus, quod de Virgine natum eſt; illi contra, quamvis & ipſi realem Corporis Chriſti præſentiam admitterent, quibusdam tamen SS. Hieronymi & Auguſtini dictis ſubnixi, Corpus in Sacramento præſens non idem prorſus cum eo, quod

ex V. Maria natum est, dicendum putarunt; quia, etsi quoad substantiam idem sit, quoad speciem tamen sensibilem, & existendi modum aliter se habet. Eruitur vero istud ex ipsis eorum Scriptis, de quibus consuli potest Natalis Alex. in Hist. Eccl. Sec. IX. & X. nobis enim singula minutim excutere non vacat. Vel illud interim in rem nostram non levi est argumento, quod Berengarius pro se tuendo Ioannem Scotum duntaxat laudaverit: nusquam autem legatur ad Rabani, Bertrami, aut Herigeri auctoritatem provocasse; id quod attamen pronissimum erat, si hi cum eo & Ioanne ejusdem in omnibus de Eucharistia fuissent Sententiæ. Denique objectæ calumniæ vanitatem satis superque evincent illa, quæ infra a N. 41. pro reali Corporis Christi præsentia ex primævis Patribus, Conciliis item, & perpetua Græcæ & Latinæ consensione commemorabimus.

Propugnatur Ecclesiæ Catholicæ doctrina.

36 Clarissime autem hæc exponitur in Concil. Trident. sess. 13. Cap. 1. ubi (sunt verba Concilii) *docet Sancta Synodus, & aperte, ac simpliciter profitetur in almo Sanctæ Eucharistiæ Sacramento, post panis & vini consecrationem, D. N. IESUM Christum verum Deum atque hominem vere, realiter, ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri.* Sunt vero isthic observandæ nominatim tres concilii particulæ. Dicitur nempe Christus contineri *vere*: non igitur solum in signo & figura, ut ejusdem sess. Can. 1. explicatur; *realiter* item: quo excludatur figmentum Zwinglii & Calvinianorum, volentium Christum adesse solum per fidem; demum *substantialiter*: hoc est, quoad ipsam substantiam, & non tantum per virtutem (quod iterum Calviniani somniant) a Christo in Cœlis existente ad nos diffusam: propter quem errorem cit. Can. 1. To *substantialiter* opponitur *virtuti*. Conformiter jam ad hæc statuitur, & defenditur.

ASSER-

ASSERTIO.

In Eucharistia est vere, realiter, ac substantialiter præsens Corpus & Sanguis Christi.

Dogma hoc contra Novatores copiosissime omnium propugnat Bellarminus, duobus integris Libris primis de Sacram. Euch. Scripturæ & omnis ævi Patrum testimonia proferens; nos horum præcipua, in Synopsin redacta, complectemur duobus argumentis: ex S. Literis altero, altero ex constanti Ecclesiæ doctrina desumpto.

Argumentum I. ex S. Literis.

Certa est Assertio, si Christus 1*mo* promisit se daturum veram suam carnem in cibum, & verum suum sanguinem in potum: ac 2*do* re ipsa etiam dedit Apostolis, cum Sacramentum Eucharistiæ instituit; at utrumque istud certum est; certa igitur & Assertio. De Maj. propositionis veritate dubitari nequit, tum quod præter Eucharistiam nihil designari aliud possit, in quo promissum hoc Christus impleverit: tum etiam, quod in ultima cœna Eucharistiam instituens, eamque Apostolis porrigens, idem & deinceps ab illis, eorumque in Sacerdotio successoribus fieri voluerit in sui commemorationem Luc. 22. Quod igitur est reliquum, Min. propositionis, & quidem quoad partem utramque, probationem requirunt Novatores. Ita autem 37

Probatur I. pars ex illis Ioan. 6. V. 52. Christi verbis: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*; quam promissionem Iudæis in dubium revocantibus, ac dicentibus, *quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* id unum V. 54. & seqq. respondit Iesus: *amen amen dico vobis, nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. - - Caro mea vere est cibus,* 38

bus, *& Sanguis meus vere eſt potus. Qui manducat meam carnem*, *& bibit meum Sanguinem*, *in me manet*, *& ego in illo.*

Ex his jam ita arguo 1*mo*. Iudæis litigantibus, ac exiſtimantibus, Chriſtum locutum eſſe de vera ſua carne manducanda, hanc eis cogitationem Chriſtus non exemit, imo in illa eos confirmavit. 2*do*. promiſit in cibum ſe daturum illam carnem, quam erat daturus pro mundi vita; id quod clarius exprimit textus græcus: ὁ ἄρτος δὲ, ὃν ἐγὼ δώσω, ἡ σάρξ μου ἐστιν ἣν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς. *Panis*, *quem ego dabo*, *caro mea eſt*, *quam ego dabo pro mundi vita;* Sicut igitur Chriſtus pro mundi vita dedit veram ac realem ſuam carnem, & non ejus duntaxat figuram: ita eandem ſe promiſit daturum in cibum ad manducandum. 3*tio*. Voces illas *Carnis* & *Sanguinis* non eſt ulla neceſſitas ſumendi in ſenſu metaphorico: ſumendæ ergo ſunt vero ac proprio ſenſu, quo utique veram ac realem Chriſti carnem, verumque ejus Sanguinem ſignificant; hocque ipſo ſenſu acceptas eſſe a veteribus Patribus & Conciliis ex infra dicendis patebit. Hæc jam vero omnia evincunt, Chriſtum promiſiſſe ſe daturum veram ſuam carnem in cibum, & verum ſanguinem in potum: quod promiſſum etiam re ipſa implevit, cum in Euchariſtia dedit Corpus ſuum, ſub ſpecie panis manducandum, & ſanguinem bibendum ſub ſpecie vini, de quo mox agendum erit. Itaque

39 Probatur etiam II. pars Min. ejusdem, & quidem ex iis verbis, quibus Chriſtus Euchariſtiam inſtituiſſe legitur. *Accepit panem* (inquit Matth. Cap. 26. V. 26.) *& benedixit*, *ac fregit*, *deditque diſcipulis ſuis*, *& ait: accipite & comedite*, *hoc eſt Corpus meum.* (apud Lucam c. 22. additur: *quod pro vobis datur*; & 1. Cor. 11. *quod pro vobis tradetur*) Pergit dein Matth. V. 27. & 28. *Et accipiens calicem gratias egit*, *& dedit illis dicens: bibite ex hoc omnes: hic eſt enim ſaguis meus novi teſtamenti*, *qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* His non abſimilia leguntur Marci 14. a V. 22.

Ex

Ex quibus ultro fluit sequens argumentum: Si verba haec in sensu literali & proprio accipiantur, indubium est, Christum in ultima Coena Apostolis sub speciebus panis & vini verum suum Corpus, & verum Sanguinem dedisse: ut qui & facere istud poterat, & loquens fallere non poterat; atqui verba illa sensu proprio accipienda sunt; ergo &c. Min. contra Novatores probatur *1mo*, nam juxta regulam S. Literas interpretandi receptam, & ab Augustino L. 3. de Doctr. Christ. C. 10. traditam, verba Scripturae accipi debent in sensu proprio, nisi obstet Scriptura contraria, Traditio, aut ratio evidens: nihil autem horum obstare docebimus in Resp. ad Objecta. *2do*, quia haec verba in sensu proprio constanter accepit veritatis Magistra Ecclesia, ut N. sequ. dicemus. *3tio*, quia ipse Christus eo tempore, quo Eucharistiam in caena ultima constituit, clare & aperte se loqui professus est Ioan. 16. V. 25. *venit hora*, inquiens, *cum jam non in proverbiis loquar vobis*; profecto autem clare locutus non fuisset, si verba illa alio, quam literali & proprio, sensu accipienda forent. Denique *4to* sensum hunc evincit comminatio Apostoli 1. Cor. 11. *quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini. - - qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Igitur Eucharistiam indigne sumens reus est, non figurae Corporis & Sanguinis Christi, sed ipsius veri ac realis Corporis & Sanguinis; quia videlicet indigne recipit Corpus & Sanguinem, non vero solum eorum figuram: nisi velis dicere, etiam Iudaeos, indigne sumentes manna aut Agnum Paschalem, reos fuisse perinde Corporis & Sanguinis Domini, cum & illa duo fuerint figurae Christi.

Argumentum II. ex constanti Ecclesiae doctrina.

Indubitatum est vel Sectariis, dogma illud esse verum & a 40
Deo revelatum, quod constanter credidit Ecclesia, etiam

primæva; at dogma de reali Christi præsentia in Eucharistia semper credidit, & docuit Ecclesia, eaque etiam primæva, primis videlicet quatuor seculis, quibus eam incorruptam fuisse fatentur Novatores; dogma igitur hoc verum est, & a Deo revelatum. Contra prop. Min. hic rursum reclamant Novatores; verum & illam utique cogentur fateri certam, si hæc ipsa fuit Patrum, & Conciliorum omnis ævi doctrina, constansque præterea in eam Græcorum & Latinorum consensio: uti re ipsa fuisse comprobabimus. Et quidem

41 Probatur I. quoad Patres, referendo eorum sensa. Ita Seculo I. Ignatius M. Ep. ad Smyrn. apud Theodoretum Dial. 3. inter Hæreticos sui temporis recenset eos, qui *Eucharistiam & oblationes non admittunt, quod non confiteantur Eucharistiam esse carnem Servatoris N. I. C. quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater sua benignitate suscitavit.* Sec. II. Iustinus M. Apol 2. sub finem Eucharistiam vocat *alimoniam*, quam *incarnati illius Iesu carnem & sanguinem esse docti sumus.* Et Irenæus L. 4. C. 34. Valentinianos carnis resurrectionem negantes sic arguit: *quomodo dicunt carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ a Corpore Domini & Sanguine alitur?* Sec. III. Tertullian. L. de Resur. Car. C. 8: *caro Corpore & Sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur.* Item Origenes Hom. 5. in diversa loca Evangelii, *quando*, inquit, *vitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis Corpus & Sanguinem Domini; tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur; & tu ergo imitare Centurionem, & dicito: Domine non sum dignus &c.* Eandem veritatem tradit Cyprianus Serm. de lapsis. Sec. IV. Cyrillus Hierosol. Catech. Mystagogica 4. relata institutione Eucharistiæ & Christi verbis, sic pergit: *cum igitur Christus ipse sic affirmet: hoc est Corpus meum, quis audeat dubitare? ac eodem dicente: hic est Sanguis meus, quis dicat non esse illius Sanguinem? Aquam mutavit in vinum - - sola voluntate; & non erit dignus, cui credamus, quod vi-*

num

num in Sanguinem transmutasset? quare cùm omni certitudine Corpus & Sanguinem Christi sumamus &c. Ambrosius L. 4. de Sacram. C. 4. *ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi, - - Si tanta vis in sermone Domini IESU, ut inciperent esse, quæ non erant: quanto magis operatorius est, ut quæ erant, in aliud commutentur? - - non erat Corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi, quod jam Corpus est Christi. Ipse dixit, & factum est &c.* Idem docent Chrysostom. Hom. 51. in Matth. & 60. ad popul. Antioch. item Athanasius apud Theodoret. Dial. 3. Hilarius L. 8. de Trinit. & alii cum Basilio & Gregor. Naz. Pro Sec. V. sunt Leo M. Serm. 6. de Iejunio. Hieronymus in C. 1. Ep. ad Tit. Cyrillus Alexandr. in Explicat. 12. Anathematismorum contra Nestor. Pro omnibus audiatur Augustinus in Ps. 13. Conc. 1. *ferebatur Christus in manibus suis, quando commendans ipsum Corpus suum ait: hoc est Corpus meum; ferebat enim illud Corpus in manibus suis &c.* Videatur & L. 2 contra Adversarium legis C. 9.

Pro Seculis reliquis Patres apud Bellarm. L. 2. de Euch. reperies; sed nec eos recensere necessum est, quando Novatores potissimum ad hæc prima Ecclesiæ Secula provocant. Profecto autem si laud. Patrum sensa animo veritatis studioso attendantur, fatendum est, eos in Eucharistia verum ac reale Christi Corpus & Sanguinem agnovisse. Nullius certe illi figuræ, signi, imaginis, aut nudæ memoriæ Corporis Christi mentionem isthic injiciunt: quin apertis plane ac simplicibus verbis ipsum Christi Corpus esse asserunt, pro eo pugnant &c. ut adeo mirum sit, etiam perspicatiores Novatorum quosdam a Claudio in fraudem induci potuisse, quasi vero doctrina hæc primum a Paschasio Sec. IX. in Ecclesiam Catholicam invecta fuerit.

Probatur II. quoad Concilia, quæ (ne eadem repetamus) 42
videantur pro fronte hujus libri. Leges in iis omnibus, jam

inde a Conc. Nicæno I. in Euchariſtia afferi Corpus Chriſti ſine ulla diſtinctione, limitatione, aut mentione figuræ; quin quædam aperte profitentur, carnem illam eſſe veram ac propriam Chriſti carnem; docent ipſam panis in Corpus & vini in Sanguinem tranſubſtantiationem; aliqua etiam ex propoſito pugnant contra eos, qui Euchariſtiam aſſerebant eſſe figuram duntaxat & imaginem Corporis Chriſti. Conſulantur ibid. relata Concilia, Epheſinum, Nicænum II. Lateranenſe IV. Conſtantienſe, Florentinum, & Tridentinum; quibus addenda & illa, in quibus Joannis Scoti & Berengarii errorem damnatum N. 30. & 31. indicavimus.

43 Probatur III. quoad Græcorum & Latinorum conſenſionem. Eſt autem illius triplex invictiſſimum argumentum; 1*mo* Græcorum ac Latinorum Patrum jam cit. ſenſa conſentientia. 2*do*, quod nec Latini Græcis, nec Græci Latinis, cum inter eos tentata aut etiam inita fuit unio, de reali Chriſti præſentia errorem unquam objecerint; neque de hoc ulla ab iis excitata eſt controverſia, ne quidem a Photio Schiſmatis auctore; quin conſtat Latinos coram Græcis, hosque coram illis Miſſas celebraſſe, omnibus Sacra Euchariſtiæ Myſteria adorantibus. Ita Joannes Papa I. rogatus a Patriarcha Epiphanio, ipſo Paſchatis die Conſtantinopoli Miſſam peregit An. 525. in qua eadem Eccleſia Agapetus An. 536. ac dein Vigilius PP. Sacris operati ſunt: nihil ut dicam de Eugenio IV. Florentiæ Sacrificante coram Græcis & Latinis, ſimul Euchariſtiam adorantibus. 3*tio*, quod cum Lutherani & Calviniani circa Annum 1570, & 1574. Græcos in ſuorum, ac nominatim de Euchariſtia, dogmatum communionem vocare voluerint, ab illis omnino rejecti ſint: Cyrillus etiam Lucar, Patriarcha Conſtantinopolitanus, cum Calvinianis *dogmatizans*, & (præter alia) *non credens panem & vinum tranſmutari in Corpus & Sanguinem Chriſti*, condemnatus ſit in pluribus Græcorum Synodis; ac denique, quod cum Coreſſio, Meletio Syrigo, & Nectario com-

complures alii Græcorum acerrimis Scriptis insectati sint eos, qui Græcam Ecclesiam Lutheranorum aut Calvinianorum erroribus accessisse calumniati sunt.

Consule de hoc argumento Auth. Per. Fidei, Tomis quatuor integris ex proposito disserentem de perpetua Græcorum & Latinorum circa Mysterium Eucharistiæ concordia: quod ipsum etiam Tomo quinto sparsim egregie demonstrat. Consulenda item Gennadii, Meletii, Nectarii & aliorum Græcorum de Eucharistia Scripta, quæ Eusebius Renaudotius edidit, & observationibus criticis illustravit. Haud inutile etiam fuerit in memoriam revocasse ea, quæ nos ipsi de Græcorum & Latinorum in materia Sacramentorum consensione superioribus Libris sparsim insinuavimus, præsertim L. I. N. 8 & 51. item L. III. N. 5.

Respondetur Sacramentariorum Objectionibus.

Momenta, quibus Sacramentarii realem Christi in Eucharistia præsentiam impugnant, aut impugnare possunt, prolixe refert ac etiam refellit Bellarm. primis tribus LL. de Euch. & quidem L. I. ea, quæ ex S. Literis, II. quæ ex Patribus, III. quæ ex ratione petuntur. Idem in præsenti & nobis erit ordo; quamvis autem in hoc cum Sectariis congressu potissimum laud. Bellarmini ductum sequi constitutum habeamus: nostra nihilominus etiam quandoque ac aliorum Doctorum proferemus sensa, ea videlicet, quæ ad illustrandum & confirmandum Ecclesiæ dogma peculiaris aliquid lucis & momenti collatura censuerimus.

Objecta ex SS. Literis.

Objiciunt I. Christum illis Joan. 6. verbis, *panis, quem ego dabo &c.* locutum fuisse duntaxat de manducatione spirituali, quæ fit per fidem; locus igitur hic nihil confert ad pro- 44

bandam realem Christi præsentiam in Eucharistia. Ant. prob. ex eod. C. 6. ubi Christus V. 27. ad Judæos: *operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam;* quærentibus autem illis, *quid faciemus, ut operemur opera Dei?* respondit: *hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille;* ac rursum petentibus, *da nobis panem hunc*, dixit: *ego sum panis vitæ; qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me non sitiet unquam;* quæ omnia de pane ac cibo in sensu improprio & figurate sumpto, deque sola spirituali per fidem manducatione Christi intelligenda esse nemo controvertit; ergo & verba priora.

Resp. N. Ant. Illationem pariter probationis negandam esse certum fit ex contextu cit. Capitis, cujus tres partes ab invicem secernere oportet. Primum quippe illic a V. 5. usque ad 14. Christus agit de pane materiali per prodigium multiplicato; dein a V. 27. ad 51. de se ipso, ut pane spirituali per fidem manducando, seu credenda sua divinitate & incarnatione; ac demum a V. 51. de Eucharistia verbis illis, *Panis quem ego dabo, caro mea est &c.* In hac porro parte tertia loqui Christum de vero suo corpore, ejusque reali manducatione, ita arguo. Christus promittit se daturum quidpiam novi in futuro manducandum, quod nondum manducaverunt Israelitæ, *non sicut manducaverunt manna Patres vestri, & mortui sunt, - - si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita,* V. 49. & 52. atqui Israelitæ jam antea manducaverant figuram Christi, nempe manna, panes propositionis &c. item, manducatio Christi per fidem non erat primum futura: sic enim jam Christum manducaverant omnes justi, cum nemo unquam justificari potuerit sine aliqua fide in Christum; promissio igitur illa non spectabat figuram duntaxat Christi Corporis, aut ejus per fidem manducationem: sed verum ejus Corpus, veramque ejus in sensu proprio manducationem. Adde SS. PP. idem sen-

ſentientes, ut eſt Baſilius L. 1. de Bapt. C. 3. Hieronymus Ep. ad Hebidiam, Auguſtinus in Joan. Tract. 26. & 27. Denique huc faciunt ea, quæ ſupra N. 38. notavimus.

Inſtant I. Chriſtus promiſſi cibi, ejusque manducationis 45 effectum ſignificans eod. C. V. 55. ait: *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* - - & V. 57. *in me manet, & ego in illo;* at vita æterna non datur niſi ſpiritualiter, ſeu per fidem Chriſtum manducantibus: manſio item illa Chriſti in nobis, & noſtri in illo, eſt ſolum ſpiritualis, nempe per gratiam; ergo tota illa cibi & manducationis promiſſio figurate ſolum, & non in ſenſu proprio eſt intelligenda.

Reſp. ad prop. Min. ac primum quidem quoad 1*mam* ejus partem: vita æterna non datur niſi ſpiritualiter manducantibus in ſenſu poſitivo Conc. ſenſu excluſivo N. Nempe, ut Chriſti Corporis manducatio operetur in nobis vitam æternam, neceſſe eſt eam conjungi cum fide in Chriſtum, nec ſufficit eſſe mere materialem & realem: inde juxta Apoſt. 1. Cor. 11. multi Corpus Chriſti manducantes judicium ſibi manducant; at hæc manducatio ſpiritualis non excludit realem. Quod vero 2*dam* part. attinet, dico: manſionem illam non ſolum eſſe ſpiritualem, per gratiam videlicet, ſed etiam corporalem, ita ut perdurantibus Euchariſticis ſpeciebus realiter ſit nobis præſens Chriſtus, nosque illi; inde S. Cyrillus Alex. L. 10. in Joan. ſumptione Euchariſtiæ fieri nos Chriſti *concorporales* aſſerit.

Inſtant II. Diſcipulis, ad verba illa de *pane*, *carne*, horumque *manducatione* ſcandalizatis & murmurantibus, eod. C. V. 64. Chriſtus dixit: *Spiritus eſt, qui vivificat, caro autem non prodeſt quidquam; verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt;* quibus dictis Chriſtus ſignificavit, verba illa priora non eſſe ad literam & carnaliter accipienda, ſed figurate & ſpiritualiter; ergo adhuc &c. 46

Reſp.

Resp. cum Maldonato in cit. locum, Christum verbis illis, *caro non prodest &c.* non loqui de carne sua, sed de carnalibus hominibus, qui videlicet de divinis mysteriis secundum carnem & sensum judicant, quasi diceret: Spiritus Dei est, qui excitat, & dat fidem ac intelligentiam divinorum mysteriorum, de quibus sunt verba, quæ locutus sum vobis; hinc, quia vos adhuc carnales estis, ea non creditis, nec intelligitis. Expositionem porro hanc Maldonatus firmat authoritate Patrum, Tertulliani, Origenis, Cyrilli Hierosf. ac præsertim Chrysostomi Hom. 46. in Ioan. dicentis: *quomodo igitur ait, caro non prodest quidquam? non de sua carne dicit, - - sed de his, qui carnaliter accipiunt, quæ dicuntur.* Nimirum (quod notat August. Tract. 27. in Ioan.) Capharnaitæ & quidam Discipulorum, audita Christi promissione, existimabant eum loqui de carnis suæ comestione vulgari, quasi vero promitteret manducandam illam modo carnis proprio, sub propria specie, & per partium divisionem; quo igitur errorem hunc dedoceret illos Christus, cit. V. 64. verbis innuit, dicta sua priora non ad carnis sensum, sed ad Spiritus judicium exigenda esse; neque de vulgari illa, sed supernaturali & sacramentali, quæ sub specie aliena futura erat, manducatione intelligenda. Audi ipsum Augustinum in supra laud. Tract. *O Domine*, inquit, *quomodo caro non prodest quidquam, cum tu dixeris, nisi manducaveritis carnem meam, non habebitis vitam in vobis? an vita non prodest quidquam? non prodest: sed quomodo illi intellexerunt; carnem quippe intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo Spiritu vegetatur &c.*

47 Objiciunt II. Verba institutionis Eucharistiæ, *hoc est Corpus meum*, item *hic est Sanguis meus &c.* Sumenda sunt figurate: nam τò *sum* crebro in scripturis usurpatur pro *significo*, ut in illo Exod. 12. *est enim Phase, seu transitus Domini;* item cum Ioan. 1[illegible] Christus de se dixit, *ego sum vitis vera;*

ra; verba igitur institutionis nihil conferunt ad probandam realem Christi Corporis in Eucharistia præsentiam.

Argumentum hoc est Zwinglii, qui in Ep. ad Romanum fatetur, quod tametsi jam antea pluribus annis crediderit Eucharistiam esse tantum imaginem Corporis Christi, ignorasse se tamen *verba ista*, *hoc est Corpus meum*, *exponi debere per ista*, *hoc significat Corpus meum*; ac omnino expositionem hanc primum didicit ex Epistola Hunnii. Institit vero illi deinde pertinaciter adeo, ut pro ea in Senatu Tigurino biduo disputaverit; ut ipse scribit L. de subsidio Eucharistiæ; ubi & illud addit, disputanti sibi Scribam quemdam ita restitisse, ut non haberet, quo verbis suis fidem facere posset: *sed tandem* (quod ipse notat) *nocte sequenti dormienti sibi adstitisse nescio quem (ater an albus fuerit, nihil memini) qui moneret, eum locum Exod.* 12. *arriperet*, *est enim Phase*, *id est*, *transitus Domini*; *ubi verbum est*, *pro* significat *accipitur*. En! Zwinglii de Eucharistia doctrinam in somnio fundatam, ejusque subnixam auctoritate, de quo illi perinde est, ater an albus fuerit.

Resp. N. Assertum. Nec probat quidquam adjecta ratio: ut plurimum enim in Scriptura τὸ *sum* in proprio ac literali sensu usurpatur; ac si quando pro *significo* sumitur, acceptio hæc impropria colligi debet ex contextu, vel subjecta materia, aut ex ratione evidente: nihil autem horum cogit verba institutionis hoc sensu accipi. Atque hinc est discrimen ad textus in probatione relatos. Cum enim in cit. Exodi loco explicetur *Phase*, ac ex usu loquendi τὸ *id est* explicationem indicet, verba illa congrue hoc sensu exponuntur: *agnus significat transitum Domini*. Sunt interim, qui hoc etiam loco τὸ *est* proprio sensu accipiendum putent, subintellecta voce *victima*; idque propterea, quod propositio illa Cap. eod. V. 26. & 27. ita explicetur: *cum dixerint vobis filii vestri*, *quæ est ista religio*? *dicetis eis*: *victima transitus Domini est*. In altero loco, quo se Christus dixit *vitem*, verba hæc accipienda esse figurate, de-

clarat contextus & sermonis circumstantiæ, ut patebit cit. locum expendenti. Quid quod in hac propositione, *ego sum vitis* (idem est de similibus aliis, quæ in Scriptura occurrunt) aperta sit repugnantia termini prædicati cum altero subjecto; nequeunt igitur hæc conjungi per verbum *sum* in sensu proprio acceptum. Nulla ex adverso est repugnantia in his, *hoc est Corpus meum*, *hic est Sanguis meus*, ut quæ in sensu orthodoxo ita exponenda sunt: *hæc res*; *quæ sub his panis & vini speciebus continetur*, *est Corpus meum*, *& Sanguis meus.* Unde eædem propositiones quamvis sint identicæ quoad rem enuntiatam, non tamen etiam quoad modum enuntiandi.

48 Instant I. Christus juxta Matth. accepit panem, benedixit, fregit, & dedit discipulis, dicens: *hoc est Corpus meum;* atqui panis, quem accepit & benedixit, erat verus panis: ergo etiam verum panem dedit: id igitur quod dedit, non erat ipsum Christi Corpus, sed tantum figura illius; atque sic verba hæc, *hoc est Corpus meum*, figurate duntaxat sunt intelligenda.

Item 1. Cor. 11. verba Calicis consecratoria hæc leguntur: *hic Calix novum testamentum est in meo Sanguine*, quæ locutio est figurata; *Calix* enim sumitur per metonymiam pro re in eo contenta: res præterea hæc ipsa dicitur *testamentum*, cum sit tantum signum testamenti; ergo institutionis verba in sensu improprio accipienda sunt, ita ut significent panem & vinum esse figuras Corporis & Sanguinis Christi: unde rursum patet in illis τὸ *est* sumendum esse pro *significat.*

Resp. ad 1*mum*, C. Maj. Dist. Min. panis ille erat verus panis, hic ipse tamen per consecrationis verba transiit in substantiam Corporis Domini, Conc. secus N. Nempe ad eorum, quæ Evangelista recitat, veritatem sufficit, ut id, quod Christus dedit discipulis, fuerit panis ante consecrationem: per hanc ipsam autem factum sit Corpus Christi.

Ad

Ad 2*dum* C. Ant. N. illationem, ut ea fit a Novatoribus; neque enim propterea, quod una aut altera propofitionis vox figurate fumatur, omnes etiam reliquæ voces in fenfu alieno accipiendæ funt. Cæterum figura, quæ in voce *Calix* occurrit, alioquin nota eft cuique; eam infuper Matthæus & Marcus clare explicant, cum formam confecrationis referunt his verbis, *hic eft Sanguis meus &c.* Idem eft de figura in voce *teftamentum* contenta; nam & illam dilucide exponunt laud. Evangeliftæ per verba: *hic eft Sanguis meus novi teftamenti, qui pro vobis effundetur &c.* Interim τὸ *teftamentum* nihil vetat in fenfu proprio accipere; cum Sanguis Chrifti fit revera inftrumentum legitimum, quo in Lege nova digne fufcipientibus applicatur jus ad gratiam & gloriam.

Inftant II. Si verba confecrationis fenfu proprio accipienda fint, fequitur, Chriftum in Euchariftia etiamnum effe nobifcum in terris; id vero fuftineri nequit, cum ipfe Chriftus Matth. 26. dixerit, *pauperes femper habetis vobifcum, me autem non femper habebitis;* & Ioan. 14. *relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Item, Euchariftiæ confectionem & miniftrationem Chriftus fieri voluit in fui memoriam juxta illud ad Apoftolos Luc. 22. *hoc facite in mei commemorationem*; commemoratio autem fit de abfentibus, non præfentibus. Pluribus igitur locis in Evangelio Chriftus declaravit, fe non effe in Euchariftia præfentem vere ac realiter, fed tantum improprie, hoc eft, in figura & imagine. 49

Refp. ad 1*mum*, utrumque textum intelligendum effe de præfentia Chrifti in fpecie propria vifibilis; id vero non impedit, quo minus nobifcum maneat in Sacramento fub fpecie aliena, præfertim cum ipfe Matth. ult. dicat: *ecce ego vobifcum fum omnibus diebus ufque ad confummationem seculi.*

Ad 2*dum* refponfionem fuggerit Apoftolus, verba cit. Chrifti 1. Cor. 11. ita explicans: *quotiescumque manducabitis*

tis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis; voluit igitur Christus in Eucharistia commemorationem fieri suæ passionis, quæ est præterita. Cæterum in hoc Sacramento recte fit memoria ipsius Christi, ut qui a nobis absens est sub specie propria, tametsi præsens sit sub specie aliena.

Objecta ex Patribus.

50 Objiciunt I. Patres quosdam verba illa, *nisi manducaveritis carnem filii hominis &c.* non accipere in sensu proprio de manducatione reali Corporis Christi; ita Clemens Alex: exponit illa de verbo Dei, Basilius de mystico adventu Christi, Hieronymus de Scripturis &c. ad mentem igitur Patrum ex illis & similibus Christi verbis non recte infertur realis præsentia Christi in Eucharistia.

Resp. expositio hæc mystica Patrum non excludit sensum literalem: idem enim Scripturæ locus sæpe utrumque sensum habet, imo mysticus supponit literalem. Fuit vero id Patribus prorsus familiare, ut eundem textum nunc in literali, alias in mystico & figurato sensu exponerent; ita ex objectis Patribus cit. Christi verba de reali ejus Corporis manducatione exponunt Basilius L. I. de Bapt. C. 3. & Hieron. Ep. ad Hebidiam. Verum

51 Urgent I. auctoritate Augustini, quasi vero is verba illa Christi in sensu exclusivo de sola manducatione spirituali per fidem intelligi velit. Quæ autem in hanc rem ex Augustino proferunt, sunt hæc. Tract. 25. in Joan. ait: *quid paras dentes & ventrem? crede & manducasti.* Et Tract. 26. *credere in eum, hoc est manducare panem vivum.* Item L. 3. de Doctr. Christ. C. 16. *si præceptiva locutio - - flagitium aut facinus videtur jubere, - - figurata est; Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis: facinus vel flagitium videtur jubere; figura ergo est,* *præ-*

præcipiens passioni esse communicandum, & suaviter in memoria recondendum, quod caro ejus pro nobis crucifixa sit.

Resp. frustra Novatores apud Augustinum malæ suæ causæ quærere patrocinium. Fatemur equidem in duobus primis textibus illum verba Christi non literaliter, sed mystice explicare; at propterea literalem eorum sensum non excludit, cum aliis locis realem & Sacramentalem Corporis Christi manducationem aperte doceat, ac nominatim per decursum in Laud. Tract. 26. Clarissime id ipsum tradit Tract. 27. cum ait: *hoc ergo totum ad hoc nobis valeat, ut carnem Christi & sanguinem non edamus tantum in Sacramento, quod & multi mali; sed usque ad spiritus participationem manducemus, & bibamus.* Atque istud notandum est pro explicandis iis etiam Patribus, qui dicunt impios non manducare Corpus Christi in Eucharistia; conformiter nempe ad mentem Augustini a malis Corpus Christi manducatur quidem Sacramentaliter & realiter: at non spiritualiter, seu ad participationem spiritus, & refectionem spiritualem, quæ habetur per gratiam.

De tertio Augustini textu id habe: verba illa, *nisi manducaveritis &c.* ait non esse accipienda ad literam in sensu Capharnaitarum, de quo vide N. 46! sic enim accepta jubere videntur flagitium, dilaniationem videlicet, & divisionem Corporis Christi. Eorundem interim verborum sensum literalem supponit, imo & aperte docet alibi de reali manducatione, ea nimirum, quæ sine flagitio fit, dum Christi Corpus sub aliena specie Sacramentaliter manducatur. Audi de hoc S. Doctorem L. contra adversarium Leg. & Proph. C. 9. ubi, *Jesum Christum*, inquit, *carnem suam nobis manducandam - - dantem, fideli corde & ore suscipimus; quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere &c.* Cum autem in cit. L. de Doctr. Christ. dicit, verba illa Christi intelligenda de communicatione passionis ejus, id solum vult: sumendam

 esse

esse Christi carnem sacramentaliter in memoriam passionis & mortis Domini, quod ipsum monet Apost. 1. Cor. 11.

52 Urgent II. sensus literalis eorum verborum omnino excludendus est ex mente Origenis Hom. 7. in Lev. *si enim*, inquit ille, *secundum literam sequaris hoc, quod dictum est, nisi manducaveritis &c. occidit hæc litera.*

Resp. ex mente Origenis verba illa non esse accipienda tantum ad literam, hoc est, sine ulla adjunctione mysterii, sicut accepta sunt a Capharnaitis, seu, quod idem est; quamvis intelligi debeant literaliter quoad substantiam manducationis: non tamen etiam quoad manducationis modum vulgarem ac ordinarium.

53 Objiciunt II. Veterum Patrum complures Eucharistiam vocant imaginem, figuram, signum Corporis Christi; ergo veteris Ecclesiæ saltem universæ non fuit idem, qui nunc, sensus de reali præsentia Christi in Eucharistiæ Sacramento. Præcipuos tres e Patribus, ad quos Novatores provocare solent, nominabimus.

Tertullian. L. 1. contra Marcionem dicit, Christum *Corpus suum repræsentasse in pane;* & L. 4. *Corpus suum*, inquit, *panem fecit, hoc est Corpus meum dicendo, id est, figura Corporis mei.* Chrysostomus Hom. 11. Oper. imperf. in Matth. *in vasis sanctificatis non est verum Corpus Christi, sed mysterium Corporis ejus continetur.* Augustinus L. contra Adimantium C. 12. *non dubitavit Christus dicere, hoc est Corpus meum, cum daret signum Corporis sui.* Denique in Enar. Ps. 98. *non hoc Corpus, quod videtis, manducaturi estis, - - Sacramentum aliquod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos &c.* Quæ ex Patribus aliis adferunt, fere cum his coincidunt.

Resp. I. generatim: Patrum aliquos nonnunquam obscure, figurate & mystice loqui, seu quod mysterium hoc voluerint occultum esse infidelibus; seu quod sciverint a fidelibus eo tempore, quo nondum enata fuit Sacramentariorum hære-sis,

ftis, in fano fenfu fe intelligendos. Inde ut de iis cenferi poffit, attendendus eft contextus fermonis, combinanda item alia loca, ac denique dicta eorum exponenda conformiter ad textum facrum. Neque autem mirum videri debet, Euchariftiam nominibus memoratis compellari: tametfi enim illa fit vere ac realiter Corpus & Sanguis Chrifti, fimul tamen eft fignum, figura & imago repræfentans eadem, prout videlicet Corpus & Sanguis Chrifti, funt immolata in cruce. Item Corpus Chrifti fub aliena fpecie latens in Sacramento eft figura ejusdem ut fub fpecie propria exiftentis, ac fub hac nati, paffi, & mortui in cruce. Hoc certe fenfu Chriftus, in fpecie hortulani olim apparens, fuit figura fui ipfius. Atque his in genere notatis,

Refp. II. in particulari. Tertulliani textus primus hunc fenfum facit: Chriftus *in pane* apparente, feu fub fpeciebus panis, Corpus fuum *repræfentavit*, hoc eft, præfens exhibuit. Hoc eodem certe fenfu L. 4. contra Marcion. C. 22. dixit, in monte Thabor Deum Patrem Filium fuum *repræfentaffe*: ubi indubie Chriftus vere ac realiter præfens fuit. In altero autem cit. textu *figuram* vocat in fenfu fupra expofito in Refp. I.

Locus ex Chryfoftomo citatus ad rem præfentem non facit: neque enim illic agitur de Euchariftia, fed de vafis templi Salomonis, quæ Balthafar profanavit. Quid quod textus idem fufpectæ fit fidei, cum in multis exemplaribus Operis imperf. non reperiatur: imo Opus hoc ipfum communi hodiernorum Criticorum judicio non eft Chryfoftomi, fed cujusdam alterius Auctoris, præfertim cum in eo legantur quædam doctrinæ illius contraria, & aperte hæretica. Idem efto judicium de Commentario in Pf 22. & Epift. ad Cæfarium, quæ fub nomine Chryfoftomi ifthic contra nos a Novatoribus citantur, utrumque enim hoc Opus non effe genuinum illius fætum probat Bellarminus. De Epift. ad Cæfarium nominatim,

quæ

quæ maxime oggeritur, jure dubitari poteſt; nam nec veteres ejus meminerunt; impugnatur præterea in illa ex propoſito Neſtorii hæreſis, quæ vivente Chryſoſtomo ſparſa nondum fuit. Vide Natalem Alex. in Hiſt. Eccl. Sec. XI. & XII. Diſſ. 12.

Ad Auguſtinum denique dico: cum in L. contra Adimant. Euchariſtiam vocat *ſignum*, non intelligit ſignum nudum & vacuum, ſed plenum re ſignificata. Ut enim jam ſupra innuimus, res eadem poteſt eſſe ſignum comparate ad ſe ipſam ſub diverſa ratione. Atque ſic Euchariſtia eſt ſignum Chriſti, quia ſpecies panis & vini ſignificant Chriſtum, quem per modum cibi & potus continent; quin Chriſtus ipſe ſub his ſpeciebus contentus eſt ſignum & figura ſui ipſius, ut olim paſſi & mortui. Verbis autem in Pſ. 98. cit. id voluit unum, quod non ſit manducandum Chriſti Corpus in propria ſpecie, viſibile, ac mortale, quale fuit ante paſſionem: verum in ſpecie aliena, inviſibile, ac impaſſibile. Ita porro exponendi hæc verba fundamentum præbent cum alia Auguſtini loca, quibus aperte aſſerit verum Chriſti Corpus in Euchariſtia manducari: tum etiam quod in laud. Enarrat. inducat Chriſtum reſpondentem iis, quibus (ut S. Doctor refert) *durum viſum, quod ait: niſi quis manducaverit carnem &c. acceperunt illud ſtulte, & carnaliter cogitaverunt, & putaverunt, quod præciſurus eſſet particulas quaſdam de Corpore ſuo, & daturus illis &c.*

Objecta ex ratione.

54 OBjicitur I. ab impoſſibili. Etenim 1*mo* idem Corpus non poteſt eſſe in pluribus locis; ex dogmate autem præſenti ſequitur Corpus Chriſti non tantum in Cælo eſſe, ſed in terra etiam, & quidem in tot numeroſis conſecratis hoſtiis. 2*do* In Euchariſtia Chriſti Corpus caret proprietatibus Corporis: nequit enim videri, palpari, non eſt quantum &c. ergo nequit eſſe verum ac reale Corpus.

Reſp.

Resp. ad 1*mum*, idem corpus non posse simul in pluribus locis esse spectato ordine naturæ Conc. nec quidem divinitus, Deo videlicet virtute summa præter & supra naturæ ordinem operante N. uti istud ex Philosophia isthic suppono. Ex qua etiam facile resolves contradictionem, quæ ad speciem sequi videtur ex hoc prodigioso existendi modo. Neque enim vera est contradictio, nisi eadem sit de eodem sub eadem ratione; Corpus autem Christi in variis locis existens, tametsi unum idemque sit, non habet attamen eumdem præsentiæ localis modum: hinc ratione hujus diversæ quoad locum existentiæ sine ulla contradictione enuntiari de illo potest, quod manducetur in terra, non in cælo: existat in cœlo, desinat in terra existere &c.

Resp. ad 2*dum*, Corpori Christi in Eucharistia nihil veri Corporis, modo attamen supernaturali existentis, proprietatum deesse: ita videtur, palpatur &c. at hæc omnia ei conveniunt sub aliena duntaxat specie. Idem habet quantitatem, seu extensionem suam, & quidem sub qualibet minima sensibili particula speciei Eucharisticæ; de quo vide infra N. 59.

Objicitur II. ab inconvenienti. Nempe 1*mo*, Eucharistia 55 manducatur, eamque manducans nutritur; 2*do* eadem concluditur pixide, conculcatur nonnunquam, a muribus corroditur, corrumpitur, generantur ex ea vermes &c. quæ omnia sine inconvenienti de Christi Corpore dici nequeunt. 3*tio* maxime inconveniens & absurdum est, quod arguunt ex ratiocinio Stercoranistarum ducto ex illis apud Matth. C. 15. verbis: *omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur.*

Resp. ad 1*mum* & 2*dum*, ipsum omnino Christi Corpus (sub speciebus attamen alienis) manducari, pixide concludi, conculcari etiam nonnunquam; at quid absurdi in his ex parte ipsius Christi? qui jam ante, sine ullo utique suo inconvenienti, pro nobis ligari funibus, alapis & flagellis cædi, infami etiam crucis patibulo affigi sustinuit. Quod autem ad reliqua attinet, ut est nutritio per Eucharistiam, ejusdem corrosio,

corruptio, vermium ex ea generatio &c. hæc omnia non ad ipſum Chriſti Corpus, ſed ad ſpecies duntaxat Euchariſticas referenda ſunt. Summa videlicet virtute ſua hujusmodi effectus præſtat ipſe Chriſtus; hoc ipſo enim, quod in Euchariſtia panem in Corpus, & vinum in Sanguinem ſuum converti voluerit remanentibus panis & vini ſpeciebus, ſtatuit ſimul omnes illas affectiones, quas panis & vinum alias cauſat, tam in ſenſibus noſtris, quam in vicinis corporibus per ſe ipſum efficere: nec impedire cauſas naturales, quo minus ita agant, quaſi ſub memoratis ſpeciebus ſuum Corpus non eſſet præſens. Vermes proinde non ex illo, ſed ut alias ex ovulis per inſecta depoſitis generantur; ad præſentiam ſpecierum Euchariſticarum ipſe Chriſtus actione prodigioſa corpus noſtrum nutrit, vires naturales roborat &c. vel certe corruptis ſpeciebus Euchariſticis, recedente Chriſti Corpore, prior panis ſubſtantia reſtituitur, per quam fiat nutritio &c. Cur enim divinæ potentiæ, quæ ex nihilo creavit omnia, deſit modus ad præſentiam hujus Myſterii eos effectus producendi, quos ipſa panis ac vini ſubſtantia produceret? quanquam fatendum ſit, qua ratione iſtud re ipſa fiat, myſterium eſſe, quod ignoramus.

Reſp. ad 3*tium*; cum graveolentibus his argutatoribus pudet ac tædet tricari pluribus; ad reprimendos eos notaſſe ſuffecerit, corruptis in ſtomacho ſpeciebus Euchariſticis deſinere pariter præſentiam Chriſti Corporis. Cæterum argumentum hoc perperam dicitur a Stercoraniſtis mutuatum, de quibus, an unquam extiterint? jure dubites cum Cl. Bertio Theol. L. 33. C. 11. melius dixeris enatum ex putida Sectæ Sacramentariæ ſentina.

56 Pro coronide de hujusmodi Sectariorum ratiociniis monitum velim Theologiæ ſtudioſum. Cum de SS. fidei Myſteriis agitur, non argutatione & intelligentia humana opus eſt, ſed fideli intellectus obſequio. *Reſpuit captioſas & inutiles Philoſophiæ quæſtiones fides conſtans, neque humanarum ineptiarum fallaciis ſuccumbens, ſpolium ſe præbet veritas falſitati*, ut monet

net Hilarius L. I. de Trinit. Nimirum (verba sunt Apostoli 2. Cor. 10.) *arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.*

Credunt Novatores SS. Trinitatis Mysterium, quia revelatum est divinitus: tametsi illud & naturæ ordinem, & vim humanæ intelligentiæ excedat. In rebus ipsis naturalibus plurima sunt, quorum naturam & existendi modum nemo unus assequitur; impudentis attamen foret eorum existentiam negare, quæ existere constanti sensuum testimonio experimur. Igitur fateamur licet ultro, vim humani ingenii superare rationem illam, qua se nobis Christus in Eucharistia præsentem sistit: nec penitus nos expedire difficultates, quas humana objicit Philosophia; non tamen idcirco neganda est divinissimi Mysterii veritas, sed confitenda potius nostra infirmitas, & divinæ potentiæ prædicanda magnitudo. Ut enim credatur illud, satis est esse a Deo revelatum. Nempe cum August. Ep. ad Volusian. *dandum Deo, aliquid eum posse, quod fateamur nos investigare non posse;* quando, ut Christus ipse ait Matth. 19. etsi *apud homines hoc impossibile est, apud Deum omnia possibilia sunt.*

Universim itaque argumenta hujusmodi ex mero ratiocinio humano petita, ceu in mysteriis fidei prorsus futilia, rejicienda sunt; ea autem oggerentibus illud Augustini, contra Platonicos pro carnis resurrectione L. 22. de Civ. Dei C. 11. disputantis, reponendum: *Ecce! quibus argumentis omnipotentiæ Dei humana contradixit infirmitas, quam possidet vanitas.*

Corollarium

Hactenus id fategimus, ut veram ac realem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia præsentiam contra Sacramen-

tarios evinceremus; nunc quæ ad ejusdem dogmatis notitiam & pleniorem explanationem præterea faciunt, his tribus capitibus complectemur.

57 I. Quamvis vi verborum consecrationis in Eucharistia solum Christi Corpus sub specie panis, & solus Sanguis sub specie vini ponatur: per concomitantiam attamen totus omnino Christus, Corpus videlicet simul & Sanguis Christi una cum anima & divinitate, sub unaquaque specie, ac etiam sub quavis specierum parte sensibili continetur; id quod definitum est in Concil. Trid. Sess. 13. Can. 1. & 3. Pluribus vero id ipsum ibid. Cap. 3. exponitur his verbis. *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem, verum Domini nostri Corpus, verumque ejus Sanguinem sub panis & vini specie, una cum ipsius anima & Divinitate existere; sed Corpus quidem sub specie panis & Sanguinem sub vini specie ex vi verborum; ipsum autem Corpus sub specie vini, Sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur; Divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore & anima hypostaticam unionem. Qua propter verissimum est tantumdem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri: totus enim & integer Christus sub panis specie, & sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie, & sub ejus partibus existit.*

58 II. Num etiam ante divisionem specierum sub quavis earum parte sensibili totus Christus contineatur, id quidem clare definitum est nondum; rite attamen deducitur ex priore dogmate. Etenim Christus in Eucharistia fit præsens vi verborum consecrationis; atqui hæc verba non proferuntur denuo, dum dividuntur partes hostiæ consecratæ; cum igitur juxta laud. Session. Trident. Can. 3. ac etiam Cap. 3. post divisionem sub quavis specierum particula sensibili totus Christus sit præsens,

sens, dicendum omnino, eum etiam ante divisionem ita præsentem fuisse. Potest autem præsentia hæc ad eum fere modum explicari, quo quidam existimant animam in corpore humano toto totam existere, & totam simul in qualibet ejus parte. Certius in hanc rem exemplum est ab existentia Dei, qui tametsi totus existat in hoc universo, totus nihilominus etiam est in quavis minima universi portione. Inde ex hac doctrina non sequitur, eum, qui integram sumpsit consecratam hostiam, pluries in ea multiplicatum eundem Christum sumpsisse.

III. Modus demum, quo totum Christi Corpus in mini- 59
ma etiam specierum particula sensibili existit, mysterium est, nobis usque huc omnino incognitum. Qui istud investigare adnisi sunt, in varias abierunt sententias. Ego censeo de hoc non esse magnopere laborandum Theologo, quando id neque ab ullo Patrum est explicatum, neque ab ullo Concilio discussum, minus definitum. Si quid tamen dicendum foret, ceu verisimilius assererem: in quavis hujusmodi particula sensibili Corpus Christi existere cum sua extensione, simulque salvo ordine, situ, & figura partium. Hac certe ratione commode salvatur & explicatur, quomodo totus Christus sit in tota consecrata hostia, & totus pariter sub qualibet ejus parte; evitatur etiam partium Corporis Christi confusio: nec quidquam repugnans asseritur, cum corpus animale in minima etiam extensione partium suarum ordinem retinere possit, ut certum est in minutissimis iis animalculis, quæ exilitate sua omnem oculi aciem effugiunt. At istud opinio duntaxat est, non assertum.

§. IV.

Per quam actionem Corpus Christi præsens fiat in Eucharistia?

Asserta reali præsentia Corporis Christi in Eucharistia, ultro quæritur: quæ illa sit actio, per quam Christus reddi-

tur præsens in SS. hoc Myſterio? an videlicet illic exiſtat in & cum pane? an potius tota panis & vini ſubſtantia in Corpus & Sanguinem Chriſti transmutetur per actionem, quæ *tranſubſtantiatio* dicitur? Varii ſunt de hoc Sectariorum errores; imo DD. etiam Orthodoxi, tametſi unum idemque tranſubſtantiationis dogma propugnent, in exponendo tamen illo non conſentiunt.

Sectariorum Errores.

60 I. Berengario (ut ſupra meminimus) de reali Chriſti præſentia opinionem ſuam variante, eamdem ex diſcipulis ejus etiam nonnulli variarunt, ac demum Chriſti Corpus vere ac realiter in Euchariſtia præſens profeſſi ſunt. Verum (ut eſt inconſtans, & novitatis cupida Hæreticorum indoles) ſanam hanc doctrinam errore novo mox corruperunt, ſciſſi & ipſi ab invicem in duas partes. Quidam enim eorum (teſte Guitmundo L. 1. de verit. Corp. Chriſti) docebant, Chriſtum in Euchariſtia præſentem ſiſti per *impanationem* (dicti propterea *Impanatores*) hoc eſt, per unionem hypoſtaticam Chriſti cum pane & vino; ut adeo, ſicut propter unionem Verbi divini cum humanitate recte dicimus, *hic homo eſt Deus:* ita pariter de pane Euchariſtico liceat dicere, *hic panis eſt Chriſtus.* Alii contra (ut ſcribit laud. Guitmundus) rejecta hac unione hypoſtatica, ſatis habebant aſſerere: utramque panis & Corporis Chriſti ſubſtantiam in Euchariſtia conjungi, *Conſubſtantiatores* vocati idcirco. Quis porro ſectas has primus excitarit, nondum certo exploratum eſt; Bellarminus L. 3. de Euch. C. 11. Impanatorum auctorem facit Rupertum Abbatem Tuitienſem, at reclamat Gerberon in ſua Apologia; veriſimilius videtur, utriusque erroris ſemina jeciſſe inconſtantem Berengarium. Illud certum, jam ſub initium Seculi XII. tam Impanatores quam Conſubſtantiatores graſſatos fuiſſe; ex Impa-

Impanatorum præterea Schola originem duxisse *Ubiquistas* Sectarios, existimantes Corpus Christi perinde *ubique* esse ac ipsum Verbum, idque propter unionem hujus cum illo.

II. Ad nostram quod attinet ætatem, nullos jam hodie 61
(quod sciam) Impanatores reperias; Consubstantiatorum ex adverso errorem etiamnum pervicaciter propugnant Lutherani, ut adeo contra eos potissimum isthic nobis agendum sit. Admissa nempe illi vera ac reali præsentia Christi, negant fieri transmutationem substantiæ panis & vini in substantiam Corporis & Sanguinis Christi; verum utramque hanc substantiam simul in Eucharistia remanere contendunt. Neque dubium esse potest, errorem hunc illos hausisse a Magistro suo Luthero. Quamvis enim is, pro more suo, in doctrina hac sibi non constaret; ac jam transubstantiationem negaret: alias concederet; nunc pro arbitrio cujusque eam negandi vel profitendi facultatem permitteret; certum attamen est, ab eo fuisse excitatam L. de Capt. Bab. Consubstantiatorum doctrinam. Quin eidem illum denique adhæsisse argumento est Ep. ad Henricum VIII. Angliæ Regem An. 1522. data, in qua hæc scribit: *nunc transubstantiare volo sententiam meam, & dico: antea posui nihil referre, sive sic, sive sic sentias de transubstantiatione; nunc autem decerno, impium & blasphemum esse, si quis dicat, panem transubstantiari.*

Doctrina Catholica,
& in exponenda illa variæ DD. opiniones.

I. Constans jam inde a principio Ecclesiæ Catholicæ sensus 62
fuit, in Eucharistia panem & vinum converti in Corpus & Sanguinem Christi; vocis interim *transubstantiatio* (quæ in re idem significat) communis usus primum inductus est in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. Sec. XIII. celebrato, quod

con-

converſionem hanc definiens, *Corpus & Sanguinem Chriſti*, ait, *ſub ſpeciebus panis & vini veraciter contineri, tranſubſtantiatis pane in Corpus & vino in Sanguinem Chriſti.* Ab eo tempore *tranſubſtantiationis* nomen paſſim uſurpatum eſt ab omnibus, etiam Scholaſticis; verum (ut eſt Scholarum genius) cum de actionis hujus natura explananda, plus quam neceſſe erat, quidam eſſent ſoliciti, variæ inter DD. enatæ ſunt opiniones. Et quidem

Joannes Pariſienſis e D. Dominici familia Sec. XIV. tranſubſtantiationem a Conc. Lateranenſi aſſertam ita explicandam cenſuit, ut diceret, panem eatenus Corpus Chriſti effici, quatenus vi conſecrationis hypoſtatice aſſumeretur a Verbo, non quidem immediate, ne diceretur, *Deus eſt panis:* ſed mediante Corpore. Hanc interim ſuam opinionem Eccleſiæ judicio ſubmiſit Joannes; inde, cum ei de conſilio Epp. & DD. quorumdam a Willelmo Ep. Pariſ. ſilentium ſubinde imponeretur, omnino conticuit.

Eodem Seculo Durandus Ep. Anicien. in 4. diſt. 11. qu. 3. docuit, ſolam panis formam, non etiam materiam tranſire in Corpus Chriſti, *ſalvo tamen* (quod addit) *meliori judicio.* Ætate contra D. Thomæ quibusdam viſum, remanente panis forma, ſolam ejus materiam transmutari, ut S. Doct. refert 3. p. qu. 75. Ar. 6.

Demum Sec. XV. varias ſcholaſticorum hujus argumenti opiniones commemorans Cardinalis de Alliaco, in 4. diſt. 6. Ar. 11. hæc ſcribit: *licet Catholici concordaverint in hoc, quod Corpus Chriſti ſit in Sacramento, circa modum ponendi fuerunt diverſæ ſententiæ. Prima, quod ſubſtantia panis ſit Corpus Chriſti. Secunda, quod non remanet ſubſtantia panis, ſed reducitur in materiam per ſe ſtantem, vel aliam formam recipientem, - - & Corpus Chriſti coexiſtit accidentibus panis. - - Tertia fuit, quod remaneret ſubſtantia panis. Quarta & communior eſt, quod ſubſtantia panis non remanet, ſed ſimpliciter definit*

definit esse. Addit dein, hanc postremam se amplecti, quod & conformior sit Ecclesiæ definitioni, & SS. Doctorum sensis.

II. Controversiis his locus jam nullus est, postquam Concil. Tridentinum vocis *transsubstantiatio* acceptionem Sess. 13. Cap. 4. his verbis exposuit: *sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis & vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam Corporis Christi, & totius substantiæ vini in substantiam Sanguinis ejus; quæ* conversio *convenienter & proprie a S. Catholica Ecclesia* transsubstantiatio *est appellata;* quod idem dein Can. 2. ejusdem Sess. sub anathemate definivit, *mirabilem & singularem* vocans *conversionem* illam. Isthic porro transsubstantiatio dicitur 1*mo*, *conversio*: ad excludendam videlicet unionem panis cum personalitate Christi, seu Verbo: aut cum ejus Corpore. Neque enim *Unio* dici potest *conversio*; hinc SS. PP. unionem naturæ humanæ cum Verbo contra Nestorium ita propugnarunt, ut contra Eutycheten negarent conversionem naturæ humanæ in personam divinam. Dicitur 2*do*, *totius substantiæ panis*: quo distinguatur transsubstantiatio ab aliis mutationibus substantialibus, in quibus remanet saltem pars substantialis, scilicet materia; hinc cit. Can. vocatur *mirabilis & singularis conversio*, ut significetur, eam non modo supra naturam, sed etiam sine exemplo esse. Unde colligas, sententiam Durandi N. priore relatam merito vocari hæreticam a Bellarm. de Euch. L. 3. C. 13. 63

III. Aperta igitur hac Conc. Tridentini expositione & definitione finis impositus est litibus memoratis: at non perinde de transsubstantiationis actione quæstionibus, quas jam ætate sua excitatas meminit Mag. Sent. L. 4. dist. 11. Disputatur nempe etiam ab hodiernis Theologis: quænam sit illa transsubstantiationis actio? Thomistæ opinantur esse reproductionem Corporis Christi; Scotistæ constituunt illam in actione adductiva, qua videlicet Corpus Christi in Cœlo existens, sine productione nova, fiat præsens sub speciebus Eucharisticis; alii volunt 64

transſubſtantiationem, præterquam quod ſit actio productiva aut adductiva, eſſe ſimul unitivam Corporis Chriſti cum ſpeciebus panis & vini: non ita quidem, ut eas Corpus Dominicum tanquam ſubjectum ſuſtentet, ſed ut ad eas, tanquam contentum ſubſtantiale, cum quadam habitudine referatur. Omitto illa, quæ de ipſo hujus actionis termino controvertuntur: an nempe ſit Corpus Chriſti? an modus aliquis ab eo diſtinctus, hicque intrinſecus, an extrinſecus? &c.

De quibus tot, ac tam anxiis curis ſi (quod eſt) fateri oporteat: eo ſpectare illas jure dixeris, ut ex litibus ſerantur lites finem habituræ nunquam. Si quid dicendum eſt amplius; controverſiis hujusmodi, ajo, ſacroſancta Myſteria (nullo Religionis commodo, & præter rerum ordinem) ad Philoſophiæ criſim exigi, ac fidei cauſam tribunali profano ſubmitti. Certe Vaſquez 3. p. qu. 75. diſp. 181. C. 1. non dubitat aſſerere, quæſtionibus his *recentiores Scholaſticos, quo magis ab iis ſe extricare conati ſunt, eo majoribus difficultatibus ſe implicaſſe. Ex quo etiam* (ut proſequitur ille) *effectum eſt, ut myſterium fidei noſtræ non modo difficilius ad explicandum, ſed etiam adverſariorum noſtrorum argutiis & cavillationibus magis expoſitum fuerit.* Inde factum, ut, cum in Concilio Tridentino e Doctoribus quidam philoſophicas hujusmodi lites agitare cœpiſſent, ſilentium eis a Patribus imponeretur: ipſa vero Synodus non aliud expendendum & definiendum ſuſciperet, quam quod erat fidei contra Novatores, ut legere eſt in Hiſt. Conc. Trid. apud Pallav. Nullum proinde rei theologicæ detrimentum ſe facturum exiſtimet Theologiæ Studioſus, ſi de tranſubſtantiationis Euchariſticæ myſterio acturus, præteritis id genus tricis, id unum ſatagat: ut illud ex Scriptura & Patrum ſenſis propugnet, nec in eo explanando limites, Eccleſiæ definientis oraculo deſcriptos, tranſgrediatur; id quod & nobis eſt propoſitum.

ASSER-

ASSERTIO.

In Eucharistia Corpus & Sanguis Christi existit per transubstantiationem; seu ita, ut non remaneat panis & vini substantia, sed tota (speciebus duntaxat panis & vini remanentibus) convertatur in Corpus & Sanguinem Christi.

Probatur I. ex S. Literis, ac nominatim illis Christi Matth. 26. verbis, *hoc est Corpus meum*, *hic est Sanguis meus*, 65
quibus non solam Corporis & Sanguinis Christi figuram aut virtutem: sed ipsum omnino ejus Corpus & Sanguinem demonstrari §. priore contra Sacramentarios & Calvinistas probavimus, ac nobiscum fatentur Lutherani, quos isthic impugnamus. Hinc vero contra eos ita arguo: nisi substantia panis & vini convertatur in Corpus & Sanguinem Christi, laud. verborum sensus erit: *hic panis est Corpus meum*, *hoc vinum est Sanguis meus*; sicut igitur falsum est, panem esse Corpus Christi, & vinum ejus Sanguinem, ita & Christi verba erunt falsa: at hoc dicere blasphemum est; fatendum ergo, in Eucharistia non remanere panis & vini substantiam, sed totam converti in Corpus & Sanguinem Christi. Illatio tota, ut vides, est legitima; nec Assertum primum negari potest, nam pronomina *hic* & *hoc* ex usu vocum recepto demonstrant substantiam sensibiliter præsentem: cum ergo per Novatores remaneat panis & vini substantia, eaque sit sub speciebus propriis sensibiliter præsens, illam necesse est demonstrari, atque adeo Christi verborum hunc esse sensum, *hic panis est Corpus &c.* In nostra ex adverso sententia, pane & vino in Corpus & Sanguinem Christi transubstantiatis, ac remanentibus nihilominus panis & vini speciebus, verba consecrationis hunc sensum faciunt: *hæc res, quæ continetur sub his speciebus, est Corpus meum & Sanguis meus*; quo sensu verba Christi vera sunt in doctrina Catholica. Quibus isthic Lutherani utantur effugiis patebit ex Objectis N. 67. ubi argumentum hoc pluribus urgebimus.

Contra Impanatores illud facit: quod unio hypoſtatica ſecum ferat communicationem idiomatum, ut conſtat in unione humanitatis ad Verbum; ſicut igitur propter hanc recte dicitur: *hic homo eſt Deus, Deus eſt homo, Deus eſt natus, crucifixus &c.* ita pariter propter unionem hypoſtaticam Chriſti cum pane dici poſſet: *panis eſt Deus, Deus eſt panis, Deus eſt in fornace piſtus, panis eſt pro nobis crucifixus &c.* quæ nemo ſanæ mentis aſſeruerit, minus autem legere eſt apud Patres.

66 Probatur II. contra Impanatores ſimul & Conſubſtantiatores ex perpetua Eccleſiæ Traditione, qua docemur: in Euchariſtia non remanere panem & vinum, ſed ea converti in Corpus & Sanguinem Chriſti. Hujus autem Traditionis teſtimonium ſunt,

I. Græcorum & Latinorum conſenſio, de qua, præter Auth. perp. Fid. in Tomis 4. de Euchariſtia, conſule Homilias Græcorum Patriarcharum a Renaudotio editas, ſupra N. 43. a nobis laudatas. Huc faciunt vetuſtiſſimæ Liturgiæ ab eod. Renaudotio duobus Tomis vulgatæ, in quibus, perinde ac in hodierno Latinorum & Græcorum Canone, Sacerdos orat, *ut Corpus Chriſti & Sanguis fiat.* Certe in prima, quam ibid. refert, Liturgia S. Baſilii Oratio oblationis ſub medium hæc habet: *oſtende faciem tuam ſuper hunc panem & ſuper hunc Calicem, - - transfer* (commuta) *eos, ita ut panis hic fiat Corpus tuum ſanctum: & hoc miſtum in hoc calice, Sanguis tuus &c.* Et in altera S. Gregorii Liturgia: *Tu Domine voce tua ſola commuta hæc, quæ ſunt propoſita, - - & hunc quidem panem facias Corpus tuum &c.* Idem legere eſt in reliquis Liturgiis ibidem relatis, quas inſigni Commentario & Notis illuſtratas apud eumdem Renaudotium reperi s.

II. Ejusdem Traditionis teſtes ſunt Patres, & Concilia. Ex Conciliis quidem Lateranenſe IV. Florentinum, & Tridentinum, quorum verba pro fronte hujus Libri recitantur; his addendæ Synodi contra Berengarium celebratæ, præſertim Roma-

Romana ſub Gregorio VII. in qua Berengarius pœnitens profiteri debuit ſe credere, *panem & vinum - - in veram & propriam ac vivificatricem Carnem & Sanguinem JESU Chriſti ſubſtantialiter converti &c.* Ex Patribus eos nominaſſe ſufficiat, qui aperte dicunt panem & vinum converti, transmutari, fieri Corpus & Sanguinem Chriſti. Ita Tertull. L. 4. contra Marcion. C. 4. *acceptum*, inquit, *panem - Corpus illum ſuum fecit, hoc eſt Corpus meum, dicendo.* Gregor. Nyſſ. Orat. Catech. 37. *recte nunc quoque Dei verbo Sanctificatum panem in Dei Verbi Corpus credo transmutari.* Cyrill. Hieroſ. Catech. Myſtag. 4. poſt recitata conſecratoria Chriſti verba, *aquam*, inquit, *aliquando mutavit in vinum, - - & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in Sanguinem transmutarit? - - quare cum omni certitudine ſumamus Corpus & Sanguinem Chriſti; nam ſub ſpecie panis datur tibi Corpus, & ſub ſpecie vini datur Sanguis.* Ambroſius L. 4. de Sacram. *ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit Caro Chriſti &c.* Chryſoſtom. Hom. 83. in Matth. *qui hæc dona ſanctificat & transmutat, ipſe eſt Chriſtus.* His adde Juſtinum, Irenæum, Gaudentium, Auguſtinum, & alios ordine Seculorum copioſe relatos a Bellarmino L. 3. de Euchar. C. 20.

Sectariorum Argutiæ refelluntur.

PRimum, unde tam Impanatores quam Conſubſtantiatores pro tuendo errore ſuo argutantur, ſunt S. Literæ. Ajunt nimirum 67

I. Euchariſtia vocatur panis 1. Cor. 11. *quotiescunque manducabitis panem hunc, - - mortem Domini annunciabitis. - - quicumque manducaverit panem hunc - - indigne, reus erit &c.* Idem legitur ibid. ſupra Cap. 10. & Luc. 24. remanet ergo ſubſtantia panis in hoc Myſterio.

II. Ex verbis Chriſti, *hoc eſt Corpus meum*, non recte infertur tranſubſtantiatio: tametſi enim idem de ſe dixerit

Joan. 6. *ego ſum panis;* ac etiam licet de Chriſto dici poſſit, *hic eſt Deus*, non ſequitur attamen, Chriſtum fuiſſe transmutatum in panem, aut naturam humanam in Chriſto eſſe converſam in Divinitatem; igitur nec ex verbis illis, *hoc eſt Corpus meum*, arguendum eſt, panem tranſubſtantiari in Corpus Chriſti.

III. De ferro ignito cum veritate aſſerimus, *hic eſt ignis:* & de lagena vino repleta, *hoc eſt vinum*, quin ulla fiat in ferro aut lagena ſubſtantiæ mutatio; ergo & Chriſti verba, *hoc eſt Corpus meum*, vera erunt ſine converſione panis in Corpus, modo hoc videlicet adſit in pane aut cum pane: uti ignis præſens eſt in ferro, aut vinum in lagena.

IV. In his verbis, *hoc eſt Corpus meum*, pronomen *hoc* non poteſt demonſtrare Corpus Chriſti: nam dum Sacerdos *hoc* enunciat, nondum eſt præſens Chriſti Corpus; demonſtratur ergo panis, atque ita ejus ſubſtantia remanet in Euchariſtia.

V. Ipſi DD. quidam Orthodoxi fatentur, dogma tranſubſtantiationis certo probari non poſſe ex Scriptura ſola. Ita ſenſit Durandus, Paludanus, Ochamus, Gabr. Biel, Scotus &c. Quin etiam Bellarminus de Euch. L. 3. C. 23. poſtquam retulit Scotum dixiſſe, *non extare locum ullum Scripturæ tam expreſſum, ut ſine Eccleſiæ declaratione evidenter cogat tranſubſtantiationem admittere*, mox de ſuo adjicit: *atque id omnino non eſt improbabile.* Ergo Scripturæ ſaltem teſtimonio non evincitur, panem in Corpus Chriſti tranſubſtantiari.

Reſp. ad I. His & aliis Scripturæ locis Euchariſtiam compellari panem in ſenſu improprio; id autem vel inde colligas, quod Joan. 6. Chriſtus dicat, *panis, quem ego dabo, caro mea eſt &c.* ſicut igitur *Caro* Chriſti non eſt *panis* in ſenſu proprio, ſic nec Euchariſtia ſenſu proprio panis dicitur. Nec deſunt plures tituli compellationis hujus metaphoricæ. Etenim Euchariſtia 1*mo* habet apparentiam panis; in Scriptu-

Scriptura autem non raro rei alicui nomen inditur ab externa specie; ut Gen. 18. & Act. 1. Angeli vocantur Viri, quia sub humana specie apparuerunt. *2do* est cibus animam reficiens; habet igitur analogiam quamdam cum pane, cum & hic corpus reficiat. Quilibet præterea cibus in Scriptura aliquando compellatur panis: ut nominatim manna Israelitarum, de quo, *panem Angelorum manducavit homo*, Ps. 77. legitur. Idem manna vocatur *panis de cœlo*, Joan. 6. *3tio* Eucharistia fit per conversionem panis in Corpus Christi; rursus autem non infrequens Scripturæ phrasis est, rem conversam vocare nomine rei illius, ex qua facta est conversio: ita Exod. 7. colubri ex virgis facti etiam post conversionem dicuntur virgæ, *devoravit virga Aaron virgas eorum*. Ex eo proinde, quod Eucharistia vocetur panis, non sequitur in ea remanere panis substantiam.

Resp. ad II. Nego Assertum; nec probationes ejus evincunt quidquam. Dixit equidem Christus se esse *panem*, at adjecit *panem vitæ*, *vivum*; quæ voces additæ satis indicant, nomen *panis* isthic in sensu metaphorico sumendum, pro ipso videlicet Christo per fidem manducando, ut cit. Capitis contextus docet. Vera igitur sunt verba illa, *ego sum panis vitæ*, quin necesse fuerit Christum in panem mutari. Propositio autem de Christo altera, nempe *hic est Deus*, vel *hic homo est Deus*, est omnino vera sine conversione humanitatis in divinitatem; at veritatem hanc efficit unio hypostatica, vi cujus in Christo natura humana & divina subsistit in una eademque Persona Verbi; hinc propositionis illius sensus est: *hoc suppositum habens humanitatem*, *est suppositum habens divinitatem*; seu, quod idem est: *Persona terminans hanc naturam humanam*, *est Persona terminans etiam naturam Divinam*. Nil autem simile adferri potest pro veritate hujus propositionis, *hoc est Corpus meum*; ut igitur vera sit, panem mutari in Corpus Christi, fatendum est.

Resp.

Resp. ad III. Secundum acceptionem vocum usitatam nonnunquam continens sumitur pro contento, ac etiam pars (præsertim si ea sit sensibilis) pro toto; cum ergo ignis contineatur in ferro ignito, sitque etiam ejus pars sensibilis: cum item lagena sit vas ex hominum instituto destinatum ad liquorem continendum, sufficiens ratio est dicendi, objectas propositiones duas esse veras sine ulla substantiali conversione. Ex adverso Corpus Christi non est utique pars panis: nec panis institutus est ad continendum Corpus Christi; non perinde igitur vera erunt Christi verba, *hoc est Corpus meum*, nisi panis transeat in substantiam Corporis Christi.

Resp. ad IV. Demonstrationem per pronomen *hoc* factam varie explicant Doctores. S. Thomas cum plurimis Theologis censet, per *hoc* demonstrari vage substantiam sub specie panis, ita ut ultima ad Corpus Christi significandum determinatio fiat tum primum, dum vox *meum* enunciatur. S. Bonaventura cum quibusdam putat demonstrari substantiam panis, huncque sensum verba consecrationis habere: *hic panis convertitur in Corpus Christi.* Vasquezii cum Maldonato & aliis nonnullis opinio est, ipsum Christi Corpus demonstrari; quia licet illud tunc adhuc præsens non sit, fit tamen præsens vi pronominis *hoc* sumpti simul cum reliquis verbis. In re tam obscura, quid potissimum dicendum sit, definire est arduum; quidquid horum interim dixeris, transubstantiationis dogmati conforme erit: nec Sectarius arguere poterit in Eucharistia remanere substantiam panis.

Quod si attamen denique meam requiras sententiam: Vasquezii opinio (ut ego quidem expono illam) videtur præ aliis probanda. Ajo itaque per pronomen *hoc* demonstrari Christi Corpus, quod tam per vocem *hoc*, quam per reliqua consecratoria verba nunc efficitur; ita videlicet, ut propositio, *hoc est Corpus meum*, æquivalenter hunc sensum faciat: *hoc, quod nunc per hæc consecrationis verba efficitur, est Corpus meum;*

meum, aut si mavis, quod in re idem est: *Corpus meum est hoc*, *quod per hæc verba efficitur*. Cum ergo id, quod per hæc verba efficitur, sit Corpus Christi, illud utique, & non substantia aliqua vage duntaxat sumpta, per pronomen *hoc* demonstratur. Nec mirere, hunc esse verborum consecrationis æquivalentem sensum: cum enim verba hæc sint *practica*, hoc est, Corporis Christi *effectiva*, non supponunt illud, sed re ipsa efficiunt; prorsus igitur congrue sensus hic æquivalens illis attribuitur.

Resp. ad V. Tametsi detur, ex sola Scriptura non evinci transubstantiationis dogma, evincitur attamen ex illa cum Traditione & Ecclesiæ sensu conjuncta: id quod ad rem nostram satis est; cum credendorum regula non sit sola Scriptura, sed Traditio etiam & Ecclesia. Cæterum Scholasticorum Orthodoxorum nemo est, aut erat, qui non doceret dogma hoc recte probari ex Scripturis: quamvis existimarent quidam cum Scoto, non contineri in illis evidentem ejus probationem, quæ videlicet evidentia sua *Sine Ecclesiæ declaratione evidenter cogat transubstantiationem admittere*. Atque hoc solum sensu Bellarm. dicit *id non esse improbabile*; ubi attamen mox subjungit, in præsenti argumento *Scripturam sibi videri tam claram, ut possit cogere hominem non protervum*; hinc ex mente Bellarmini, quod Sectarii non cogantur, eorum est *protervia*, non Scripturæ obscuritas.

Alterum, quo se tuentur Novatores, est auctoritas quorumdam Patrum, & Comitiorum Augustanorum. Itaque; 68

I. Ex Patribus objicitur Chrysostomus Ep. ad Cæsarium ita scribens: *antequam sanctificetur panis, panem nominamus; divina autem illum sanctificante gratia, mediante Sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus Dominici Corporis appellatione; etiamsi natura panis in ipso permansit &c.* Item Gelasius I. Papa L. de duab. Natur. in Eucharistia, ait, *esse non desinit substantia vel natura panis &*

*vini.*Similia sunt Theodoreti Dial. 2. verba illa: *neque enim symbola mystica post sanctificationem discedunt a sua natura; manent enim in priore substantia, & figura, & forma, & videri tangique possunt, sicut prius.*

II. Provocant ad Rescriptum Comitiorum, quæ sub Carolo V. Anno 1530. celebrata sunt. Nimirum (ut Lutherani quidem volunt) Confessionis Augustanæ in hoc Conventu exhibitæ Articulus X. hic erat: *De Cœna Domini docent, quod cum pane & vino vere exhibeantur Corpus & Sanguis Christi vescentibus in Cœna Domini*; ad hunc autem Articulum ita rescriptum est: *Decimus Articulus in verbis nihil offendit.*

Ex utroque hoc inferunt: tam PP. veteres, saltem aliquos, quam Principes Catholicos Sec. XVI. cum Imperat. Carolo agnovisse, in Eucharistia remanere substantiam panis.

Resp. ad I. loca ex Patribus citata esse fidei incertæ; ut adeo certum ex illis argumentum duci nequeat. De Chrysostomi Ep. ad Cæsarium jam supra §. priore N. 53. in Resp. II. Eruditorum crisim adnotavimus. Liber autem de duab. Nat. videtur esse opus Gelasii Cyziceni Scriptoris græci, non Gelasii Papæ. Equidem etiam Papa Gelasius scripsit de duabus in Christo naturis; at Opus hoc grande volumen esse, & in quinque Libros partitum, testatur Gennadius & Anastasius Bibliothecarius, quod non convenit cit. Libro, ut qui paucis paginis absoluitur. Stylus præterea ejus est prorsus similis Cyzicenæ elocutioni: nullum in eo e Latinis Patribus, sed Græcos tantum laudari reperies &c. Consule Bellarminum de Script. Eccl. in Gelasio Papa. Demum Dial. cit. etsi Theodoreti sit genuinus fætus, verba attamen ex eo relata vitio interpretis male reddita esse censet Card. Perronius; unde partem eorum postremam apud Auth. Instit. Theologicarum, jussu Joan. Claudii Ep. Pictav. editarum, Tom. 4. latine sic reddit: *remanent enim in prioris substantiæ & figura & forma &c.* quod est orthodoxum.

Ut

Ut ut interim ſit de horum fide; imo quamvis recitata in Object. verba laud. Patribus ultro attribuas, nihildum erit, quo eorum auctoritate plaudant Novatores. Certum quippe eſt, apud veteres *naturæ*, *ſubſtantiæ*, & *formæ* nomina ſæpe uſurpari pro ſignificandis externis & ſenſibilibus rei alicujus affectionibus. Ita Tertull. L. de anima C. 13. diſtinguit inter ſubſtantiam & naturam; ipſumque e. g. lapidem vocat ſubſtantiam, ejus vero duritiem lapidis naturam. Conformiter ad quod exponendi ſunt laud. Patres; cum enim ajunt in Euchariſtia remanere panis ſubſtantiam, naturam, vel formam, id ſignificare volunt unum: quod ſenſibiles panis affectiones ita perſeverent; ut ſi ſenſuum duntaxat judicio ſtandum foret, panem & vinum adeſſe prudenter judicari poſſet. Fundamentum porro ita exponendi hos Patres petitur tam ex contextu, quam ex ſubjecta materia, ut patebit laud. loca inſpicienti. Illud certum eſt, Chryſoſtomum illic agere contra Appollinariſtas, Gelaſium vero & Theodoretum contra Eutychianos; cum igitur hi aſſererent, vi unionis hypoſtaticæ naturam humanam in Chriſto omnes ſuas proprietates amiſiſſe, Patres ab Euchariſticis ſpeciebus contra eos ſic arguebant: quamvis in Euchariſtia panis convertatur in Corpus Chriſti, nihilominus etiam per vos remanent proprietates & ſpecies panis; potiori igitur jure natura humana in Chriſto retinuit ſuas proprietates, ut quæ unita eſt tantum Verbo, non autem converſa in Divinam naturam. Vide de his pluribus diſſerentem Tournelyum de Euch. Quæſt. 3. Art. 3.

Reſp. ad II. A Comitiis quidem ita omnino reſcriptum eſt ad Articulum X. at hic in Confeſſione Carolo Imp. oblata aliis conceptus erat verbis, his nempe: *De Cœna Domini docent, quod Corpus & Sanguis Chriſti vere adſint, & diſtribuantur veſcentibus in Cœna Domini*; ubi nulla fit mentio panis. Teſtem hujus (ne Catholicos Scriptores citem) habemus Georgium Cæleſtinum Lutheranum, in Hiſt. Comitiorum Auguſtan.

 Anno

Anno 1530. Idem autem Articulus, prout nobis objicitur, primum Confessioni An. 1540. a Lutheranis mutatæ insertus est; neque is sub hac verborum forma unquam Catholicorum abstulit suffragium. Sciendum nempe est, Confessionem, quæ sub nomine Augustanæ venit, sæpe ac multum a Lutheranis esse variatam, vixque aliquas earum, quas hodie venditant cum suo Originali consentire: ut videre est apud Chytræum Professor. Lutheran. in L. de Confessione August. depravata An. 1599. edito. Certè Forerus noster testatur, præ manibus se habuisse viginti diversas editiones Confessionis August. latini sermonis; has attamen variasse omnes, neque ullam earum cum Originali concordem fuisse. Plura de hoc te edocebit Pichler in Theol. suæ Polemicæ Append. de August. Confess. Art. 10. Mihi, tantam in rebus fidei Lutheranorum instabilitatem consideranti, satis sit cum Athanasio de Syn. Arim. quærere: *quæ denique fides, apud quos nulla vel verba vel scripta robur habent, sed omnia pro tempore mutantur?* profecto hæc non est nota Ecclesiæ super Petram ædificatæ.

69 Quod reliquum est Objectionum, ad tria capita commode reducitur.

I. Nomen *transsubstantiationis* est recens inventum, nec in Ecclesia auditum ante Concilium Lateran. IV. An. 1215. sub Innocentio III. celebratum; rejiciendum proinde ceu novitium, cum juxta Apostolum 1. ad Timoth. 6. devitandæ sint vocum novitates.

II. Non constat, qualis actio sit *transsubstantiatio*: inde illa sententiarum apud DD. varietas, de qua N. 64. dictum; qui igitur certum dogma dici potest, quod in actione incerta fundatur?

III. In Eucharistia remanere panis & vini accidentia, figuram videlicet, colorem, saporem &c. sensuum testimonio certum est; at accidentia esse nequeunt sine proprio suo subjecto; remanet igitur etiam panis & vinum.

Resp.

Resp. ad I. vocis novitatem non obesse fidei; recte enim nova vocabula usurpari ad novos errores propulsandos evincunt voces ὁμούσιος & θεοτόκος quarum primam contra Arianos Synodus Nicæna, alteram contra Nestorianos Ephesina opposuit. Quo autem sensu accipiendum sit Apostoli monitum, jam alias L. I. de Sacram. in Gen. N. 80. suo finem diximus. Res interim mira! novitatem vocabuli nobis objici: quæ autem *impanationis* & *consubstantiationis* nominum antiquitas? ubi ea in S. Literis, aut apud quem Patrum legunt Sectarii? en in alienis oculis festucam! Cæterum *transubstantiationis* vocabulum jam ante Concil. Lateranense a quibusdam usurpatum legitur, ut Stephano Eduensi Ep. Petro Blesensi, Gaufredo & aliis, qui omnes Sec. XII. floruerunt, ut videre est apud Tournelyum. Quantum porro ad rem per vocabulum hoc significatam, reperitur illud in vocibus æquivalentibus apud vetustissimos Patres, sub nomine videlicet *conversionis*, *transmutationis*, imo apud Theophylactum in C. 14. Matth. etiam *transelementationis*; ut autem Hilarius L. de Synodis ait, *inane est calumniam verbi pertimescere, ubi res ipsa, cujus verbum est, non habeat difficultatem.*

Resp. ad II. Actionis hujus quoad nos incertitudine, & de ea opinionum varietate non infringi robur dogmatis præsentis; ut firmum nempe illud sit ac certum, satis est esse a Deo revelatum. Recole in simili sparsim dicta L. I. de Sacr. in Gen. & hoc L. N. 56. ac nominatim de hujus actionis ratione N. 64. satis sit Theologo cum Conc. Tridentino dicere, transsubstantiationem esse actionem *mirabilis & singularis conversionis panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi;* quod ultra solicitius inquiritur, supervacaneum est. Inde Mag. sent. L. 4. dist. II. de transubstantiationis actione sensum suum non dubitavit aperire his verbis: *si quis modum, quo id fieri possit, quærit, breviter respondeo: Mysterium fidei credi salubriter potest, investigari salubriter non potest.*

 Impor-

Importune nihilomninus urgenti cuipiam, ceu verisimilius, dic cum S. Thoma: actionem transubstantiationis esse *reproductionem* Corporis Christi, idque propterea quod id conformius sit sensui Patrum, quorum plures asserunt in Eucharistia Corpus Christi *fieri*, *produci &c.* passim autem *converti*, *transmutari &c.* quæ magis actioni *productivæ*, quam *adductivæ* conveniunt. Actionis porro hujus *terminus a quo*, est substantia panis & vini, quæ vi consecrationis verborum destruitur; *terminus formalis ad quem*, ipsum Corpus & Sanguis Christi, quæ eorundem verborum virtute efficiuntur ita, ut præsentia fiant sub speciebus panis & vini; *causa* autem *efficiens physica* Deus; *moralis* demum & *instrumentalis* ipse Sacerdos & verba consecratoria. Quibus attentis haud difficile est explicare, quomodo nihilominus in Eucharistia idem sit Corpus Christi, quod ex Virgine natum est: nam in hac sententia Eucharisticum Christi Corpus fit ex pane tantum ut *termino a quo*, non autem ut *materia componente*.

Resp. ad III. Conc. Maj. & Dist. Min. accidentia sine proprio suo subjecto remanere nequeunt lege naturali & ordinaria, Conc. lege extraordinaria & supernaturali, N. Min. & Consequ. constat autem in Mysterio hoc omnia agi a Deo præter consuetas naturæ leges. Quamvis vero hic definire nolim, quid nominatim sint accidentia physica? quæ quæstio est juris philosophici; illud tamen insinuo: si de natura accidentium cum RR. Philosophis sentias, facilius erit intellectu, quomodo in Eucharistia sine panis & vini substantia remaneant ejus species. Ita autem istud in hoc Systemate explicat Cl. Maignan ex Ord. Min. insignis Theologus & Philosophus: ait videlicet Christum actione sua affectiones externas panis (idem est de vino) supplere ita, ut in sensus nostros perinde fiant impressiones, ac fierent ad præsentiam panis; unde omnino necesse est consequi, ut appareat adesse substantia ejus, quamvis reipsa absit.

Neque

Neque est, quod submetuas hanc accidentium expositionem adversari Conc. Constantiensi: istud enim (teste Cardin. Petro Alliacensi, qui Concilio interfuit) hanc Wicleffi prop. *accidentia panis & vini non manent sine subjecto*, Sess. 8. damnans, non aliud definire voluit, quam quod in Eucharistia sint accidentia panis & vini sine suo proprio subjecto, pane nempe & vino; quod autem ad ipsam accidentium naturam attinet, id omnino in quæstionem non vocavit, verum Philosophis disceptandum reliquit.

Idem esto judicium de Tridentino, cui pariter non erat curæ Philosophorum opiniones, sed hæreticorum duntaxat errores propulsare. Nec aliud in Decretis ejus aut Canonibus definitum reperias, quam, destructa panis & vini substantia, species eorum remanere; cum igitur vocabulum *species* ex communi acceptione rei apparentiam significet: cumque apparentia panis & vini per memoratas impressiones sufficienter habeatur, salva utique, quam Tridentini Decretis debemus, observantia sentire licebit, species Eucharisticas esse impressiones illas a Christo in sensus nostros factas, & non (quæ nescio) entia absoluta, quæ pani ac vino accidant.

Demum ex hac Recentiorum philosophandi ratione non sequitur, impressionibus his Christum nobis illudere, aut deceptionis occasionem præbere: præmonemur quippe divini verbi oraculo de Mysterio; ut adeo nihil isthic sensuum testimonio sit deferendum, ac si quis deferat, uni sibi errorem imputet. Inde Chrysostomus (aut quisquis alius Auctor est) in Ep. ad Cæsarium: *verba ejus*, inquit, *fallere non possunt*, *sensus vero noster deceptu facillimus est; quoniam ergo ille dixit: hoc est Corpus meum*, *nulla teneamur ambiguitate*, *sed credamus*, *& oculis intellectualibus id adspiciamus.*

DIS-

DISSERTATIO II.

DE EUCHARISTIÆ, UT EA NOMINATIM SACRAMENTUM EST, NATURA, EFFECTIBUS, ET NECESSITATE.

§. I.

An Eucharistia sit verum novæ Legis Sacramentum? & num in re permanente consistat?

SI e veteribus Menandrianos, Simonianos, & paucos quosdam alios cum Socinianis Recentioribus Sectariis excipiam, reliqui facile nobiscum consentiunt, Eucharistiam esse verum Legis novæ Sacramentum. At hoc ipsum num sit permanens: an potius, ut Sacramenta cætera, transiens duntaxat, nec nisi in actuali usu consistens? nos inter & Novatores hodie etiam gravis disceptatio est, ut jam nunc statum ejus exponemus.

Novatores inter & Orthodoxos Controversia.

I. Lutherani & Calviniani Eucharistiæ Sacramenti naturam, non in re permanente, sed in transeunte tantum actione constituunt. Putatur autem doctrinæ hujus auctor fuisse Bucerus; cum enim Lutherani Corpus Christi realiter esse in Eucharistia præsens assererent, contra Zvingliani negarent, quo eos invicem conciliaret, persuasit Luthero: Corpus Christi esse quidem in ipsa manducatione, non item extra illam. Quamvis autem dein hanc sententiam tam Lutherani quam Zvingliani amplecterentur, ac conformiter ad illam in solo usu Sacra-

Sacramentum Euchariſtiæ reponerent: ſcindi tamen invicem non deſierunt, illis præſentiam Chriſti realem, his vero ſpiritualem & ſacramentalem in manducatione profitentibus.

II. Neque hic diſſidium ſtitit. E Zvinglianis Joan. Cal- 71
vinus & Petrus Martyr ita ſententiæ ſuæ inhærebant, ut negarent panem & vinum manere Sacramentum, ſi ad ægros deferantur; e Lutheranis vero Kemnitius contendebat in tota Cœnæ Domini actione Sacramentum perdurare, hoc eſt: dum panis benedicitur, frangitur, diſtribuitur, ac etiam dum ex ipſa Cœna ad ægrum vel abſentem deſertur eum in finem, ut manducetur. Quin (teſte Claudio Sanctes Repet. 4. de Euch.) quidam exiſtimabant, toto etiam triduo propter ægrotos aſſervari poſſe Euchariſtiam, ita ut hoc temporis ſpatio (non tamen ultra illud) Sacramentum permaneat. Conſule de his Bellarminum L. 4. de Sacr. Euch. C. 1. ubi hos Sectariorum errores, citatis Auctorum locis, recitat: ac dein ſequentibus quatuor Capitibus copioſe impugnat.

III. Ex adverſo una eſt Catholicorum omnium ſenten- 72
tia: Euchariſtiam eſſe Sacramentum permanens, neque illud præciſe in actione tranſeunte conſiſtere. Quia interim ad Euchariſtiam, præter Corpus & Sanguinem Chriſti, etiam verba conſecrationis, ſpecies item conſecratæ, ac ipſa denique ſumptio aliqua ratione pertinent, diſceptatur a nonnullis: quæ horum nominatim in Euchariſtia perfectam Sacramenti rationem conſtituant? Opiniones de hoc varias recenſet, ac etiam ad mentem Auctorum explicat Vaſquez in 3. p. D. Thomæ qu. 33. Art. 1. Diſp. 157. Cap. 2. & 3. Non eſt autem, quod ſibi blandiantur Novatores, quaſi horum Doctorum aliqui ſuarum forent partium; quamvis enim eorum quidam Sacramenti hujus rationem ex parte, aut etiam integre in *tranſeunte* conſecrationis forma vel ſumptione conſtituant: admittunt nihilominus (quod illi contra negant) continuo ac

verba consecrationis prolata sunt, vere & realiter præsens esse sub panis & vini speciebus Corpus Christi, illudque sub iis constanter perdurare, quamvis nulla sequatur sumptio. Supposito itaque toto fidei dogmate, opiniones hæ spectant quæstionem mere scholasticam, eamque metaphysicam magis quam theologicam; quod ipsum in causa est, cur ab ea pertractanda abstineamus, prolaturi duntaxat sententiam de Eucharistiæ Sacramenti veritate, ejusque natura contra Novatores.

ASSERTIO.

Eucharistia est verum novæ Legis Sacramentum; idemque consistit in re permanente, & non in actione solum transeunte in sensu Novatorum.

73 Probatur pars I. Ut enim aliquid sit verum novæ Legis Sacramentum, satis est esse *signum sensibile a Christo institutum ad significandam & causandam gratiam;* quid vero horum in Eucharistia desideres? Species panis & vini sunt *signum sensibile;* has ipsas autem, prout sub illis Corpus Christi continetur, a Christo esse institutas constat ex Diss. I. §. II. Eædem deinde species sic acceptæ ex institutione Christi in sumentibus *efficiunt gratiam* juxta illud Joan. 6. *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Hanc ipsam porro gratiam vel ideo, quod causent, etiam *significant*, cum universim causa sit effectus sui signum: nihil ut dicam de significatione ea, quam habent a refectione corporali, ad quam Eucharistiæ materia, panis nempe & vinum, ex se ordinantur.

Pluribus hanc Assertionis partem affirmare supervacaneum fuerit, quando ne Sectarii nostri quidem de ea litem excitant; nobis vero præterea illam fide certam esse constat ex clara definitione Conc. Tridentini Sess. 7. Can. 1. ac etiam perpe-

perpetua Ecclesiæ Traditione, cujus testes sunt omnis ævi Patres per decursum L. hujus laudandi, & ipsa Græcæ & Latinæ Ecclesiæ in hoc fidei dogma consensio.

Illud hic observandum: tametsi Eucharistia diversis con- 74
stet symbolis, ac materia specie diversa, pane videlicet & vino, quia tamen hæc omnia ad unam significationem practicam ordinantur, unumque & eumdem sacramentalem effectum causant, Eucharistia est unum duntaxat specie Sacramentum, ut docet S. Th. hic qu. 73. Ar. 2. in ⊙. ubi id ipsum a convivio & refectione corporali arguit. Idem nihilominus Eucharistiæ Sacramentum dici potest numero multiplicari, cum videlicet plures numero sunt species Sacramentales; quamvis oppositum existimet Suarez in 3. par. qu. 75. Disp. 39. Sect. 4.

Probatur pars II. Assertionis ex Christi Eucharistiam con- 75
ficientis verbis, *hoc est Corpus meum*, *hic est sanguis meus:* quæ verba Christus prius protulit, quam discipulis sumendam daret Eucharistiam; cum igitur Christi verba statim, ac prolata sunt, fuerint vera & efficacia, ante ipsam utique manducandi & bibendi actionem aderat jam sub speciebus panis & vini Corpus & Sanguis Christi, ac proinde extra usum dabatur verum Eucharistiæ Sacramentum. Ex hoc vero ultro consequitur: Sacramentum hoc haberi sine transeunte sumptionis actione, consistere proinde in re aliqua permanente, panis videlicet & vini speciebus Corpus & Sanguinem Christi continentibus.

Hæc eadem doctrina firmatur Traditione, quam satis 76
declarat vetus Ecclesiæ praxis in longius etiam tempus asservandi Eucharistiam; id quod jam apud primævos Christianos pluribus ex causis factum docent Veterum monimenta.

Ita 1*mo* asservabatur olim Eucharistia, cum in signum pacis & charitatis ad absentes mitteretur, ut constat ex Irenæi Ep. ad Victorem Papam, ex Metaphraste in Actis Luciani Mart. ac ipso etiam Justino M. qui in Apol. 2. de Diaconis agens, *distribuunt*, inquit, *panem*, *vinum & aquam*, *& ad absen-*

absentes perferunt ; porro hoc alimentum appellatur Eucharistia. Certissimum autem in hanc rem testimonium est ex Concilio Laodiceno sub Sylvestro Sec. IV. celebrato, in quo per Can. 14. mos hic ex parte saltem abrogatus est.

Asservabatur 2*do* Eucharistia in privatis domibus, ut pro opportunitate sumeretur in periculis, morbo, ac cumprimis persecutionum tempore, quo Synaxes publicas celebrare vetitum erat fidelibus, uti istud memorat Basilius Ep. 289. ad Cæsaream Patriciam. Morem eumdem docemur ex Hieronymi Epist. ad Pammachium, Gregorii Naz. Orat. 11. & Ambrosii Orat. funebri de obitu fratris sui Satyri; quin etiam ex Tertulliani L. 2. ad Uxorem C. 5. & Cypriani Tract. de Lapsis, ubi de muliere in persecutione lapsa scribit, quod *cum arcam suam, in qua sanctum Domini fuerat, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita sit.*

Demum 3*tio* asservabatur Eucharistia in Ecclesiæ Sacrario, ut inde ad infirmos deferretur. Atque hic mos hodie etiam obtinet apud Latinos perinde ac Græcos, cum eo attamen discrimine: quod Græci præterea feria quinta majoris hebdomadæ consecrent Eucharistiam per anni totius decursum pro infirmis servituram, ut refert Goarius in Notis ad Euchlog. & Arcudius L. 3. C. 55. Ne autem praxim hanc novitiam esse putent Novatores, legant Concilii Nicæni I. Canonem 13. in quo de infirmorum Communione ita statuitur: *de his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua servabitur, ut si quis egrediatur e corpore, ultimo & maxime necessario viatico minime privetur &c.* jam igitur Sec. IV. & quidem juxta *antiquam legem* asservabatur Eucharistia, quæ in promptu esset pro casu periculi mortis. Cujus ipsius testem habemus Eusebium Cæsariensem, ut qui ex Dionysio Alex. Sec. III. Patre, in Hist. sua Eccl. L. 6. C. 33. narrat Serapionem ad extrema deductum misisse noctu puerum ad Presbyterum pro Eucharistia; Presbyterum autem, cum ipse ob ægritudinem venire non posset, dedisse eidem puero *parum Eucharistiæ:*

quod

quod infusum jussit seni præberi; id quod postquam a puero est præstitum, Serapion jam lætior spiritum reddidit. Ex his vero ultro consequitur, eam semper fuisse veteris Ecclesiæ fidem, ut crederet, non modo sub actuali consecratione aut sumptione, verum etiam extra omnem hujusmodi actionem transeuntem haberi veram Eucharistiam, ac proinde eam esse Sacramentum permanens. Neque jam dubitare licet istud fidei esse dogma, postquam præsertim a Concil. Trid. Sess. 13. Can. 4. contra Novatores aperte definitum est.

Quod si porro quæras: in quibus nominatim, ceu partibus Sacramenti naturam constituentibus, Eucharistia consistat? tametsi istud statuere ad fidei doctrinam parum conferat, censeo nihilominus verisimiliorem esse eorum sententiam, qui cum Cajetano & Vasquezio existimant Sacramentum Eucharistiæ consistere in speciebus simul & Corpore ac Sanguine Christi: his etenim præcise habitis tota Sacramenti ratio habetur, nempe *signum sensibile a Christo institutum ad significandam & causandam gratiam.* Pertinent interim ad Eucharistiam etiam consecrationis verba & sumptio: verba quidem, ut efficiatur Sacramentum; sumptio autem, quo per hanc illud applicetur ad percipiendum Sacramentalem effectum. 77

Solvuntur Objectiones
contra Assertionis Partem alteram.

OBjicitur I. Christus verba illa, *hoc est Corpus meum,* non protulit ante manducationem, sed inter manducandum, ut colligitur ex Matth. C. 26. ubi V. 26. dicitur: *accepit JESUS panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis & ait: accipite & comedite, hoc est Corpus meum.* Idem est de Calice, ut patet ex sequ. V. 27. & 28. ergo ex his verbis non recte ducitur argumentum pro Assertione, quin potius contra illam licebit arguere. 78

Resp. hanc Objectionem formari ab ipso Bellarm. L. 4. de Euch. C. 2. ubi simul ad eam dat Responsum, quod & nos sequimur. Nempe (ut ille ait) isthic spectandus non est verborum ordo, ut quem constat ab Evangelistis non raro mutari ita, ut quod prius factum est, narretur posterius, & ex adverso. Ita Marci 14. legas: *accepto Calice gratias agens, dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis, hic est Sanguis meus &c.* Ubi cum verba *hic est Sanguis meus &c.* referantur post sumptionem, spectato præcise verborum ordine dicendum foret, Sanguinem Christi non fuisse præsentem nisi post ejus usum, quod nec Novatores admiserint. Quo igitur ex verbis Christi colligamus, quid ab eo prius aut posterius sit factum, attendenda est potius verborum significatio. Hac vero attenta recte arguitur, consecrationis verba prius fuisse prolata, quam discipulis porrigeretur Eucharistia: verba quippe hæc continent rationem motivam comedendi & bibendi, unde Matth. 26. additur particula causam indicans, *hic est enim Sanguis &c.* rei autem ordo utique postulabat, ut Christus motivum sumendi ipsi sumptioni præmitteret, quo videlicet ad eam invitarentur, ac jam prævie scirent, quid sumpturi essent. Pluribus hæc explicat, & confirmat Bellarminus loco cit.

79 Instari potest nihilominus: nequit dari Sacramentum nisi cum ejus institutio servatur; at hæc extra sumptionem non habetur, cum Christus Eucharistiam instituens dixerit, *accipite & comedite;* extra sumptionem igitur non datur Eucharistiæ Sacramentum.

Resp. Dist. Maj. nisi cum ejus institutio servatur quoad illa, quæ Christus essentialia esse voluit C. quoad alia etiam, & omnes institutionis circumstantias N. Similiter & Min. distinguenda: extra sumptionem non habetur Christi institutio, quoad omnes institutionis circumstantias C. quoad essentialia N. una cum illatione. Complura nimirum sunt, quæ Christus occasione instituti hujus Mysterii egit & locutus est, ut est

est cœnæ vulgaris manducatio, lotio pedum, discipulorum admonitio &c. nemo attamen dixerit, sine his consistere non posse Eucharistiam. Unde nominatim verbis illis, *accipite & comedite*, exprimitur quidem mandatum de sumptione, quæ præcipuus Eucharistiæ est finis: eadem attamen non continent vim formæ ad perficiendum Sacramentum necessariæ, nec significatum eorum, seu sumptio, est de essentia Sacramenti.

Objicitur II. Vetus Ecclesia non asservabat Euchari- 80
stiam, proinde nec credidit in ea Christi Corpus permanenter existere; perperam igitur mos hic pro Assertione laudatur. Pro Antec. prop. facit auctoritas Clementis Romani, qui Ep. 2. ad Corinth. statuit, ut si quæ ex hostiis consecratis post communionem populi supersint, *in crastinum non reserventur, sed cum timore ac tremore Clericorum diligentia consumantur.*

Resp. N. Ant. Nec urgent ex Clementis Ep. laudata verba. Etenim, tametsi Clementis Ep. 1. ad Cor. (in qua tamen non leguntur hæc verba) genuinus sit ejus fœtus: hæc nihilominus altera ab Eruditis quibusdam refertur inter supposita, aut saltem dubia Clementis Scripta. Ipse certe S. Hieronymus in Catal. Scriptorum Eccl. de illa ait: *fertur & secunda ejus nomine* (ad Corinthios) *Epistola, quæ a veteribus reprobatur.* Idem est sensus Photii Codice 113. ubi, post relatam Clementis ad Corinth. Epistolam primam subjicit: *at quæ secunda dicitur ad eosdem, ut spuria rejicitur.*

Cæterum, quamvis cum Pagio & Natali Alex. admittatur etiam hæc altera esse genuina Clementis Epistola, nihil ex ea adversum nos argui potest. In hac ipsa quippe supponitur Eucharistiæ asservatio, cum ibid. moneantur Diaconi & Subdiaconi, ut *reliquias fragmentorum Corporis Dominici custodiant, ne qua putredo in sacrario inveniatur &c.* Inde ex supra objectis verbis id docemur unum, demptis particulis in usum

infir-

infirmorum reservatis, reliquas, quæ supererant, a Clericis consumendas fuisse. Verum

81 Instabis I. nihil omnino apud veteres ex Eucharistia asservatum fuisse: nam Nicephorus L. 17. Hist. Eccl. C 25. scribit, in Ecclesia Constantinop. reliquias Eucharistiæ a pueris innocentibus absumi solitas; & Hesichius L. 2. in Levit. C. 8. refert, morem fuisse eas comburendi; ac demum Humbertus Cardinalis in L. contra Nicetam reprehendit Græcos, quod Eucharistiam asservent.

Resp. N. Assertum. Quod autem Nicephorus & Hesichius referunt, intelligendum est (ut supra) de particulis a communione populi residuis præter illas, quæ pro infirmis sunt sepositæ. Hæc ipsa vero reliquiarum manducatio aut combustio fiebat solum feria quarta vel sexta, quibus scilicet renovabatur Sacramentum in pixide; quod etiam statutum est a Concil. Matisconensi II. Can. 6. Anni 585. Humberti reprehensio demum eos solum spectabat Græcos, qui Quadragesimæ tempore Missam celebrabant ex Eucharistia priore Sabbatho vel Dominico die consecrata. Asservatam interim etiam primis Ecclesiæ temporibus Eucharistiam docemur (præter alios) ex Optato Milev. & Amphilochio. Seculi IV. Scriptoribus. Ille L. 2. narrat, a Donatistis in Catholicorum templum irruentibus Eucharistiam inaudito scelere projectam esse canibus. Alter vero in vita S Basilii refert, ab eo columbam auream in altari suspensam, & in illa Corpus Dominicum fuisse repositum. De Columbis hujusmodi ac Turriculis, quæ Sacrarii instar veteribus erant, consuli possunt Stephanus Durantus L. 1. de Rit. Eccl. Rosveidus in Not. ad Paulini Epist 12. Harduinus Embolo 2. de Sacr. Alt. & Martenius L. 1. de antiq. Eccl. Rit.

82 Instabis nihilominus II. saltem non in alium, quam manducationis finem asservata est primitus Eucharistia; ergo adhuc &c.

Resp.

Reſp. illationem contra nos haud recte inſtitui, tametſi admitteretur Aſſertum, ut rem expendenti patet. Diſtinctione interim & illud explico: in manducationis finem aſſervabatur, ceu finem præcipuum C. tanquam finem unicum & ſolum N. conſtat quippe Veterum quosdam & aliud aſſervatione hac ſpectaſſe. Ita Amphilochius in Vita Baſilii narrat, Sanctum hunc in prima ſua Miſſa Euchariſtiam diviſiſſe triſariam ita, ut unam partem ipſe abſumeret, alteram ſecum ſepeliendam curaret, tertiam in columba aurea ſuper Altare ſuſpenſam adorationi proponeret. Plura in hanc rem exempla occurrunt apud Patres; quo etiam pertinet Pyrrhi Monothelitæ condemnatio per Theodorum Papam Euchariſtico Chriſti Sanguine ſcripta, de qua vide Baronium ad An. 648.

Conſectarium.

EX doctrina nunc ſtabilita ultro conſequitur: ſanctum ac laudabilem eſſe eum Eccleſiæ Catholicæ morem, quo Euchariſtiam publicæ venerationi palam in altari exponimus, aut in ſolemni ſupplicatione fidelibus adorandam proponimus. Ordinantur nempe hæc omnia ad cultum Chriſti, etiam extra ſumptionem, in Euchariſtia præſentis. 83

Nec eſt, quod cum Calvino & Kemnitio Novatores morem hunc aut novitatis aut *artolatriæ* inſimulent. Vel columbæ & turriculæ veterum ſatis docent, haud eſſe rem novam adorationi Euchariſtiam exponere. Quamvis autem Supplicationes Theophoricæ eo ritu, quo nunc fiunt, primis Eccleſiæ Seculis in uſu non fuerint: neque niſi Sec. XIII. cœperint auctore Urbano IV. qui eas aut inſtituit, aut illarum occaſionem dedit, ut cenſet BENEDICTUS XIV. hodiernus S. P. de Feſto Corp. Chr. Num. 536. certum nihilominus eſt ex jam dictis, primos etiam Chriſtianos Euchariſtiam cum veneratione circumgeſtaſſe, ſeu cum eam ad abſentes in communionis ſymbolum mitterent, ſeu ad infirmos deferrent.

Sed & *artolatriam* nobis perperam oggerunt; quando in Myſterio hoc nulla amplius eſt panis ſubſtantia, verum ſub ſpeciebus ejus ſolum Chriſti Corpus, cui uni cultum latriæ impendimus.

At (urget Kemnitius) cur non ſaltem ſub utraque ſpecie circumfertur Euchariſtia? futilis hæc quæſtio eſt, cum conſtet ſub una panis ſpecie totum eſſe Chriſtum, ejusque ſub hac ſpecie opportunior ſit circumgeſtatio. Ita & veteres novimus ſub panis tantum ſpecie (ut plurimum ſaltem) ad infirmos, vel alios abſentes Euchariſtiam detuliſſe.

§. II.

Quæ ſit Sacramenti Euchariſtiæ materia?

AD Euchariſtiæ, ut ea Sacramentum eſt, naturam penitius explanandam neceſſe eſt, de materia etiam ejus & forma ſtatuere: cum univerſim Sacramenta juxta Concil. Florentinum his perficiantur. Ac de forma quidem ſequ. §. nobis erit ſermo; hic de ſola materia agendum habemus.

Illud vero ante omnia obſervandum eſt, a Theologis conſiderari Euchariſtiæ Sacramentum tam ut jam confectum eſt, ſeu (ut Scholæ loquuntur) ut eſt *in facto eſſe:* quam ut conficitur, ſive ut eſt *in fieri*. Primo modo ſumptum juxta Scholaſticorum opinionem pro materia habet Corpus & Sanguinem Chriſti, ita ut Euchariſticæ ſpecies ſint inſtar formæ illa determinantis ad ſignificandam ſacramentalem gratiam; vel (ut alii volunt) Corpus & Sanguis Chriſti ſimul cum ſpeciebus ſunt per modum materiæ, ipſa autem ſacramentalis ſignificatio per modum formæ. Atque hæc mere Scholaſtica ſunt, nec ad fidei dogma pertinent; hinc cuique de illis, ut libet, ſentire licet. Quod ſi vero alter Sacramenti ſtatus (videlicet *in fieri*) conſideretur, Catholicis fide certum eſt, conſecrationis verba eſſe formam, de qua ſequ. §. agendum erit: materiam autem

autem panem & vinum, ex quibus videlicet vi formæ consecratoriæ Euchariſtia conficitur, unde & *materia remota* dicuntur. Ac de hac nobis duntaxat iſthic erit diſceptatio, cum circa illam complures erraverint, nec eadem ſemper fuerit ipſius Eccleſiæ diſciplina; quocirca etiam de his duobus præcipua notabimus prævie; dein peculiaribus Aſſertionibus ſtatuemus de materia, primum quidem illa, quæ ad Corpus Chriſti Euchariſticum pertinet: tum de altera, ex qua nimirum Sanguis Chriſti in Sacramento conficitur.

Errores de materia Euchariſtiæ.

I. Circa primam Euchariſticæ materiæ partem, nempe panem, ipſo jam Sec. II. notatur error ac flagitium veterum Gnoſticorum, ut qui loco panis (teſte Epiph. Hær. 26.) ex infante contuſo conficiebant maſſam, eamque variis aromatibus conditam ſumebant ad *perfectum Paſcha*, ut ajebant, manducandum. Eodem Seculo Ophitas (ſic dicti ſunt a ſerpente, quem in ſpelunca enutriebant, & pro Chriſto colebant) refert Auguſt. L. de Hær. N. 17. pro Euchariſtia non alio pane uſos, quam quem hic ſerpens allamberet: quo facto panis conſecrationem fieri ſomniabant. 84

Pro Sec. III. Cataphryges & Artotyritæ: pro IV. autem Cathariſtæ nominandi ſunt. Et Artotyritæ quidem exemplo oblationum, quæ a primis hominibus de terræ & ovium fructibus factæ ſunt, in libis ex pane & caſeo factis conſecrabant: Cataphryges vero in pane confecto ex farina, quam infantis ſanguine minutis punctionibus expreſſo ſubigebant. De utrisque ſcribit Auguſt. cit. L. Num. 26. & 27. Cathariſtæ demum (teſte eod. Auguſt.) Euchariſtiam ex pane conſperſo ſemine humano conficiebant; Sectarios hos quidam Gnoſticos vocant ex Epiph. Hær. 26.

Ut omittam denique alios, Sec. XI. Michael Cærularius Patriarcha Conſtantinop. & Leo Achridenus Metropolita

(uterque post Photium græci Schismatis auctor) in solo fermentato pane Eucharistiam posse confici docebant, anathema idcirco dicentes Latinis in azymo consecrantibus, quos per contemptum *Azymitas* vocabant; ut legere est apud Baronium, Tillemontium, Natalem Alex. & alios in Hist. Ecc. Seculi XI. Errorem porro hunc hodie etiam retinent græci schismatis Sectatores. Contra Armeni quidam pertinaciter adeo pugnabant pro azymo, ut in hoc solo valide confici Eucharistiam assererent, quod notat Platell. in Synop. Theol. de Euch. N. 308.

85 II. Errorum quoad Calicis Eucharistici materiam initium factum est Seculo I. per Ebionitas, excluso vino, in pura aqua Sanguinem consecrantes: quod idem factum est Sec. II. a Tatianis & Severianis; Sec. III. a Manichæis, vinum a malo principio esse conditum opinantibus; ac demum Sec. V. sobrietatis prætextu ab Hydroparastatis, seu Aquariis: de quibus omnibus mentio fit apud Epiphan. Hær. 30. 46. 47. & Augustin. L. de Hæres. Num. 64.

In oppositum contra errorem lapsi sunt Armeni, cum videlicet pro consecratione Calicis vino puro, absque ulla admixtione aquæ, uterentur; reprehensi idcirco a Synodo Trullana An. 692. & ab Eugenio IV. in Decr. Union. cautum, *ut Armeni se cum universo orbe Christiano conforment, eorumque Sacerdotes in Calicis oblatione paululum aquæ admisceant vino.* Causam porro erroris hujus Nicephorus Hist. L. 18. C. 53. inde repetit, quod Armeni timuerint, ne aquæ cum vino mixtione viderentur significare duarum in Christo naturarum unionem, quam illi negabant. Hanc eamdem aquæ cum vino mixtionem, ceu inventum mere humanum & institutioni Christi contrarium rejecisse Lutherum constat ex ejus Ep. ad Henricum Angl. Reg. data An. 1522. & ex Missa Vittembergensibus ab eo præscripta An. sequente. Calvinum præterea hunc miscendi morem vocasse hæreticum, sacrilegum, & blasphemum, testis est Petrus Richerus Calvinista, ut refert

Nicol.

Nicol. Villaganonius L. I. contra Calvinianos Articulos C. 73. Hodierni interim Lutherani & Calviniani mitius de hoc sentiunt, id videlicet asserentes unum: aquæ mixtionem esse liberam & indifferentem, quæ proinde nec præcipienda, nec prohibenda sit; quod ipsum docent de usu panis azymi & fermentati. Vide Kemnitium in Exam. Concilii Trid. P. 2. Sess. 22. Cap. 7. & Can. 9.

Præter hos denique isthic memorandi veniunt illi, qui vini loco lac consecrabant, propterea a Conc. Carthaginensi III. An. 397. damnati; item illi, quos Conc. Bracarense IV. An. 675. celebratum Cap. 2. meminit uvas integras pro materia Sanguinis adhibuisse: quem ipsum abusum apud Daniæ etiam Sacerdotes, ob vini penuriam uvis siccis, aut vini fæcibus aqua immersis uti solitos, Sec. XII. irrepsisse constat ex Epist. Alexandri III. ad Upsalen. Archiep. & ejus Suffraganeos data.

Ex his jam omnibus soli schismatici Græci & Armeni, Lutherani item & Calviniani nobis impugnandi erunt; asserto enim contra hos Ecclesiæ dogmate, errorum reliquorum falsitas ac insania ultro patescit: ut adeo peculiari refutatione opus non habeant. Opiniones interim hæ tot ac tam impiæ argumento sint: nihil tam flagitiosum esse & sacrilegum, ad quod viam non sternat hæresis.

Varia Ecclesiæ Disciplina circa materiam Eucharistiæ.

I. PRimis Ecclesiæ Seculis mos erat, sub ea Missæ parte, 86
quam *Offertorium* dicimus, a fidelibus offerri panem & vinum in conficiendæ Eucharistiæ usum, ut constat ex S. Cypriano L. de Opere & Eleemos. diviti fœminæ cuidam ita exprobrante: *dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ in Dominicum sine Sacrificio venis; quæ partem de Sacrificio, quod pauper obtulit, sumis &c.* Quin morem hunc subinde Ecclesia-

ſtica lege ſtabilitum fuiſſe novimus ex Conc. Matiſconenſi II. An. 588. quod Can. 4. decrevit, *ut omnibus Dominicis diebus Altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur*, *tam panis quam vini &c.* Quod jam vero nominatim ad panis oblationem attinet, ex Ord. Rom. docemur, majoris etiam molis panes, eosque integros, & in figuram orbicularem, cruce ac nomine Jeſu ſignatam, formatos ſuper Altare fuiſſe oblatos: ex quibus tantum conſecrabatur, quantum pro Sacerdotis, præſentium fidelium, & infirmorum communione ſufficiebat; reliquum cedebat pro Eulogiis & in uſum Clericorum.

Deficiente interim ſubinde communicantium fidelium numero & portio panum diminui cœpit; & ſancitum eſt, ut conſecrandi panes ab ipſis Clericis pararentur, ut colligitur ex Humberti Cardin. Reſponſione ad Michael. Cærularium. Poſtquam demum deſiit oblationum & quotidianæ populi communionis conſuetudo, ea, quæ nunc in uſu eſt, panis conſecrandi moles & forma induƈta eſt, id quod in Occidente faƈtum jam ante Sec. XI. & XII. colligitur ex laud. Humberto, & Honorio Auguſtodunenſi in Gemma animæ L. 1.

De Orientalibus ex Allatio id addendum: panem conſecrandum apud Græcos jam a veteri ut plurimum non rotundæ, ſed in quatuor ramos ad modum crucis extenſæ figuræ eſſe, eique imprimi literas IC. XC. N. K. lege, Ἰησοῦς Χριστὸς νικᾷ, hoc eſt, *JESUS Chriſtus vincit*: aut cruces & punƈta 12. Apoſtolos, & 72. Diſcipulos ſignificantia. Reliquos Orientales peculiaria quædam alia habere notat id. Allatius, & colligitur ex Decr. Congreg. de propag. Fide An. 1633. pro Jacobitis dato.

87 II. Atque hæc certa; illud vero controverſum: num panes hi, ex quibus in primæva Eccleſia conficiebatur Euchariſtiæ Myſterium, azymi an fermentati fuerint? Sirmondus noſter in Diſquiſit. de Azymo contendit, Latinos primis oƈto Seculis fermentato fuiſſe uſos: azyma vero ab iis recepta non prius,

prius, quam ab An. circiter 886. ad An. 1053. intra illud videlicet tempus, quod fluxit a ſchiſmate Photii ad turbas Cærularii. Contra Cl. Mabillonius ex Ord. S. Bened. in Diſſert. de Pane Euchar. exiſtimat, in Eccleſia Latina ſemper fuiſſe azymorum uſum, nec receptum unquam fermentatum panem. Medium inter utrumque tenet Emin. Card. Bona Ord. Ciſtercienſis Rer. Liturg. L. 1. C. 23. ubi docet, Græcos ſemper in fermentato conſecraſſe: Latinos autem primis Seculis promiſcue in azymo & fermentato, nec azymorum uſum lege univerſali ante Sec. X. apud eos introductum fuiſſe. Ac hæc ſunt in præſenti celebriores ſententiæ, quarum ſingulæ ſuos habent Patronos. Momenta interim earum non ſunt convincentia: eſtque omnino arduum, in re, quæ ab obſcuris & incertis Veterum teſtimoniis pendet, certi aliquid velle ſtatuere; inde mihi quidem ſatisfuerit conjecturam, quæ veriſimilior videtur, adferre. Itaque

III. Probabile eſſe cenſeo, tam Græcos quam Latinos 88
primitus pro conficienda Euchariſtia promiſcue adhibuiſſe panem azymum & fermentatum. Pro hac opinione illud facit *1mo:* quia haud improbabiliter dicitur, Apoſtolorum ætate Chriſtianos ex Judaiſmo converſos aliqua Legalia, ac nominatim dies Azymorum, obſervaſſe: quamvis enim ad id non obligarentur, nec tamen vetabantur; cum igitur ex Act. 2. & 20. conſtet Apoſtolos paſſim cum fidelibus conveniſſe in domibus *ad frangendum panem*, hoc eſt celebrandam Euchariſtiam, veriſimile eſt eos diebus Azymorum in azymo, extra hos vero in fermentato conſecraſſe, prout videlicet pro circumſtantia temporis hic aut ille panis in domo uſitatus fuit. Pro eadem opinione facit *2do:* quod utriusque veteris Eccleſiæ PP. & CC. aquam nominatim vino eſſe miſcendam velint: panem autem requirentes, nuſpiam declarent, num azymus, an fermentatus eſſe debeat, tametſi exiſtimaverint, Chriſtum in ultima cœna azymum conſecraſſe, ut ipſe Photius Cod. 116. agnoſcit; ex quo quidem ſilentio jure conjicias, in veteri Eccle-

Ecclesia promiscuum fuisse panis azymi & fermentati usum. Nec valet dicere, panis nomine absolute prolato satis eos indicasse fermentatum: etenim opinione Patrum panis a Christo in ultima cœna consecratus fuit azymus, hunc tamen Evangelistæ perinde panis nomine, nulla restrictione adjecta, indigitant.

Accedit & illud, quod nominatim probabile sit primis Seculis (aliquando saltem) Orientales in Azymo, Occidentales autem in fermentato Eucharistiam consecrasse. Pro Orientalibus argumento sunt Armeni & Maronitæ, hodie etiam in azymo consecrantes, quem morem in suis Ecclesiis antiquissimum esse ajunt; de quibus consuli potest Antoine in Theol. Mor. Append. ad Euchar. §. 1. Quid quod vix dubitari possit, Quartadecimanos in Asia primis Ecclesiæ Seculis pane azymo usos fuisse pro Eucharistia; cum enim in Paschate celebrando religiose adeo observaverint tempus, quo Christus Pascha ultimum manducavit; haud levis est conjectura, panem etiam azymum vel ideo adhibuisse illos, quod Christus eo tempore in azymo Eucharistiam consecraverit. Pro Occidentalium autem pane fermentato illud pugnat, quod Melchiades, Syricius, & Innocentius I. Papæ, (hic sub initium Seculi V. duo autem priores Sec. IV. floruerunt) in Decretis suis Eucharistiam appellent *fermentum*, ut contendit Sirmondus in Disquis. de Azymo C. 5. quamquam non diffitear, ab Eruditis multis *fermentum* illud alio sensu accipi, de quo vide Cl. Honoratum a S. Maria in Animadv. Crit. Tom. 2. Differt. 4. Ar. 3.

89 IV. At quæri ultro potest: quonam igitur tempore pro Occidentalibus panis azymi, pro Orientalibus autem fermentati usus universalis primum inductus est? id vero rursus incertum ajo: conjectare attamen licet, Seculo IX. Latinæ & Græcæ Ecclesiæ disciplinam quoad hoc nondum fuisse diversam. Etenim Photius in sua contra Occidentales Encyclica An. 869. (juxta Baronium) data non arguit Latinam Eccle-

siam

siam de azymo; credibile autem non est, præteriturum fuisse hoc accusationis caput, si jam tum apud Latinos tantum azymus, apud Græcos tantum fermentatus universim in usu fuisset.

In Occidente interim jam Sec. VIII. usum azymi prævaluisse colligitur ex Alcuino, qui Ep. 69. ad Lugdunenses de Eucharistiæ materia agens, *panis*, inquit, *qui in Christi Corpus consecratur, absque fermento ullius alterius infectionis debet esse mundissimus &c.* Quod ipsum potiori jure dicendum pro Seculo IX. præsertim propter testimonium Rabani Mauri Archiep. Mogunt. L. 1. de Instit. Cler. C. 3. Ita autem sensim mos hic invaluit in toto Occidente, ut demum Sec. XI. universalis esset, nec amplius Latinis fermentato uti liceret; inde Cardin. Humbertus, hujus Seculi Scriptor, in Respons. contra Nicetam Pectoratum, *Romana & Occidentalis Ecclesia*, inquit, *a ministris Sacri Altaris in Secretario confectum offert azymum, quod ex grano frumenti, & limpida aqua per ignem fuerit præparatum.* Quod vero ad Orientales attinet, tametsi Sec. XI. Græci duce Cærulario azyma Latinorum acerrime impugnaverint, nondum tamen hoc Seculo in toto Oriente universim receptum est fermentum, quod vel ex ipso memorato Cærulario discimus, & quidem ex ejus Ep. ad Petrum Antioch. Patriarcham data, in qua de Alexandrino & Hierosolymitano Patriarchis ita scribit: *ad aures nostras pervenit, - - quod prædicti duo Patriarchæ non solum alios azymis vescentes recipiunt, sed etiam ipsi aliquando in azymis sacrum conficiunt Sacrificium.*

Atque hæc in re incerta conjecturæ sufficiant. Qui plura de argumento hoc volet, consulat supra laudatos Sirmondum, Mabillonium, Bonam, Honoratum a S. Maria, item Alexandrum Nat. in Panoplia adversus Hæreses Seculi XI. & XII. Differt. 11. Art. 3.

V. Ut de materia demum Calicis etiam insinuemus quid- 90
piam, constans ac invariata fuit a primis Seculis ad nostram

usque ætatem Ecclesiæ utriusque consuetudo, vino pauxillum aquæ admiscendi, uti istud ex N. 104. patebit. Aqua porro sola benedicitur, non vinum; hoc enim significat Christum, cui benedictione opus non est: aqua vero populum, qui benedictione indiget, ut notat Durandus.

Tametsi autem hæc communia sint toti Ecclesiæ, peculiare nihilominus præterea quidpiam habent Græci. Ut enim ex eorum Liturgiis, & Arcudio L. 3. Concordiæ C. 39. constat, in calicem bis infundunt aquam; primum quidem ante Missam, cum Sacerdos lanceola panem transfigit dicens, *unus militum lancea latus ejus aperuit, statimque exivit sanguis & aqua*, Diacono interea aquam infundente in Calicem: peracta dein consecratione, ante ipsam sumptionem, Calici affundunt aquam ferventem, quam Sacerdos benedicens dicit, *Benedictus fervor Sanctorum jugiter nunc & semper & in secula seculorum Amen:* Diacono, qui affundit, respondente, *fervor fidei plenus Spiritu Sanctorum Amen.* Causam, cur præter frigidam etiam ferventem aquam misceant, Balsamon in Respons. ad quæsita Marci Patr. Alex. hanc reddit, *ut scilicet Sanguis & aqua, quæ fluxerunt a Sancto latere Domini & Dei Salv. N. J. C. vivifica esse constet, veluti ex vivifico deificato corpore vivifica.*

Neque omnino damnari potest hæc mixtio, ut quæ antiqua est, & a SS. Patribus commendata: præscribitur enim in Liturgiis Basilii &, Chrysostomi, laudantque eam Gregor. Nyss. Orat. Catech. C. 37. Damascenus L. 4. C. 14. & alii Patres. Eadem approbata est a BENEDICTO XIV. S. P. in Constit. *Etsi Pastoralis*, in qua §. 6. Num. 2. Græco - Italis *permittitur, facta jam consecratione, antequam Sacerdos communicet, juxta ritum in Liturgia præscriptum, aquam ferventem, seu tepidam in Sacrum Calicem infundere.* Quamvis autem istud Græcis permissum sit, errant tamen Photiniani, cum Latinos & alios Orientales, qui ritum hunc omittunt, erroris accusant. Præterquam quod enim ritus iste particulari duntaxat Eccle-

Ecclesiæ præscriptus sit, non negamus nos præterea, nec improbamus id, quod Græci mixtione illa significatum volunt, ut Photiniani perperam arbitrantur.

His jam de præsentis argumenti Erroribus, ac etiam Ecclesiæ Disciplina præmissis, Catholicum dogma de Eucharistiæ materia explicandum & propugnandum est.

De Materia Corporis Christi in Eucharistia.

ASSERTIO.

Pro Corpore Christi in Eucharistia conficiendo necessaria materia est panis triticeus; ad valorem autem Sacramenti perinde est, seu sit azymus, seu fermentatus; ex præcepto tamen Ecclesiæ a Latinis azymus, a Græcis fermentatus adhiberi debet.

Assertionis pars I. certa est, si Christus Sacramentum hoc instituens pro materia panem triticeum adhibuit, ac deinceps etiam illum in conficienda Eucharistia adhiberi voluit; atqui utrumque extra controversiam est, ergo &c. Et Min. quidem propositionis membrum primum patet ex jam sæpe laud. Evangelistis, qui referunt Christum Discipulis *cœnantibus accepisse panem*, huncque verbis illis, *hoc est Corpus meum*, consecrasse; ut autem ait Catech. Roman. *cum panis absolute dicitur, panem ex tritico intelligi satis constat*, hic quippe (quod Platellius notat) est Simpliciter panis, panesque alii solum in ejus defectu adhibentur. Alterum ejusdem propos. membrum etiam certum est ex Luca, qui C. 22. V. 19. Christum post panis consecrationem refert dixisse: *hoc facite in meam commemorationem;* voluit igitur etiam deinceps, saltem quoad substantiam, idem fieri, ac proinde pro consecranda Eucharistia panem triticeum adhiberi. 91

92 Ac ne hæc arbitrarie dicta quisquam existimet, addat momentum constans sensus & praxis Ecclesiæ, pro Eucharistia conficienda semper pane triticeo utentis, non alia utique causa, quam quod Christus ita voluerit. Sensus porro hujus & praxis testes sunt Patres & Concilia. Ita Cyprianus Ep. 68. ad Cæcilium, figuram Eucharistiæ, quæ erat oblatio per Melchisedech facta, *perficiens & adimplens Dominus*, inquit, *panem & calicem mixtum vino obtulit &c.* Et Damascenus L. 4. Orth. Fid. C. 12. *Panis & vinum - - in Christi Corpus & Sanguinem vertuntur.* Ex Conciliis vero, Carthaginense III. An. 397. Can. 24. statuit, *ut in Sacramentis Corporis & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est, panis & vinum.* Panem vero hunc nominatim debere esse triticeum, apertius docemur ex Concilio Chalcedonensi An. 451. in quo Act. 3. Ischirion Diacon. Alexandr. contra Dioscorum questus est, *ejus avaritia factum esse, ut Missæ Sacrificium in Lybia non offerretur defectu tritici, quod cum rarum esset, a Dioscoro maximo pretio divendebatur.* Certius idem est ex Concil. Florent. in Decr. pro Arm. ubi dicitur: *tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite.* Apertissime denique istud tradunt Rubricæ Missal. Rom. Tit. de defectibus, cum monent *non confici Sacramentum, si panis non sit triticeus.*

93 Id isthic addendum est unum: panem hunc ipsum confici debere ex farina triticea, aqua naturali diluta, & igne cocta. Hic quippe solum est panis usualis & simpliciter dictus, quo communiter utuntur homines, ut sit veluti comes aliorum ciborum: talemque Christus consecravit in Cæna, quæ cum ordinaria fuerit, non alium utique in ea appositum fuisse colligitur; nec Patres & Concilia alium absoluto panis nomine designarunt.

94 Pro II. parte Assertionis utor argumento S. Anselmi Sec. XI. Archiep. Cantuariensis, qui in L. de ferment. & azyme

mo ad Walerannum ita ſcribit. *Et azymum & fermentatum panem ſacrificans ſacrificat. Et cum legitur de Domino, quando Corpus ſuum de pane fecit, quia accepit panem & benedixit, non additur azymum vel fermentatum. Certum tamen eſt, quia azymum benedixit; forſitan non quia res, quæ fiebat, hoc exigebat, ſed quoniam Cæna, in qua factum eſt, exigebat. Et cum alibi ſe & carnem ſuam panem vocavit, - - non ait azymum vel fermentatum, quia uterque pariter panis eſt; non enim differunt ſubſtantialiter.* Vis argumenti hujus eo reducitur: *Chriſtus* Joan. 6. Euchariſtiam promittens verbis illis, *panis, quem ego dabo, caro mea eſt*, nulla azymi aut fermentati diſtinctione facta, ſe & carnem ſuam vocat panem; cum igitur uterque perinde ſit panis, ſpectata inſtitutione Chriſti perinde in utroque poteſt valide confici Sacramentum. Et fermentatum quidem nemo negat eſſe panem ſimpliciter dictum ac uſualem; de azymo autem idem conſtat ex Scriptura: tametſi enim non ſit perinde in uſu quotidiano ut fermentatus, apud Judæos ſaltem in uſu erat diebus azymorum: & L. 1. Reg. C. 21. panes propoſitionis azymi ſimpliciter dicuntur panes, iiſque veſcebantur Sacerdotes: ipſe demum panis, quem Luc. 24. Chriſtus in Emmaus coram duobus diſcipulis fregit, vocatur abſolute panis, qui indubie erat azymus, cum tunc eſſent dies azymorum.

Huc facit & ſenſus Eccleſiæ, quam primis Seculis pro- 95
miſcue uſam fuiſſe azymo & fermentato ſupra N. 88. probavimus; nec omnino a Latinis impugnata ſunt unquam Græcorum [redacted], ut conſtat ex Leonis IX. Ep. ad Cærularium; nec Græci ante ſchiſma Cærularii negarunt valorem conſecrationis in [redacted], quod pluribus probat & urget Arcudius. Inde in Definitione Fidei, cui in Concilio Florent. prid. Non. Julii An. 1439. ſubſcripſerunt Græci, Decr. 2. ſtatutum eſt his verbis: *Definimus inſuper in azymo ſive in fermentato pane triticeo Corpus Chriſti veraciter confici; Sacer-*

dotesque in alerutro ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ sive Occidentalis sive Orientalis consuetudinem. Idem totidem verbis repetitur in ejusdem Concilii Decr. pro Arm. eod. An. decimo Kal. Dec. edito propter quosdam Armenos, in solo azymo valide consecrari asserentes.

96 Ad III. partem Assertionis quod attinet, indubitatam reddunt verba ex Concilio Florentino paulo ante recitata, quibus hoc præceptum aperte continetur; ad quod ipsum accedit vetus Ecclesiæ consuetudo, quæ vim obtinet legis. Hinc Cap. *Literas*, de celebrat. Sacerdos latinus privari jubetur officio & beneficio, quod in fermentato pane & calice ligneo consecraverit. Cum proinde Ecclesiæ certum ritum in re gravi (ut est præsens) præcipienti sub gravi culpa parere teneamur, extra dubium est, ritum hunc quoque sine peccato negligi non posse, saltem regulariter. Vide in simili dicta L. I. de Sacr. in Gen. Diss. VI. §. III.

Objectiones Sectariorum.

97 Contra 1*mam* partem Assertionis opponunt I. Fideles olim sub Missa super altare offerebant præter panem & vinum etiam caseum, fabas, mel, lac &c. hæc igitur etiam censebant esse materiam Eucharistiæ.

II. Cum Christus pro Ecclesia per Orbem totum diffusa Eucharistiam instituerit, videtur non esse credibile, solum triticeum panem ab eo requisitum: cum regiones complures triticum non ferant.

Resp. ad I. quæ, præter panem & vinum, olim offerebantur alia, cedebant in usum Cleri, & Templi apparatum: non autem pro materia Eucharistiæ. Quia tamen Sec. IV. reperti sunt e fidelibus simpliciores quidam, qui pro pane caseum vel fabas, pro vino autem lac, hisque similia consecranda

cranda offerrent, errorem eorum Concil. Carthaginense III. An. 397. speciatim Cap. 24. damnavit. Et Can. 3. ex iis, qui Apostolici dicuntur, statuitur pœna depositionis pro eo, qui præter panem & vinum quidpiam aliud pro Eucharistia consecrare attentaverit.

Resp. ad II. nullius regionis sterilitatem adeo pertinacem esse, ut non aliquo loco, aut in vicinia saltem, modicam eam, quæ pro conficienda Eucharistia sufficit, tritici quantitatem ferat, præsertim si peritia Agrariæ & colonorum peculiaris industria accedat. Quod si interim soli pertinacia neque istud promittat, facile supplebit commercii beneficium.

Contra 2*dam* partem Assertionis opponitur I. Pro Eu- 98
charistiæ materia necessarius est panis proprie talis; at hic solum fermentatus est: cum panis dicatur græce ἄρτος, sive elevatus, propterea quod a fermento attollatur; ergo non valet perinde azymus & fermentatus.

II. Panis azymus non est in usu quotidiano; non est igitur panis usualis, & simpliciter dictus, ac proinde nec sufficiens hujus Sacramenti materia. Quid quod

III. Christus instituens Eucharistiam in fermentato consecraverit; hunc igitur solum esse voluit Eucharistiæ materiam: quod ipsum olim agnovit Ecclesia, cum Latini (juxta Sirmondum) primis octo Seculis, Græci autem (ut vult Card. Bona) semper in fermentato consecraverint.

IV. Demum corruptus panis nequit haberi pro Eucharistiæ materia: fermentatum autem corruptum esse indicat Apost. 1. Cor. 5. dicens, *modicum fermentum totam massam corrumpit;* qui igitur esse potest Sacramenti materia?

Resp. ad I. quod erat Cærularii argumentum, C. Maj. N. Min. Neque ratio huic addita probat quidquam, ut olim Humbertus in Dial. contra Cærul. recte urgebat ita scribens: *illud, quod azymum negantes panem esse per ethymologiam hujus nominis, quod est ἄρτος, conamini nos vincere, sciatis omnino vanum*

vanum & puerile ; quia & a linguarum peritis diversis ethymologiæ dantur ex uno nomine, secundum hominum placitum magis, quam secundum naturam rerum. Ac in præsenti quidem ita se rem habere, patet ex Sacro textu tam græco quam latino, cum Exod. 29. Jud. 6. Luc. 24. & aliis locis azymus perinde ac fermentatus compelletur uno nomine αρτος, sive panis. Quid quod Matthæus in Evangelio suo hebraice scripto panem a Christo consecratum vocet *lehhem*, qua voce alibi etiam azymus designatur.

Resp. ad II. D. Ant. azymus non est perinde in usu ac fermentatus C. penitus non est, neque erat ullo tempore in usu saltem apud aliquos N. una cum Illat. At de hoc jam dictum supra N. 94.

Resp. ad III. quod Græci Schismatici pro fundamento sui erroris habent, N. Ant. falsoque istud afferi satis patet ex sententia de ultimo Christi Paschate Differt. I. §. II. a nobis propugnata. Sed neque ex hac inferant Armeni Schismatici, quasi vero Christus solum in azymo consecrari Eucharistiam voluerit, cum ipse in azymo eam consecraverit : illationem quippe hujusmodi haud legitime institui docemur ex iis, quæ hoc ipso §. N. 94. & 95. pro hac Assertionis parte attulimus. Quod demum in Object. additur de Ecclesiæ sensu, id certum non esse, nec omnino sustineri posse, declarant dicta a N. 87. usque ad N. 90.

Resp. ad IV. hoc loco Apostolum id velle unum, quod per fermentum farinæ massa alteretur; hoc sensu autem corrupta, seu alterata, non reddit utique panem in sensu vulgari corruptum, proinde nec insufficientem pro Eucharistiæ materia.

99 Contra 3tiam part. Assertionis opponitur I. Non magis differt panis azymus a fermentato ac vinum album a rubro; sicut igitur vinum pro Eucharistiæ materia sine discrimine adhiberi potest, sic & panis.

II. Lege

II. Lege adstringi ad usum azymi pro Eucharistia est, communicare cum judæis, ut qui azymorum lege tenebantur; Imo

III. Utentes azymo videntur communicare cum Eutyche, unam duntaxat in Christo naturam admittente: nam Armeni ad hanc in Christo naturæ unitatem significandam azymi usum sunt amplexi. Atque hinc est fortasse,

IV. quod Concil. Constantinopol. II. Can. 11. prohibuerit, *ne Clerici aut laici comedant azyma Judæorum;* nos igitur Latinæ Ecclesiæ quoad usum azymi panis vitiosus est, & expresso Oecumenici Concilii præcepto adversatur.

Resp. ad I. Ut ut sit de differentia intrinseca: certe extrinseca non est eadem, propter Ecclesiæ præceptum videlicet, quo jubemur inter panem azymum & fermentatum discrimen facere, non item album inter ac rubrum vinum.

Resp. ad II. verbis S. Anselmi L. supra laud. ad Valerannum. Ita autem ille: *Quod Græci ajunt, nos judaizare: non est verum; quia non sacrificamus de azymo, ut Legem veterem servemus, sed ut - - Dominum, qui hoc non judaizando fecit, imitemur.* Pergit deinde: *non judaizamus, si figuram tenemus in azymo; quoniam non significamus Christum sine fermento peccati venturum, tanquam Judæi: sed monstramus eum talem venisse, sicut Christiani; & per hoc monemur tales nosmetipsos exhibere &c.* juxta illud videlicet Ap. 1. Cor. 5. *epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* Ex quibus uti colligitur mystica azymi apud nos significatio: ita pariter certum fit, e us usu nos non judaizare, sed judaismi figuras implere. Hac ipsa causa sine judaismi nota in Baptismo aquam adhibemus, tametsi illa etiam Judæi fuerint usi in suis purificationibus.

Resp. ad III. immunes nos esse a communione cum Eutychete satis declarat azymi apud nos significatio paulo ante

 rela-

relata; quidquid demum ſit de Armenis in ſua ſignificatione errantibus: quanquam Demetrius Cyzicenus in Tract. de hær. Jacobit. ea duntaxat cauſa Armenos uti azymo teſtetur, *quia quem Chriſtus panem diſcipulis tribuit, azymus erat.*

Reſp. ad IV. inter genuinos hujus Concilii Canones nullum eſſe de prohibitione azymorum: certe Can. 11. ſolum continet anathema in eos, qui non anathematizant Arium, Eunomium &c. Inde plurimorum judicio objectus Can. 11. eſt ex Trullanis, ſeu illis, quos Græci quidam Conſtantinopoli in *Trulla* (hoc eſt, Palatii Secretario) furtive congregati procuderunt, quique a Sergio P. reprobati ſunt, nec unquam ab Eccleſia recepti. Hoc ipſo interim Can. non aliud prohibetur, quam ne fideles ritu Judæorum azymorum ſolemnia obſervent.

Corollarium.

EX propugnato nunc generatim Catholico dogmate multa in particulari ad uſum & praxim deducunt Theologi Morales, quorum nos referemus præcipua, principii inſtar pro reliquis ſervitura. Itaque

100 I. Cum neceſſaria Euchariſtiæ materia ſit panis triticeus, certum eſt invalide conſecrari in pane ex hordeo, avena, caſtaneis, fabis & ſimilibus confecto, cum hæc non ſint triticum: quamvis id genus pane quidam utantur. Contra, cum prudens dubium eſt de grano, an ſit de genere tritici, ut de ſiligine & ſpelta multi dubitant, materia pariter eſt dubia; non licet proinde illa (ſaltem extra neceſſitatis caſum) uti pro conficiendo Euchariſtiæ Sacramento. Idem cenſendum eſt de pane triticeo, ſi alterius naturæ grano permiſceatur: niſi forte mixtio hæc ſit modica, ita ut panis æſtimatione morali habeatur pro triticeo; quanquam in praxi omnino curandum ſit, ut panis ſit ex puro tritico.

II. Ex

II. Ex eo pariter, quod requiratur panis usualis, hoc est, 101
ex farina triticea per aquam naturalem subacta confectus, dubitari nequit, insufficientem materiam esse eum, qui fit ex farina lacte, butyro, melle, oleo, aqua rosacea, vel aliis liquoribus ab aqua naturali differentibus diluta: neque enim hujusmodi liba usualis panis nomine veniunt; nisi forte de liquoribus his modica portio admixta foret, quanquam neque tunc ejusmodi materiæ usus esset licitus. Inde Nestorianis & & Jacobitis peculiari Decreto Congr. de Prop. Fide An. 1633. vetitum est, ne panem consecrandum vel in superficie ungerent oleo. Potiori autem jure pro invalida materia haberi debet massa cruda; vel etiam frixa, aut ad solem durata &c. uti & panis ex amylo (aliis amydum) seu albo illo liquore, qui ex granis triticeis aqua maceratis exprimitur.

III. Demum vi præcepti, quo Latini tantum in azymo, 102
Græci autem tantum in fermentato consecrare jubentur, videtur mihi verisimilius non posse eos ab hoc ritu recedere ulla causa: proinde non titulo peregrinationis aut incolatus, nec si destituantur templo sui ritus &c. nisi peculiare accedat sedis Pontificiæ indultum. Ad istud vero contra multos DD. cum Verricello & Antoine sentiendum inducor Pii V. Constit. quæ incipit, *Romani Pontificis*, An. 1566. edita, & BENEDICTI XIV. Constit. *Etsi Pastoralis*, jam alias memorata. Ex his certe Verricellus concludit, non licere Sacerdoti Latino uti fermentato in Ecclesia Græca, nec Græco in Ecclesia Latina azymo, etsi populus diu deberet sacrificio privari, aut æger absque viatico decedere; quia communis utilitas privatorum commodis præferenda est, ad communem autem utilitatem pertinet servari præscriptos Ecclesiæ ritus: nec præceptum Viatici aut Missæ audiendæ obligat, nisi cum ritus Ecclesiæ observari possit. Consule Laud. Antoine in Theol. Mor. Par. 2. Tract. de Euch. in Append. §. I.

De Materia Calicis Euchariſtici.

ASSERTIO.

Solum de vite vinum eſt materia Calicis; huic nihilominus ex præcepto Eccleſiæ modica aqua miſceri debet.

103 Pars I. fundatur in Scriptura & Traditione. Etenim Chriſtus vinum de vite conſecravit, ut docent verba poſt panis & vini conſecrationem ab eo prolata Matth. 26. *non bibam amodo de hoc genimine vitis &c.* quod vero id ipſum etiam deinceps fieri voluerit, teſtatur Apoſt. 1. Cor. 11. ubi Calicis inſtitutionem, prout eam accepit a Domino, his refert verbis V. 25. *ſimiliter & calicem* (accepit) *poſtquam cœnavit, dicens: hic Calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine; hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.* Ex his forma argumentum, ut ſupra de pane N. 91.

Traditio pariter in hanc rem certa eſt tum ex uſu conſtanti Eccleſiæ: tum ex Patribus & Conciliis. Cyprianum, Damaſcenum, Concil. Carthaginenſe III. & Florentinum vide N. 92. His adde Concil. Lateranenſe IV. Can. 1. & Trident. Seſſ. 13. Cap. 3. & 4. ac etiam Can. 2. Ex Patribus autem Chryſoſtomum, qui Hom. 83. in C. 26. Matth. Aquarics impugnans, ſuper illa Chriſti verba, *non bibam amodo &c.* ita commentatur, *de genimine vitis, quæ certe vinum, non aquam produxit;* ac deinde, etiam poſt reſurrectionem eum vino uſum referens, pro cauſa addit, *ut oſtenderet, quia & quando hoc Myſterium tradidit, vinum tradidit &c.* Juxta PP. igitur & Concilia vinum eſt materia Calicis: nomine autem vini ſimpliciter dicti intelligitur vinum de vite.

104 Pars II. de mixtione aquæ ex præcepto Eccleſiæ conſtat ex Tridentino, quod Seſſ. 22. Cap. 7. ita habet: *Monet S. Synodus, præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam vino in*

in calice offerendo miscerent; tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur; tum quia e latere ejus aqua simul cum Sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur, & cum aquæ in Apocal. B. Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum Capite Christo unio repræsentatur. Idem dein ibid. Can. 9. dicenti, *aquam non esse miscendam vino in calice offerendo, eo quod sit contra institutionem Christi*, dicit anathema.

Ex his autem patet non modo præceptum Ecclesiæ, sed & causa, ac significatio mystica hujus mixtionis. Neque novi isthic quidquam Tridentinum profert; hæc omnia veterem esse Ecclesiæ doctrinam testimonio sunt PP. & CC. Nempe, ut nihil dicam de veteri Judæorum more, secundum quem calicem paschalem aqua temperabant, ut constat ex Misna jod Benedictione 7. & Rabbi Majmonide; istud certe nominatim de Christo Eucharistiam instituente testantur Patres. Ita (præter Basilium & Chrysostomum in suis Liturgiis, item Justinum M. Apol. 2. & Damascen. L. 4. de Fide Orthod. C. 4. ac alios) Irenæus L. 4. C. 57. de Christo, *accipiens*, inquit, *panem suum Corpus esse confitebatur, & temperamentum calicis suum Sanguinem confirmavit.* Clarius id ipsum refert Cyprianus Ep. 63. *invenimus calicem mixtum fuisse, quem Dominus obtulit;* mixtum autem hoc fuisse, ac etiam esse debere ex vino & aqua docet Ep. 63. ad Cæcilium infra N. 107. citanda. Mixtionem eamdem fieri oportere decrevit Sec. IV. Concil. Carthaginense III. Can. 24. Sec. VI. Aurelianense IV. Can. 4. Sec. IX. Triburiense Can. 19. Armenos vero ritum hunc rejicientes Sec. 7. a Synodo Trullana fuisse reprehensos, quin Sec. XV. eumdem illis a Concilio Florentino præceptum, jam supra N. 85. adnotavimus. Huc denique facit perpetuus Ecclesiæ usus, cujus cum initium ostendi nequeat, juxta regulam Augustini ad Traditionem Apostolicam est referendus.

105 Atque hæc ad doctrinam in *2da* Assertionis parte propositam comprobandam sufficiunt; pro uberiore nihilominus ejus explanatione duo observanda sunt præterea. Nempe

Dictum est *1mo*, mixtionem hanc aquæ esse ex *præcepto Ecclesiæ*; neque enim eam ad necessitatem Sacramenti requirimus, ut adeo etiam sine illa solum vinum valide (tametsi non licite) consecretur. Ac omnino necessitas hæc nullo sufficienti fundamento adstrui potest, ut patebit ex Resp. ad Object. N. 107. Inde Missale Rom. in Rubr. Tit. de deffect. monet: *si celebrans - - advertat non fuisse appositam aquam - - post consecrationem Calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti.* Idem docet Catech. Concilii Trid. §. de Materia Calicis.

Dictum est *2do*, misceri debere *aquam modicam*; quod ipsum nunc cit. loco monet laud. Catech. ac jam antea præceperat Eugenius IV. in Decr. pro Arm. ipsoque usu Ecclesiæ docemur. Ratio præterea est: nam vinum esse materiam hujus Sacramenti necessariam constat; quod si autem multa aqua permisceatur, amittit rationem vini, intellige usualis, quod videlicet hoc nomine venit prudenti hominnm æstimatione. Inde Honorius III. Sec. XIII. Pontifex in Ep. ad quemdam Sueciæ Archiep. *perniciosum abusum* vocat, *quod in majori quantitate de aqua ponatur in Sacrificio: cum secundum rationabilem Ecclesiæ consuetudinem plus in ipso sit de vino, quam de aqua ponendum.* At, quæ hæc, inquies, quantitas esse debeat? Concil. Triburiense An. 895. Can. 19. de hoc ita habet: *duæ sint partes vini, quia major est majestas Sanguinis Christi, quam fragilitas populi, tertia aquæ, per quam intelligitur infirmitas humanæ naturæ.* Nunc communis est Theologorum sententia: vel guttam aquæ sensibilem sufficere; nec plus de ea affundi posse quam tertia pars vini conficeret, ne forte major excessus aquæ vinum ita corrumpat, ut illud vini usua-

usualis naturam amittat. Vide Bonac. de Euch. Par. 4. N. 4. Lugo, Laymon, & passim alios.

Resolvuntur Objectiones.

Contra 1mam par. Assertionis pugnare videtur: quod aqua, 106
seu demum ea sit fontana, seu fluvialis, aut pluvia, sit sufficiens Baptismi materia; cur non igitur etiam vinum, seu illud de vite, seu ex fruticum aliorum fructibus sit expressum, sufficientem dicamus Eucharistiæ materiam?

Resp. illat. non esse legitimam: quævis enim id genus aqua perinde vere ac proprie est naturalis & elementaris aqua, qua Christus Baptismum perfici voluit; solum contra vinum de vite proprie tale ac usuale esse vinum, reliquos autem liquores per analogiam duntaxat & improprie hoc nomine compellari, nemo ambigit. Inde pars hæc Assertionis certa est non modo DD. Orthodoxis, sed & Schismaticis & Novatoribus. At

Altera ejusd. Assertionis pars multiplici nomine in contro- 107
versiam vocatur. Opponitur nempe

I. Ad ipsum valorem & substantiam Calicis Eucharistici necessaria est mixtio aquæ; repeti igitur illa nequit a præcepto Ecclesiæ. Ant. prob. nam Cyprianus Ep. ad Cæcil. *sic autem*, inquit, *in sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest; nam si vinum tantum quis offerat, Sanguis Christi incipit esse sine nobis: si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo.* Et Concil. Wormaciense Can. 4. statuens mixtionem, hanc reddit causam: *non enim potest calix Domini esse aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur.*

II. Christus mixtionis hujus non modo exemplum dedit, sed eamdem etiam præcepit; ergo ritus miscendi aquam vino non est ex præcepto tantum Ecclesiæ, verum ex institutione Christi & mandato divino. Ant. prob. tam ex illis Christi verbis,

bis, *hoc facite, quotiescunque bibetis &c.* quæ Calicis mixti consecrationi subjecit; tam ex Patribus & Conciliis. Certe Justinus M. Apol. 2. exposito mixtionis ritu, continuo subjicit - *nam Apostoli in Commentariis a se scriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt præcepisse sibi JESUM.* Cyprianus etiam in paulo ante laud. Ep. de eodem ritu ait, *quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandavit.* Concilia demum Carthaginense III. & Aurelianense IV. ritum hunc vocant *Domini traditionem.* Quod quidem si ita se habeat, non leve momentum accedit Objectioni primo loco positæ: quando universim ad valorem & Substantiam Sacramenti pertinent, quæ in ejus administratione ex Christi institutione & præcepto observanda sunt.

Resp. ad I. N. Ant. Nec probat quidquam, quod ex Cypriano recitatur: nam is juxta S. Thom. hic qu. 74. Ar. 7. ad 2. loquitur solum de necessitate convenientiæ & præcepti; juxta alios autem de necessitate mysticæ & perfectæ significationis, quam habet Calix Eucharisticus, ut ex verbis ejus colligitur. Ita autem exponendum suadet illud, quod ibid. subjicit inquiens, *cum vino solo posse mediante consecratione fieri Christi Sanguinem, non cum aqua sola.* Sunt interim, qui Cyprianum in contraria fuisse sententia existiment, ut notat Antoine; unde hi recedere se ab eo libere profitentur propter oppositum Ecclesiæ universalis sensum, qui constat ex doctrina Concilii Tridentini, Catechismi item & Missalis Romani. Conformiter ad hæc etiam Concil. Wormaciense exponendum.

Resp. ad II. Christum ipsum vino miscuisse aquam non diffitemur; at exemplum ejus ex se rationem præcepti non habet: secus pari jure dici posset, ex præcepto Christi consecrandam esse Eucharistiam vespere, in cœna Paschatis legalis, conjugendam cum lotione pedum &c. cum horum perinde exemplum dederit. Inde quod in eodem Asserto aperte additur

ditur de Chriſti præcepto, ſi illud pro præcepto proprie tali ſumatur, omnino negandum eſt. Scripturæ autem & Patrum ac Conciliorum verba, quibus urgetur objectio, eo ſolum ſenſu accipienda ſunt, quod Chriſtus præceperit Euchariſtiam celebrari ſecundum ea, quæ ad ejus ſubſtantiam pertinent, uti eſt conſecratio in pane & vino. Nec arbitrarie iſtud dici putes: etenim inprimis Evangelia nuſpiam vel mentionem injiciunt mixtionis aquæ, minus autem præcepti, quod ad illam pertineat; quomodo igitur S. Juſtinus de hoc nominatim ritu intelligendus eſt, cum Chriſti præceptum ab Apoſtolis in ſcripto Evangelio traditum memorat? Deinde, tam laudati PP. quam CC. cit. locis agunt de Euchariſtiæ in pane & vino conſecratione, ceu præcipuo ſermonis ſui argumento; iſthuc proinde eos duntaxat appellare, cum Chriſti præceptum memorant, exiſtimandum eſt: tametſi eodem loco, quaſi per occaſionem, etiam mixtionis hujus ritum enarrent & commendent. Denique non incongrue dixeris: ex mente cit. Patrum & Conciliorum ritum hunc eſſe a Chriſto *traditum & præceptum* hoc ſenſu, quod ejus factum cauſa ſufficiens fuerit, ut Eccleſia mixtionem aquæ præciperet; quo quidem ſenſu non niſi improprie dici poteſt eam a Chriſto eſſe præceptam. Hanc porro aut ſimilem aliam Patrum & Conciliorum expoſitionem ſuadet auctoritas Tridentini, quod Seſſ. 22. Cap. 7. diſerte ait, *præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam vino miſcerent*, idque tum propter exemplum Chriſti, tum propter ſignificationem myſticam, nulla omnino præcepti divini facta mentione.

Quod præterea contra eamdem Aſſertionis partem alte- 108
ram objicitur, eo ſpectat, ut oſtendatur, in Calice Euchariſtico penitus miſcendam non eſſe vino aquam. Etenim (ut urgeri poteſt) ſi aqua miſceatur, quid tandem illa fiet poſt conſecrationem? an naturam retinet ſuam? an & ipſa perinde ac vinum immediate tranſubſtantiatur in Sanguinem Chriſti?

aut potius jam ante per sui mixtionem transit in substantiam vini, ac deinde in Sanguinem? at hæc prorsus incerta sunt, ut vel pugnantes Doctorum opiniones manifestum faciunt: quin, si Patrum & Ecclesiæ sensum attendas, nihil horum sustineri potest; satius igitur fuerit in puro vino sine ulla admixtione aquæ consecrare.

Resp. Ritum mixtionis hujus sanctum ac laudabilem esse, quin etiam observandum ab omnibus, satis docet præceptum Ecclesiæ certum, causa item a Tridentino adducta. Neque ita, ut vult Adversarius, incertum est, quod quæritur de aqua: imo, in Calice Eucharistico cum vino simul & aquam converti in Sanguinem, non posse dubitari ajo. Numquid enim Christus de toto illo mixto, quod habebat in calice, dixit; *hic est Sanguis meus?* Numquid non eadem fuit omnis ævi Patrum sententia? Consule Justinum M. in Apol. 2. Augustinum cit. hic apud Aresium, D. Thomam, & alios passim; pro omnibus autem audiatur Ambrosius & Damascenus. Ille L. 4. de Sacr. C. 4. *vinum*, inquit, *cum aqua in calicem missum fit Sanguis consecratione.* Et infra: *ante verba Christi calix est vini & aquæ plenus, ubi verba Christi operata fuerint, ibi Sanguis efficitur &c.* Damascenus autem L. 4. Fid. Orthod. C. 14. *non potest panem suum ipsius Corpus facere, & vinum & aquam Sanguinem?* & rursum ibid. *quomodo naturaliter per comestionem panis, vinum & aqua per potationem in corpus & sanguinem comedentis & bibentis transmutatur: sic & propositionis panis, vinumque & aqua per invocationem & adventum Spiritus Sancti supernaturaliter transmutatur in Corpus & Sanguinem Christi.* En! non vinum solum, sed ipsam etiam aquam converti in Sanguinem.

109 At reliquam esse, inquies, quæstionem: num hæc aquæ in Sanguinem conversio sit mediata tantum, an immediata? Fateor olim celebrem fuisse hanc controversiam: mediatam conversionem propugnantibus passim veteribus cum Alberto Mag.

Mag. Alenſi, Richardo &c. ac ſubinde Suarezio, Vaſquezio, Eſthio & aliis multis, quibus ipſe D. Th. hic qu. 74. An. 8. ac etiam Innoc. III. L. 4. de Myſter. Miſſæ C. 30. favere videntur; immediatam ex adverſo tuiti ſunt Alanus, Toletus, Præpoſitus, Coninch, Areſius, & Recentiorum plurimi; quibus & ipſe accedo.

Eſt vero ita ſentiendi ratio 1*mo*, quia, tametſi modica aqua per ſui mixtionem ſenſibiliter tranſeat in ſubſtantiam vini, ita ut mixtum hoc totum in æſtimatione morali, ac ſpectato ejus ſtatu phyſico & ſenſibili ſit vinum uſuale, nec amplius aqua rationem ſui ſenſibilem & denominationem retineat: eadem nihilominus in ſua entitate permanet, cum certa conſtet experientia, etiam poſt longius a mixtione tempus aquam ſeparari a vino; quo quidem penitus ſubruitur ſundamentum adverſæ opinionis. 2*do*, quia laud. Patres, nullo facto diſcrimine, perinde loquuntur de aquæ ac vini converſione in Sanguinem. 3*tio*, quia vinum uſuale, quod eſt certa Calicis materia, per conſecrationem immediate tranſit in Sanguinem; at mixtum ex vino & modica aqua (tametſi hæc in ſua entitate remaneat) eſt vinum uſuale; totum igitur mixtum illud immediate converti in Sanguinem dicendum eſt.

Verum adverſus hanc opinionem videntur pugnare tria. Nempe, ſi aqua immediate convertatur in Sanguinem, ſequitur 1*mo*, Sacramenti hujus partialem materiam eſſe aquam: cum autem ejus mixtio ſit ex præcepto Eccleſiæ, materiam Euchariſtiæ ſaltem ex parte ab Eccleſia ipſa inſtitutam dicendum erit; 2*do*, Euchariſtiam non modo eſſe ſub panis & vini, ſed etiam aquæ ſpeciebus; 3*tio*, ſeparatione facta ſpecierum vini conſecrati a ſpeciebus aquæ, Sanguinem Chriſti uti ſub ſolis vini, ſic & ſub ſolis aquæ ſpeciebus extiturum; at hæc ſuſtineri nequeunt; nequit igitur etiam dici, aquam immediate in Sanguinem converti.

Resp. ex doctrina a nobis afferta nihil fequi, quod catholico dogmati adverfetur. Itaque

Ad 1*mum* dico, aquam vino permixtam effe Calicis Euchariftici materiam ex folius Chrifti inftitutione: hic quippe pro materia inftituit vinum ufuale, quale non magis eft vinum purum, ac vinum modica aqua permixtum. Inde in fententia hac aqua, ut talis & fub ratione aquæ, non eft ullatenus materia vel partialis: verum fub ratione duntaxat vini, in cujus fenfibilem fubftantiam tranfit.

Conformiter ad hoc etiam de 2*do* fentiendum eft: negamus videlicet in Calice confecrato Sanguinem exiftere fub fpeciebus aquæ; cum enim aqua vino permixta non amplius retineat ftatum fenfibilem fibi proprium, fed fiat fenfibiliter vinum, fpecies pariter aquæ amittit, nec alias habet, quam quæ funt vino ufuali propriæ; in Calice igitur Euchariftico Sanguis Chrifti exiftit tantum fub fpeciebus vini ufualis.

Quod demum attinet ad 3*tium*, omnino dicendum eft, Sanguinem Chrifti non extiturum fub ipfius aquæ fpeciebus, fi hæ videlicet in confecrato Calice fepararentur a fpeciebus vini: ficut enim aqua fola non eft idonea Euchariftiæ materia, fic nec remanet eadem fub fpecie folius aquæ; inde PP. & CC. folum dicunt Corpus & Sanguinem Chrifti fub fpeciebus panis & vini contineri: nufpiam autem fub fpeciebus aquæ. Nec pugnat contra nos Concil. Tridentini Seff. 13. Can. 3. hic enim cum ait *fub unaquaque fpecie, & fub fingulis cujusque fpeciei partibus, feparatione facta, totum Chriftum contineri*, agit folum de fpeciebus panis & vini ufualis, aut de fpeciebus materiæ neceffario requifitæ ad Euchariftiam; id quod colligitur tum ex Can. præcedente: tum ex eo, quod Trid. his Canonibus ftatuerit doctrinam contra Novatores, a quibus controverfia hæc, in Scholis duntaxat enata, neutiquam mota fuit.

Corol-

Corollarium.

Conformiter ad ea, quæ ſupra N. 100. & 101. dicta ſunt, isthic etiam ex poſita Aſſertione complura deduci poſſunt Corollaria. Nobis univerſim dixiſſe ſuffecerit: quidquid non eſt vinum de vite, hocque ipſum uſuale, idonea non eſt Calicis Euchariſtici materia. Invalida proinde foret conſecratio in liquore ex pomis, ceraſis, idque genus fructibus aliis, aut etiam ex immaturis uvis expreſſo: in ſucco item etiamnum intra uvas contento: in vino corrupto, degenerante videlicet in vappam vel acetum: pane vino imbuto: vino copioſis aromatibus condito &c. Muſtum contra, ſeu vinum ex uvis recenter expreſſum ſufficiens eſt materia: propter feces admixtas attamen illicita extra neceſſitatis caſum aut regionis conſuetudinem, ut decidit Julius Papa Cap. Cum omne crimen. diſt. 2. de Conſecr. De vino congelato variant opiniones: poſſe in eo valide conſecrari affirmant Sylveſter, Soto, Suarez, Vaſquez, & maximam partem DD. alii, eo quod ſit ſubſtantialiter vinum; ex adverſo Alanus, Henriquez, Ledeſma cum quibusdam negant propterea, quod non habeat rationem potus. Ac ſane niſi iſtud ad valorem materiæ Calicis Euchariſtici requiratur, non erit ratio, cur vinum in uvis contentum, aut in pane imbibitum non queat valide conſecrari, cum & iſtud per expreſſionem, ſicut glacies per reſolutionem, poſſit reddi potabile. Ut ut interim ſint iſta: dubiam ſaltem eſſe materiam vinum congelatum negari nequit, hinc tametſi forte in eo valida ſit, non tamen etiam licita conſecratio. De pluribus id genus vide Theologos Morales. 110

§. III.

Quæ sit Forma Sacramenti Eucharistiæ?

COmplura sunt, quæ isthic in quæstionem a nonnullis vocantur, ac nominatim: an Christus ipse in Eucharistiæ consecratione certa verborum forma usus fuerit? num verba, quibus consecrationem Sacerdos perficit, proferenda sint ab eo historice duntaxat & narrationis instar: an potius assertive, ita videlicet, ut intendat id efficere, quod illa significant? quibus demum verbis necessario constet forma consecrationis? Ac nos quidem de primis duobus sensum nostrum paucis aperiemus in Resp. ad Obj. N. 118. & 119. postremum autem quæsitum, ceu magis ad explicandum fidei dogma pertinens, peculiari Assertione resolvemus: notatis attamen prius Novatorum circa illud erroribus, & DD. Catholicorum opinionibus.

Novatorum error, & DD. Orthodoxorum opiniones.

111 I. COmmunis Novatorum error est, uti ad Sacramenta alia, sic ad perficiendum etiam Eucharistiæ Mysterium nulla omnino requiri verba consecratoria, ut L. I. Dissert. I. §. IV. retulimus; at, num requirantur saltem concionalia, & quæ illa? in hoc ab invicem dissident. Calvinus L. 4. Inst. C. 17. non opus esse ait illis Christi verbis, *hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus*; solumque præscribit lectionem Capitis 11. ex Ep. 1. ad Cor. concionem item ministri, & quasdam præfationes. Lutherus autem, quamvis L. de Cap. Bab. C. de Bapt. aperte scribat, parum referre, quibus verbis Sacramentum conficiatur, modo adsit fides accipientis: attamen L. de abrog. Missa priv. & in Forma Missæ pro

pro Eccl. Wittemb. docet, non modo verbis Evangelicis, ſed etiam tota Liturgia opus eſſe ad perficiendam Euchariſtiam. Utrique adverſatur Bucerus in C. 26. Matth. aſſerens, ad confectionem hujus Sacramenti nulla omnino verba eſſe neceſſaria. Moderni Lutherani & Calviniani in doctrina pro more ſuo variant; tametſi enim plurimi omnia Chriſti inſtituentis verba proferenda eſſe exiſtiment: ſunt nihilominus, qui ſine ullis verbis Euchariſtiam perfici contendant.

II. Quamvis Catholici DD. in eo conveniant omnes, 112
quod in his Chriſti verbis, *hoc eſt Corpus meum*, *hic eſt Sanguis meus*, forma conſecrationis habeatur; hæc attamen verba non eſſe completam & ſufficientem formam exiſtimant aliqui.

Ita Scotus in 4. diſt. 8. qu. 2. docet, etiam verba illa Canonis præcedentia, *qui pridie quam pateretur &c.* ad formæ panis conſecratoriæ ſubſtantiam pertinere: aut certe ita eſſe neceſſaria, ut ſine illis non perficiatur Sacramentum; quia (ut ille ait) niſi verba illa præmittantur, in forma conſecrationis τὸ *Corpus meum* non ſignificabit Corpus Chriſti, ſed ipſius Sacerdotis. Ad conſecrationem autem Calicis quod attinet, plerique Thomiſtæ, Doctore Ang. 3. p. qu. 78. Ar. 3. pro ſe laudato, contendunt formam ejus conſtare his omnibus verbis, *hic eſt calix Sanguinis mei, novi & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.*

De forma demum tam panis quam vini conſecratoria peculiaris eſt opinio Ambroſii Catharini e Familia Prædic. Theologi in duobus Opuſcul. de conſecrationis forma, qua Chriſtus eſt uſus: item Cl. le Brun ex Congr. Orator. Presbyteri in Explicatione precum & Cæremoniarum Miſſæ. Uterque nimirum docet, conſecrationem perfici non modo verbis illis, *hoc eſt Corpus meum*, *hic eſt Sanguis meus:* verum apud Latinos etiam antecedente illa Canonis Oratione, *Quam oblatio-*

nem

nem tu Deus &c. apud Græcos autem precibus illis, quas in ſua Liturgia verbis Chriſti ſubjiciunt orantes Deum, *ut mittat Spiritum S. ſuper propoſita dona, & panem faciat Corpus Chriſti, vinum vero Sanguinem ejus &c.* quæ quidem ſententia indubitanter convenit cum ea, quam e Schiſmaticis Græcis propugnarunt Sec. XIV. Nicol. Cabaſilas Theſſalonicen. & Sec. XV. Marcus Epheſinus, aliique apud Arcud. L. 3. Concord. C. 26.

His omnibus contraria eſt doctrina apud Theologos communiter recepta, quam & nos amplectimur. Sit itaque

ASSERTIO.

Forma Sacramenti Euchariſtiæ conſiſtit in ſolis his aut æquivalentibus Chriſti verbis: hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus; *ea proinde, quæ illis Latini & Græci præterea adjiciunt, neceſſaria non ſunt ad valide perficiendum hoc Sacramentum.*

113 Probatur I. ratione in S. Literis fundata. Nempe, cum forma cujusvis Sacramenti debeat eſſe a Chriſto inſtituta, eademque ſignificare ipſum Sacramentum, ea utique ſolum verba vim formæ Euchariſticæ habent, quæ Chriſtus in conficienda Euchariſtia adhiberi voluit, & quæ ſimul memoratam ſignificationem continent; at hujusmodi verba ſunt hæc, aut his æquivalentia, *hoc eſt Corpus meum*, *hic eſt Sanguis meus*, neque ulla alia; in his igitur ſolis habetur completa & tota forma. Maj. prop. omnibus certa eſt; Min. autem perinde certis nititur momentis. Etenim 1*mo* indubium eſt, iis Chriſtum nos uti voluiſſe in conficienda Euchariſtia verbis, quibus & ipſe in conficienda illa uſus eſt: de aliis quippe iſtud affirmandi nuſpiam Scriptura aut Patres præbent fundamentum; verba porro illa hæc fuiſſe nominatim, *hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, teſtatur Matthæus C. 26. & Marcus C. 14.

C. 14. illis autem æquivalentia refert Lucas C. 22. & Apoſtolus 1. Cor. 11, verba autem, quæ præter hæc Latini & Græci in Canone recitant, Chriſtum adhibuiſſe aut adhiberi voluiſſe nullo Scripturæ aut Patrum teſtimonio evincitur. *2do*, verba eadem, ut pariter omnibus certum eſt, ſuper panem & vinum enuntiata ſignificant & quidem practice (ſecus enim non forent vera) Chriſti Corporis & Sanguinis præſentiam ſub ſpeciebus panis & vini, in quo ſita eſt Sacramenti hujus natura; reliqua autem verba, quæ Evangeliſtæ inſtitutionem Euchariſtiæ narrantes referunt, aut non ſunt a Chriſto prolata, ut *accepit JESUS panem, benedixit &c.* aut tametſi Chriſti verba ſint, ſignificant duntaxat aut præceptum & finem ſumendæ Euchariſtiæ, ut illa, *accipite, comedite, bibite, hoc facite in meam commemorationem:* aut paſſionem Chriſti vel effectum Sacramenti, qualia ſunt de Corpore, *quod pro vobis tradetur*, de Sanguine, *qui pro vobis effundetur, in remiſſionem peccatorum.*

Probatur II. auctoritate Patrum, qui per hæc ſola Chri- 114
ſti verba conſecrationem peragi tradunt, ut Juſtinus M. Apol. 2. Irenæus L. 4. contra Hæreſes C. 18. Gregorius Naz. Orat. 2. de Paſch. Auguſtinus Serm. 28. de verbis Domini, & alii apud Bellarm. L. 4. de Euch. C. 13. Pro omnibus audiantur verba trium. Ambroſius L. 4. de Sacram. C. 4. *Panis iſte*, inquit, *panis eſt ante verba Sacramentorum; ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti. - - Conſecratio igitur quibus verbis eſt? Domini JESU; nam per reliqua omnia, quæ dicuntur, laus Deo defertur, petitur pro populo, - - ubi venitur, ut conficiatur ven. Sacramentum, jam non ſuis ſermonibus Sacerdos, ſed utitur ſermonibus Chriſti; ergo Sermo Chriſti hoc conficit Sacramentum.* Chryſoſtomus Hom. 1. de proditione Judæ ait: *hoc eſt Corpus meum, hoc verbum propoſita munera tranſmutat.* Damaſcenus L. 4. Orthod. Fid. C. 14. *dixit Deus: hoc eſt Corpus meum, &, hic eſt Sanguis*

meus, *& hoc facite in meam commemorationem*; *& omnipotenti ipsius præcepto*, *donec ipse veniat*, *hoc efficitur*. Hæ & similes Patrum locutiones, si invicem, ac etiam cum ratione super. N. adducta conferantur, validum ad rem præsentem suggerunt argumentum, ut videre est apud laud. Bellarminum.

115 Probatur III. ex Conciliis Florentino & Tridentino. Certe Florent. in Decr. pro Arm. dicit, formam hujus Sacramenti esse *verba Salvatoris*, quibus Sacerdos *in persona Christi loquens* hoc conficit Sacramentum; & Trident. Sess. 13. Cap. 1. ait, Eucharistiam a Christo institutam, cum *post panis & vini benedictionem se suum Corpus præbere & Sanguinem perspicuis verbis testatus est*, quæ verba ab Evangelistis commemorata, a D. Paulo postea repetita sunt: item Sess. ead. Cap. 3. dicitur, Corpus Christi esse sub specie panis, & Sanguinem sub specie vini *ex vi verborum*; quæ jam autem præter hæc, *hoc est Corpus meum*, *hic est Sanguis meus*, alia verba sunt, quibus hæc omnia conveniant? hæc igitur solum ex mente utriusque Concilii sunt forma hujus Sacramenti.

116 Hæc jam autem momenta, quibus Assertio generatim comprobata est, ultro admonent, rejiciendas omnino esse in particulari etiam opiniones Scoti, Thomistarum, Catharini item, & quorundam Græcorum. Igitur (ut speciatim perstringam singulas) ad valorem formæ consecratoriæ non requiruntur 1mo verba illa, *qui pridie quam pateretur &c.* quia nec Christus hoc Sacramentum conficiens ea protulit: nec Sacerdos illa profert in persona Christi. Non 2do illa *novi & æterni testamenti &c.* quia nec Apostolus nec Evangelistæ Calicis formam referunt cum his omnibus verbis; nominatim autem *τὸ æterni*, ac etiam *mysterium fidei*, ab omnibus omittitur: quin nec Patrum veterum ullus in illis formam constituit. Quid quod præcedentia verba, *hic est Calix Sanguinis mei*, complete significent conversionem vini in Sanguinem Christi: cum igitur simul sint practica, eamdem etiam operantur. Non 3*tio* deni-

denique oratio Latinorum, *quam oblationem tu Deus &c.* aut Græcorum preces, quibus petunt *panem fieri Corpus Christi &c.* neque enim verba hæc ſunt a Chriſto inſtituta, quæ tamen ſola conſecrationis formam conficiunt. Idem autem potiori jure dicendum eſt de particula *enim*, quam Latini interjicimus verbis Calicem conſecratoriis, *hic eſt enim Calix &c.*

Illud demum iſthic monitum velim Theologiæ ſtudio- 117
ſum: quamvis doctrina a nobis propugnata, tam ob rationes jam adductas, quam ob communem Theologorum ſenſum certa ſit, fidei attamen certitudinem ei non attribuimus, ut quæ nuſpiam in Scripturis clare expreſſa legitur, neque etiam ab ullo Oecumenico Concilio aperte definita eſt. Et de Scriptura quidem, Conciliis item, quæ Florentinum & Tridentinum anteceſſerunt, ac etiam Lateranenſi V. controverti nequit: perinde autem in ipſo Florent. & Trident. nullam omnino de re præſenti decretoriam definitionem reperias.

Sane Florentinum, tametſi voluerit a Græcis declarari (quod etiam Seſſ. 25. præſtiterunt) Euchariſtiam perfici verbis Chriſti: non tamen definivit, an ſolis illis; quin neque primum deinde in fidei Definitionem retulit, id neceſſe non eſſe contendentibus Græcis, cum in eo a Latinis diverſum non ſentirent. Nec obeſt, in Decr. pro Arm. dici *formam Euchariſtiæ eſſe verba Salvatoris;* rurſus enim non exprimitur, quæ nominatim ſint hæc verba, & an ſola? Quid quod multorum opinione Decretum hoc non habeat auctoritatem definitivam; dubitari autem certo non poteſt, aliqua in eo contineri etiam de Sacramentorum materia & forma, quæ fidei articulis non accenſentur, ut alias jam diximus L. III. Diſſ. I. §. III. N. 36.

Ad Tridentinum autem quod attinet, ex verbis quidem ejus ſupra N. 115. laudatis legitima fit pro nobis illatio, jureque cenſeri poteſt ejusdem illud nobiſcum fuiſſe ſententiæ:

at in hoc etiam aperta definitio desideratur, præsertim cum doctrinam hanc nullo Canone proponat, nec anathemate feriat oppositum sentientes, tametsi aliquos esse non ignoraverit. Hoc certe tuetur se Catharinus in fine Opusculi secundi de Consecr. forma, cum ait, misisse se hac de re lucubrationem ad Concilium Tridentinum, *nihil tamen ei dignum morte actum esse.* Idem testatur noster Salmeron, qui Concilio interfuit, ut videre est Operum ejus Tom. 9. Tract. 13. circa finem.

Respondetur Adversariis.

118 Opponunt I. Christus instituens Eucharistiam non confecit illam hac verborum forma, *hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus*: verum sola voluntate & virtute divina, vel ad summum benedictione interna, aut etiam externa verbis quibusdam expressa secundum illud quod Evangelistæ referunt, *benedixit, gratias egit &c.* Arguitur vero istud ex S. Marco, qui C. 14. narrat, verba illa, *hic est Sanguis meus*, a Christo prolata primum post sumptum ab Apostolis Calicem; *accepto*, inquit, *calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes; & ait illis: hic est Sanguis meus &c.* Favet huic opinioni etiam Innocentius III. L. 4. de Myster. Missæ C. 6. ita scribens: *dici potest, quod Christus virtute divina confecit* (Eucharistiam) *& postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent; ipse namque virtute propria benedixit, nos autem ex illa virtute, quam indidit verbis.* Hanc eamdem sententiam propugnat Catharinus in Opusculis supra N. 112. laudatis, Concilio Trident. submissis, nec tamen ab eo confixis: item Christoph. a Capite Fontium ex Ord. Min. Archiep. Cæsarien. in Tract. de correctione Theologiæ Scholasticæ, quod opus Sixto P. inscripsit; uterque vero pro se laudat e vetustioribus Rupertum, Anselmum &c. e recentioribus Franciscum Mayronis, Gabr. Biel &c. Quod si autem istud ita se habeat, quid-

quidni & nunc Euchariſtia perficiatur ſola Sacerdotis benedictione & oratione? non autem nominatim illis verbis: *hoc eſt Corpus meum &c.* præſertim cum Chriſtus poſt factam inſtitutionem dixerit, *hoc facite &c.*

Reſp. I. Non conſequi id, quod ex nunc laud. opinione arguitur, vel inde conjicias: quod ipſorum ejus Patronorum ſententia modo quidem non aliter quam verbis Euchariſtia conficiatur. Quamvis autem inter eos non ſatis conveniat, quæ illa ſint potiſſimum verba: nobis nihilominus certum eſt, non alia eſſe, quam quæ in Aſſertione propugnamus, idque ob momenta illic allata. Cæterum

Reſp. II. opinionem, a qua in Object. argumentum ducitur, omnino rejiciendam eſſe, ceu minus conformem Scripturæ & Patrum ſenſui. Nimirum, cum Chriſtus poſt inſtitutam Euchariſtiam dixerit, *hoc facite in meam &c.* plane credibile eſt, ea forma illum conſecraſſe, qua nos conſecrare voluit, cum forma univerſim ad ſubſtantiam Sacramenti pertineat; voluiſſe autem Chriſtum a nobis conſecrationem perfici his verbis, *hoc eſt Corpus meum &c.* jam comprobatum eſt; iisdem igitur verbis & Chriſtum conſecraſſe dicendum eſt. Hunc eumdem porro fuiſſe ſenſum Tridentinorum Patrum non obſcure colligitur ex Concilii verbis N. 115. citatis; quod ipſum jam multo ante vetuſtiores PP. apertius etiam docuerunt. Certe Tertull. L. 4. contra Marcion. C. 40. *acceptum panem*, inquit, *& diſtributum diſcipulis Corpus illum ſuum fecit dicendo: hoc eſt Corpus meum.* Et Ambroſius L. de Myſter. C. 9. *clamat Dom. JESUS, hoc eſt Corpus meum; ante benedictionem verborum cæleſtium* (quorum, niſi quæ paulo ante recitavit?) *illa ſpecies* (panis videlicet) *nominatur: poſt conſecrationem Corpus ſignificatur. Ipſe dicit Sanguinem ſuum; ante conſecrationem aliud* (nempe vinum) *dicitur: poſt conſecrationem Sanguis nuncupatur.* Quid his deſideres clarius?

At urget, inquies, Innocentii III. oppositum sentientis auctoritas? non equidem in præsenti; cum constet sensa hæc fuisse privati Doctoris, non Pontificis ex cathedra loquentis. Minus autem favet opinioni illi silentium Tridentini; siluit, non ut silentio suo approbaret: sed ne se controversiis Scholasticorum discutiendis distineret, satis alioqui occupatum in Novatorum erroribus, ad quos convellendos convenerat. Ac sane infirmum esse universim in hujusmodi silentio præsidium vel illud sit argumento: quod Concil. Florentinum contra Græcos, divortia ob adulterii crimen esse licita docentes, nihil pronuntiaverit; an vero propterea approbasse etiam dici potest? Non deerant interim ex Patribus Tridentinis, qui in Catharini opinionem acriter insurgerent, eamque etiam damnationi subjiciendam censerent, ut fatetur ipse Catharinus.

Si demum ad locum ex S. Marco in Object. citatum provocet Adversarius, occurrimus ei cum S. Thoma, qui 3. p. qu. 78. Ar. 1. ad 1. ait: *Evangelistæ non semper eumdem ordinem in recitando servaverunt, quo res sunt gestæ.* Id quod omnino in præsenti dicendum est: verba proinde illa, *biberunt ex eo omnes*, per anticipationem relata esse ajo. Habes hujusmodi exempla complura apud Augustin. de consensu Evangelistarum C. 30. 31. & 44.

119 Oppon. II. Verba, *hoc est Corpus meum &c.* a Sacerdote proferuntur *historice* duntaxat, ut docet cum compluribus Salmeron hic Tract. 13. Tom. 9. quis vero sic prolata dixerit habere vim ac efficaciam Eucharistiæ conficiendæ? eadem igitur etiam non habent rationem Sacramentalis formæ.

Resp. in definiendo modo, quo consecrationis verba proferuntur, non consentire Theologos. Multi cum Vasquez oppositam Salmeroni propugnant sententiam, ac verba illa *assertive:* alii autem, iique cum Suarez & Lugo plurimi *historice* simul & *assertive* enuntiari contendunt.

Ac

Ac mihi quidem cum poſtremis ſentiendum videtur: Sacerdos quippe narrat factum & verba Chriſti, cum dicit, *benedixit*, *fregit*, *deditque &c.* ſimul dein nomine Chriſti ſignificat practice, vultque fieri, imo re ipſa efficit id, quod per ſua verba fecit Chriſtus; quod quid aliud eſt apud Theologos, quam Chriſti verba proferre tam hiſtorice quam aſſertive? Non negaverim attamen, ad Sacramenti valorem ſatis eſſe conſecrationis verba aſſertive duntaxat prolata; certe enim ſi, omiſſis prioribus, ſola hæc, *hoc eſt Corpus meum*, enuntientur, non fiet Chriſti factorum & verborum enuntiatio hiſtorica: valida nihilominus erit conſecratio, cum & Chriſtus iis verbis ſolum aſſertive prolatis conſecraverit. Enuntiatio igitur hæc hiſtorica neceſſaria eſt ſolum neceſſitate præcepti, non Sacramenti. Præterea, quamvis verba illa, *hoc eſt Corpus meum*, hiſtorice prolata referantur omnino ad panem a Chriſto conſecratum: eadem attamen ſimul, ut aſſertiva eſt eorum enuntiatio, Sacerdotis intentione determinantur ad præſentis panis tranſubſtantiationem efficiendam.

Ut ut interim ſit de hac Scholarum controverſia, nullam poſitæ Objectioni ineſſe vim ſatis illud declarat: quod Salmeron ipſe cum ſequacibus in ſua etiam ſententia admittat, verbis Chriſti conſecrationem perfici. Ex inſtitutione nempe Chriſti habent illa vim ſignificandi practicam; ut adeo a Sacerdote prolata non poſſint non efficere id, quod ſignificant: modo tamen ea adſit intentio, quam univerſim in Sacramentorum Miniſtro requiri jam alias diximus.

Oppon. III. pro ſententia Scoti illud facere, quod omiſ- 120
ſis verbis, *qui pridie quam pateretur &c.* forma conſecrationis, *hoc eſt Corpus meum*, ſit indifferens ad ſignificandum Corpus Chriſti; imo potius ſignificet Corpus Sacerdotis. Thomiſtarum autem opinioni favet Miſſale Rom. in quo eodem charactere exprimuntur omnia hæc verba: *hic eſt enim Calix Sanguinis mei*, *novi & æterni teſtamenti &c.* Favet item Eugenius

IV.

IV. in Decr. pro Arm. pro consecrationis forma hæc eadem verba omnia recitans. Demum favet etiam S. Thom. 3. p. qu. 78. Ar. 3. ubi de iisdem verbis, *dicendum est*, inquit, *quod omnia prædicta verba sunt de substantia formæ*. In solis igitur his verbis, *hoc est Corpus meum*, *hic est Sanguis meus*, non consistit forma Sacramenti Eucharistiæ.

Resp. momenta pro Assertione pugnantia multo his, quæ opponuntur, validiora esse, ut ea invicem conferenti patebit. Ut autem speciatim respondeam ;

Non est, quod Scotistas sollicitos reddat consecrationis verborum indifferentia: tametsi enim omittatur illa narratio, *qui pridie &c.* nihilominus verba, *hoc est Corpus meum*, ad significandum & efficiendum Christi ipsius Corpus sufficienter determinantur per intentionem Sacerdotis in persona Christi agentis & loquentis, ut nominatim istud docet S. Thom. loco supra cit. Ar. 1. ad 4. Hac ipsa etiam causa ad sufferendam eorum verborum indifferentiam necesse non est addere, *quod pro vobis datur*, vel *tradetur*. Equidem illa a Christo adjecta refert Lucas: at sine illis perfectam Sacramenti significationem haberi certum est; omissa sunt præterea a Matthæo & Marco, quod idem facit Latina Ecclesia; quin in Græcorum etiam Liturgiis loco eorum dicitur, *qui pro vobis frangitur*: ut adeo dubitari nequeat, non ea mente fuisse a Christo prolata, ut illa ad consecrationis valorem necessaria esse voluerit.

Sed nec Thomistæ quidquam convincens adferunt. Ut enim in Missali omnia illa verba uno charactere exprimerentur, sufficiens causa erat, continuum sensum ea facere, ac ad unam totalem orationem omnia pertinere. Quid quod iisdem plane characteribus Canonem totum in Missalibus compluribus descriptum legamus; an vero propterea consecrationis forma in toto Canone reponenda ? Ad Eugenium quod attinet; ut formam recitans omnia illa referret verba, plane congruum

gruum erat, tum quod ex præcepto Ecclesiæ pronuncianda sint omnia: tum quod aliquorum opinione omnia ad formæ substantiam requirantur. Nec tamen idcirco existimandum est, & ipsum cum his sensisse: jam enim antea in Concilio approbaverat Græcorum consecrandi ritum; in horum autem quibusdam Liturgiis non recitantur omnia illa verba. Ita in Liturgia S. Basilii non leguntur hæ voces, *æterni & mysterium fidei.*

Demum S. Thomas omnia hæc verba requirit solum ad substantiam formæ, prout ea est plene significans virtutem Sanguinis Christi: non vero prout eadem est practice efficiens Sacramentum. Ita explicandi Doct. Angelicum ipse contextus fundamentum præbet. *Dicendum ergo* (inquit ille cit. Art. in ☉) *quod omnia prædicta verba sunt de substantia formæ; sed per prima verba, cum dicitur,* hic est Calix Sanguinis mei, *significatur ipsa conversio vini in Sanguinem, eo modo, quo dictum* (Art. 2.) *in forma consecrationis panis; per verba autem sequentia designatur virtus Sanguinis effusi in passione, quæ operatur in hoc Sacramento.* Ex mente igitur S. Doctoris per sola prima verba habetur conversio vini in sanguinem; cum ergo facta hac conversione perficiatur Sacramentum, sola verba illa habent perfectam formæ Sacramentalis rationem. Hoc certe uno argumento idem S. Doctor ibid. Art. 2. probat, verba, *hoc est Corpus meum*, esse formam panis consecrandi.

Nec obstat, jussu Pii V. ex Commentariis Cajetani expunctam esse Dissertationem, qua contendebat, verba *novi & æterni &c.* non esse de formæ substantia: factum quippe id solum est ad cautelam, ne forte quis existimaret ea perinde a Latinis licite omitti posse, sicut in panis consecratione omittimus verba illa, *quod pro vobis tradetur.* Certe idem Pius ratam habuit Græcorum formam, tametsi in quibusdam eorum Liturgiis non legantur voces, *æterni & mysterium fidei,*

ut jam meminimus; non censuit ergo omnia prædicta verba pertinere ad substantiam formæ, ut ea est consecratoria.

121 Oppon. IV. Catharini & Græcorum quorumdam sententiam fundari in Patribus, cum eorum multi asserant Eucharistiam confici precibus & invocatione. Ita Justinus M. Apol. 2. *eam*, inquit, *in qua per preces Verbi - - gratiæ sunt actæ, alimoniam, - - incarnati illius JESU carnem & Sanguinem edocti sumus.* Dionysius Areop. L. de Eccl. Hier. C. 3. dicit consecrationem fieri post verba, *hoc facite in meam commemorationem;* non igitur per illa, quæ his præmittuntur, nempe, *Hoc est Corpus meum.* Basilius L. de S. Spir. C. 27. quærit: *quis Sanctorum in scripto nobis reliquit invocationis verba, cum conficitur panis Eucharistiæ?* Cyrillus Hier. Catech. 3. *post S. Spiritus invocationem non est amplius panis communis, sed est Corpus Christi.* Et rursum Catech. 5. exponens conficiendæ Eucharistiæ ritum, nulla verborum Christi facta mentione, *Deum*, inquit, *oramus, ut super illa proposita Spiritum S. emittat, ut panem quidem faciat Corpus Christi &c.* Denique Augustinus L. 3. de Trin. C. 4. *Eucharistia est id, quod prece mystica consecratum sumimus &c.*

Resp. Hæc & similia his Patrum effata videntur fundamentum præbere asserendi, Christi verba, *hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus*, ne partialem quidem esse consecrationis formam; istud vero cum nec Adversarii velint, nec admitti possit ob momenta supra allata, ultro consequitur, explicari oportere Patrum sententias: non vero ad literam accipiendas. Atque in hanc rem duo generatim observari velim.

1*mo*, Patribus de Sacramentorum forma loquentibus prorsus familiare fuit, ut eam universim precum & invocationis aut benedictionis nomine compellarent. Neque id abs re: formarum quippe aliquæ expressam invocationem & preces continent, ut in Confirmatione, Extrema unctione &c. aliæ vero; ut in Baptismo, Eucharistia, Pœnitentia &c. ta-

cita

cita saltem & implicita sunt deprecatio; dum enim Minister earum verba a Christo præscripta recitat, tacite simul ac æquivalenter per merita Christi Deum invocat, ut virtute Spiritus Sancti id efficiat, quod verba significant. Ita Augustin. L. 5. de Bapt. C. 20. *quomodo exaudit* (Deus) *homicidam deprecantem vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam?* ubi ipsius etiam Baptismi formam vocat deprecationem. Atque hoc omnino sensu non incongrue exposueris in Object. cit. Justinum, Basilium, Cyrillum, & Augustinum.

2do, non infrequens etiam erat apud Patres, totam Liturgiam, aut saltem ejus Canonem, etiam secundum partes ad integritatem tantum pertinentes, consecrationem vocare latiore quodam videlicet sensu; idque propterea, quod preces illi ab Ecclesia insertæ sint instar præparationis proximæ ad ipsam Eucharistiæ consecrationem vel sumptionem. Certe Basilius loco cit. *nec enim his*, inquit, *contenti sumus, quæ commemorat Apostolus aut Evangelium: verum alia quoque & ante & post dicimus, tanquam multum habentia momenti ad mysterium.* Quæ autem sunt hæc alia, quæ ante & post dicuntur, nisi preces? at has non ait S. Doctor necessario recitari ad ipsius Eucharistiæ confectionem: sed tantum momenti habere multum ad mysterium, quo videlicet illud digne ac reverenter celebretur. Rursum autem hoc etiam sensu loqui laud. Patres, præsertim Justinum, Basilium & Augustinum, nihil vetat dicere.

Paulo difficilior est, fateor, locus Dionysii; cum interim is non explicet, quibus verbis fiat consecratio, quisque sit reliquorum verborum ordo, de mente ejus certi nihil statui potest. Probabile nihilominus putat esse Bellarm. L. 4. de Euch. C. 14. Dionysium fuisse usum Liturgia, in qua verba, *hoc facite &c.* præmittebantur his, *hoc est Corpus meum*, idque propterea, ut Sacerdos se Christi mandato excusaret prævie,

quod Euchariſtiam conficere attentet. Id ſi ita ſe habeat, ceſſat objectio.

122 Urgeri nihilominus poteſt I. ex veteribus Liturgiis, quibus hodie etiam utuntur Orientales, ac nominatim Græci, Armeni, Coptitæ, Syri &c. In his videlicet poſt verba, *hoc eſt Corpus meum*, *hic eſt Sanguis meus*, aut his æquivalentia, Sacerdos orat, *ut adveniat Spiritus S. ſuper dona propoſita - - & panem quidem hunc faciat Corpus Sanctum ipſius Dom. Dei Salv. noſtri JESU Chriſti*, - - *& hunc Calicem Sanguinem pretioſum - - ipſius Domini &c.* Hæc nominatim ad verbum leguntur in Liturgia S. Baſilii; hoc ipſo autem ordine & iisdem pene verbis ac ſenſu orationem conceptam videre eſt in Liturgia SS. Apoſtolorum Petri, Joannis, Marci, Jacobi, & duodecim Apoſtolorum: item SS. Clementis Rom. Baſilii, Cyrilli, Chryſoſtomi &c. quin & in Miſſa Mozarabica, olim per Hiſpaniam & Galliam uſitata. At iſtud utique argumento eſt, ſine adjecta precatione non effici converſionem panis & vini Euchariſticam: ſi enim ea fiat per ſola Chriſti verba, quomodo poſt prolata illa Sacerdos orare poteſt, *ut Spiritus S. faciat Corpus & Sanguinem Chriſti?* Eo autem iſtud urget amplius, quod Eccleſia Latina Græcorum ſaltem & Armenorum ritus liturgicos approbet.

Reſp. negari non poſſe, in vetuſtiſſimis Liturgiis poſt Chriſti verba haberi memoratam orationem; reperi certe eam in omnibus illis, quas ex authenticis exemplaribus & MSS. veteribus Codicibus copioſe collegit, & Diſſertationibus ac Notis eruditis illuſtravit Renaudotius. At ex hujus ipſius Cl. Auctoris animadverſione notandum eſt: multas ex veteribus his Liturgiis in hodiernis exemplaribus minus fideliter referri, nec Originali ſuo reſpondere; ut adeo certum ſit earum aliquas eſſe interpolatas, mutilas alias, alias interpretum vitio quoad verba & ſenſum corruptas. Quin nec omnes ad eos referendæ ſunt Auctores, ſub quorum nomine circumfe-

run-

runtur, ut nominatim certum videtur de Liturgia S. Petri Apostolorum Principis, Joannis Evang. duodecim Apostolorum &c. Ex collatis demum invicem Liturgiis & Patrum testimoniis id etiam indubitatum conficitur, nullam antiquitus fuisse Eucharistiæ consecrandæ formam, in qua quoad substantiam Orientales & Occidentales non consentirent. Vide de his laud. Renaudotii Præfat. & Dissertation. Prælimin. in Tom. 1. ejusdem item Commentar. & Notas in utroque Tomo Collect. Liturg. Orient. Ac hæc quidem haud parum lucis affundunt ad rite sentiendum de proposita Objectione: vim interim ejus non elidunt, cum constet hodie etiam Græcos & Armenos id genus oratione uti non reclamante, imo & approbante Ecclesia.

Quo igitur ad Object. directe respondeam, dico: oratione hac non peti *absolute*, ut panis & vinum fiant Corpus & Sanguis Christi, sed ut *nobis* fiant Corpus & Sanguis Christi. Clarius: petitur, ut panis & vinum, jam antea per consecrationem facta Corpus & Sanguis Christi, etiam nobis per nutritionis Spiritualis effectum fiant Corpus & Sanguis Christi; hoc est: nos spiritualiter nutriant, fiant nobis in salutem &c. Atque hoc omnino sensu isthic τὸ *fiant* accipiendum esse, ac re ipsa accipi ab Orientalibus (si demas Schismaticos quosdam Cabasilæ errorem secutos) invicte probant, Bona Rer. Lit. L. 2. C. 13. Bellarm. de Euch. L. 4. C. 14. Renaudotius in Collect. Liturg. sparsim in Dissert. & Notis, ac præter alios BENEDICTUS XIV. S. P. de Sacrif. Missæ Sect. 1. a N. 241. apud quos pro eadem sententia reperies laudari etiam Græcos DD. Card. Bessarionem, Goarium, Allatium, & cumprimis Arcudium L. 3. suæ Concordiæ C. 27. & novem seqq. de hoc copiose differentem. Conformiter porro jam ad horum momenta, expositionis nunc factæ

Ratio est 1*mo* ex Græcorum confessione. Ut enim legitur in Conc. Florentini Actis græco - latinis, cum Seff. 25. An. 1439. 24. Martii quæreretur ex Græcis: cur post Chri-

ſti verba recitarent memoratas preces? reſponderunt ſe credere conſecrationem fieri per Chriſti verba; precibus autem illis ſolum peti, ut Euchariſtia nobis fiat ad ſalutem. *Fateri nos diximus* (ſunt verba Græcorum in laud. Actis) *per hæc verba*, hoc eſt Corpus meum, *tranſubſtantiari ſacrum panem & fieri Corpus Chriſti; ſed poſtea quemadmodum & vos dicitis*, jube hæc perferri per manus S. Angeli tui in ſublime altare tuum; *ita nos quoque oramus dicentes, ut Spiritus S. deſcendat ſuper nos, & efficiat in nobis panem hunc pretioſum Corpus Chriſti ſui, transmutetque ipſa* (dona) *Spiritu S. ſuo, ut fiant communicantibus in purgationem animæ, in remiſſionem peccatorum, & non fiant in judicium &c.* Eamdem declarationem ibid. factam ab Iſidoro Ruſſiæ Metropolita refertur in Actis ejusd. Concilii, ab Horat. Juſtiniano Bibliothecæ Vatic. Cuſtode collectis & illuſtratis Collat. 22. ubi prætera Card. Julianus de Græcis hæc narrat: *confeſſi ſunt, quod ſolis verbis Dominicis* (Euchariſtia) *conficeretur; & quod putarent anathema, qui aliud crederet. Fuit inſtitutum, ut hoc poneretur in definitione. Dixerunt, quod hoc non erat neceſſarium; imo ſi poneretur, Eccleſia ipſorum reciperet ignominiam, ac ſi hactenus tenuiſſet aliud - - Unde SS. Dom. noſter obtemperavit: ut non deduceretur in dubium, quod nunquam fuit.*

Ratio eſt 2*do* ex ipſis Liturgiis: in illis quippe obj. Oratio in ſenſum a nobis expoſitum deſinit. Ita in Liturgia Marci: *ut fiant nobis, qui ex iis participamus, in fidem & ſanctificationem &c.* in Clementis Liturg. *precamur, - - ut oſtendas panem hunc Corpus Chriſti tui & calicem hunc Sanguinem Chriſti tui, ut qui eum participant, ad pietatem firmentur &c.* in Liturg. Chryſoſtomi; *ut ſit iis, qui participant, ad emundationem animæ &c.* Idem legitur in Liturg. aliis, ut videre eſt apud Renaudotium; in Miſſis item Mozarabicis apud Bonam ſupra cit. C. N. 5. Verum ex ipſis Liturgiis adhuc

123 Urgebit quiſpiam II. ac 1*mo* quidem ex eo, quod ſecundum ritum in illis præſcriptum poſt recitata a Sacerdote verba,

verba, *hoc est Corpus meum &c. hic est Calix Sanguinis &c.* populus respondeat, *Amen*, quod petitionem significat, nempe, *fiat*; ergo per illa verba non censent factum Corpus & Sanguinem Christi. 2*do* in Liturgia nominatim Chrysostomi post eadem verba ita orat Sacerdos: *fac panem hunc pretiosum Corpus Christi tui* - - μεταβαλών, hoc est, *mutans Spiritu tuo Sancto &c.* nondum igitur esse desierat *panis*, sed primo *mutatur* orationis hujus virtute. 3*tio* in Liturgia Basilii inter Christi verba & Orationem, qua petitur, ut Christi Corpus fiat, hæ interponuntur preces: *altari tuo appropinguamus, &* (προθέντες τὰ ἀντίτυπα) *proponentes antitypa Sancti Corporis & Sanguinis Christi te rogamus, ut &c.* ubi vides post Christi verba & ante Orationem memoratam oblata dona vocari tantum *antitypa*, hoc est, imagines & figuras Corporis & Sanguinis Christi.

Resp. ad 1*mum*, ex mente Orientalium isthic τὸ *Amen* non est petitio præsentiæ Corporis Christi: sed ejusdem professio, idemque significat, ac, *hoc est verum, ita credimus*, teste Ambrosio L. 4. de Sacram. C. 5. Quin in Missa Æthyopum, statim post *Amen* ter repetitum, expressis verbis additur: *credimus & confidimus - - hoc est vere Corpus tuum &c.* ut refert Antoine. Quod si tamen aliqui proferant *Amen* pro *fiat*, conformiter ad prius dicta intelligunt sensu restricto, nempe, *fiat nobis ad Salutem &c.*

Resp. ad 2*dum*: verba illa, *mutans Spiritu S. tuo*, non reperiri in omnibus Chrysostomi Liturgiis; in duabus certe, quas refert Renaudotius, desiderantur. Præterea, verbum græcum μεταβαλών male redditur per *mutans*: cum enim sit in aoristo secundo, magis proprie significat tempus præteritum, ut adeo verbi illius significatio sit, *qui mutasti &c.* Quod vero ad compellationem *panis* attinet, quo sensu ea Eucharistiæ nonnunquam attribuatur, jam supra dictum est Dissert. I.

fert. I. N. 67. & 68. in Resp. ad I. id quod de Chrysostomo eo est certius, quod Hom. 1. de prodit. Judæ aperte afferat per verba, *hoc est Corpus meum*, panem oblatum transmutari.

Resp. ad 3*tium*: rursum verba hæc non legi in omnibus S. Basilii Liturgiis, ac nominatim in Coptitarum & Alexandrina, a Renaudotio Tom. 1. relatis, & illustratis; harum prima ex Codice Coptico, altera ex Græco-Arabico in latinum translata est, ac utriusque memorata oratio his fere verbis absolvitur: *rogamus - - ut veniat Spir. S. tuus - -* (ἐπὶ τὰ προκείμενά σȣ δῶρα ταῦτα) *super proposita hæc dona tua &c.* Quod si interim voces, quæ opponuntur, in aliquo exemplari legantur, congrue dici potest: oblata isthic vocari *antitypa* tantum relate ad tempus verba Christi præcedens; vel certe non sumi pro nuda imagine & figura qualicumque, verum tali, quæ id ipsum contineat, quod repræsentat. Hujus alterius rationem & expositionem vide supra Diss. I. N. 53. Primi autem ratio est ex ipso græco verbo προθέντες, quod cum sit in aoristo secundo, per præteritum reddi debet; ut adeo precatio illa hunc faciat sensum: *appropinguamus altari tuo, & qui antea proposuimus antitypa Corporis & Sanguinis Christi, te rogamus, ut &c.* Atque hoc omnino sensu cit. Basilii verba ipse Joannes Damascen. L. 4. Orth. Fid. C. 14. exponere videtur. Altera interim expositio plus ad rem præsentem momenti habet, satisque omnino illa Objectioni occurritur.

§. IV.

Qui sint Sacram. Eucharistiæ effectus?

De solis Eucharistiæ, ut ea Sacramentum est, effectibus isthic agere constitutum habemus; quos enim præterea eadem sub ratione Sacrificii operatur, patebit ex Diss. IV.

Jam

Jam vero Doctrinam hanc non aliunde certius, quam ex Florent. & Trident. Conciliis discimus. Et Florent. quidem in Decr. pro Arm. §. *Tertium*, hæc habet. *Hujus Sacramenti effectus, quam in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum; & quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris ejus unitur, consequens est, quod per hoc Sacramentum in sumentibus digne magis augeatur, omnemque effectum, quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando, & delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operatur Spiritualem: in quo (ut inquit Urbanus P.) gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum & gratiarum proficimus augmentum.* Trident. autem Sess. 13. Cap. 2. se declarat. *Sumi voluit* (Christus) *Sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes vita illius, quia dixit:* qui manducat me, & ipse vivet propter me; *& tanquam antidotum, quo liberamur a culpis quotidanis, & a peccatis mortalibus præservamur. Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ & perpetuæ felicitatis &c.* Conformiter ad quæ tres esse præcipuos hujus Sacramenti effectus jure dixeris. Nempe 124

I. est *nutritio Spiritualis* per augmentum ejusmodi sanctificantis gratiæ, cui proprium sit jus ad specialia auxilia, per quæ juvemur ad charitatem Dei in nobis conservandam & augendam: cum enim charitatis fervore arctius Deo conjungimur, hoc eodem in Spiritu magis proficimus & nutrimur. Est nimirum nobis in Eucharistia Corpus Christi cibus, & Sanguis ejus potus Joan. 6. cibi autem & potus effectus præcipuus est nutritio. 125

II. effectus est *remissio culparum venialium, & a mortalibus præservatio.* Utrumque illud expressis verbis declarat laud. Tridentinum. Remissionem porro hanc venialium fieri 126

per charitatis fervorem, cum quo illa componi nequeunt, docet S. Th. 3. p. qu. 79. Ar. 4. An perinde etiam pœna temporalis peccato debita remittatur? controvertunt Theologi. Ex mente Doctoris Ang. cit. qu. Ar. 5. *quia hæc unitas* (hoc est, unio ad Christum per Eucharistiæ nutritionem) *fit per charitatem, ex cujus fervore aliquis consequitur remissionem non solum culpæ, sed etiam pœnæ; - - ex consequenti, per quamdam concomitantiam ad principalem effectum, homo consequitur remissionem pœnæ, non quidem totius, sed secundum modum suæ devotionis & fervoris.* Quod vero ad præservationem a mortalibus attinet, operatur eam Eucharistia mediantibus gratiis actualibus, quibus & tentationum vehementia impeditur, & ad resistendum illis robur additur. Hac ipsa autem præservatione efficitur perseverantia in bono, & per eam gloriæ consecutio secundum illud Joan. 6. *qui manducat hunc panem, vivet in æternum;* inde & Trident. cit. C. Eucharistiam dicit esse *pignus futuræ nostræ gloriæ & perpetuæ felicitatis.*

127 III. est *delectatio Spiritualis*, quod rursum cibo & potui proprium est, ut notat Florent. in laud. Decr. Et Clemens V. in Concil. Vienn. *in hoc Sacramento*, inquit, *habetur omne delectamentum, & omnis saporis suavitas, ipsaque dulcedo Domini degustatur.* Neque mirum istud, quando vel in ipso manna, quod erat figura Eucharistiæ, Deus Israelitis panem dederat *omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem*, Sap. 16. Evenit interim non raro, ut rerum terrenarum affectus & sensuum oblectamenta, quibus distinemur, sacras has epuli Eucharistici delicias nobis eripiant, prohibeantque, quo minus suavitatis hujus gustu pascamur; hinc S. Bernard. Serm. 5. de Ascens. *unde Spiritualis gratiæ*, inquit, *inopia tanta quibusdam, cum aliis copia tanta exuberat? præoccupatam nempe secularibus desideriis animam delectatio sancta declinat; nec misceri poterunt vera vanis, æterna caducis &c.*

§. V.

§. V.

An, & quæ sit Sacramenti Eucharistiæ necessitas?

SI hujus Sacramenti effectus attendas, nulla ejus necessitas esse videtur; quando & gratiæ sanctificantis quoad substantiam (sine jure videlicet illo peculiari) augmentum, & gratiæ actuales illi respondentes aliunde obtineri possunt. Contra, si spectentur Christi verba, *nisi manducaveritis carnem Filii hominis &c.* non modo præcepti, sed & medii necessitas videri potest, ut quidam Græci & Novatores contendunt. Neutrum interim horum cohæret cum doctrina Ecclesiæ; cum qua sit

ASSERTIO.

Sacramenti Eucharistiæ perceptio non est ulli necessaria necessitate medii; adultis attamen necessaria est necessitate præcepti tam Divini, quam Ecclesiastici.

PArs prima quoad parvulos est de fide ex Trident. Sess. 21. 128
Can. 4. ubi anathema dicitur asserenti, *parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem.* Idem de adultis ita certum est, ut oppositum saltem sine temeritate sustineri nequeat: nam Trid. Sess. 5. in Decr. de pec. orig. §. 5. declarat generatim, *nihil esse damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptisma, - - ita ut nihil prosus eos ab ingressu Cœli remoretur.* Fundatur autem hæc doctrina in Apostolo ad Rom. 8. universim dicente, *nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu:* & ad Gal. 3. *quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis;* per Apostolum igitur baptizato, si in gratia Baptismi

decedat, nihil deest ad salutem. Idem de parvulis aperte docuit Augustin. L. 1. de Peccat. merit. & remiss. C. 19. pro causa id reddens, *peccata enim*, inquit, *sola separant inter homines & Deum, quæ solvuntur Christi gratia*; quæ ratio cum perinde pro adultis faciat, pro iis etiam recte arguitur ex Augustino. Demum: ad consequendam salutem sufficit status gratiæ; atqui ad hunc necessaria non est sumptio Eucharistiæ, cum ea non conferat primam gratiam, sed supponat; ergo eadem etiam ad salutem non est necessaria.

129 Ex his autem ultro consequitur, Eucharistiam ne in voto quidem esse necessariam necessitate medii: illud quippe solum ita necessarium dicitur, sine quo salus omnino obtineri nequit; cum igitur istud Eucharistiæ non conveniat, frustra ei attribueris medii necessitatem in voto. Nec adversatur in hoc nobis D. Thomas; cum enim 3. p. qu. 73. Art. 3. in ⊙ dicere videtur, saltem in voto necessarium esse Eucharistiæ Sacramentum, loquitur solum de eo, quod in Sacramento se tenet ex parte rei, nempe de unitate corporis mystici. Colligitur id ex contextu, nam Conclusionem hanc statuit: *Quanquam non quoad realem perceptionem, sicut Baptismus, Eucharistiæ Sacramentum ad salutem necessarium sit; est tamen ex parte rei, quæ est unitas corporis mystici necessarium ad salutem.* Dein in ⊙ se explicat: *dictum est autem, quod res hujus Sacramenti est unitas corporis mystici, sine qua non potest esse salus; nulli enim patet aditus extra Ecclesiam &c.* Demum ita concludit: *& ideo hoc Sacramentum non hoc modo est de necessitate salutis, sicut Baptismus.*

130 Pars altera Assertionis quoad præceptum Divinum constat ex illis Joan. 6. Christi verbis: *nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* quibus quidem verbis aliquam sumendæ Eucharistiæ necessitatem imponi extra dubium est: non autem necessitatem

tatem medii, ut ex N. priore patet: necessitatem igitur praecepti pro adultis, ut qui soli ejus capaces sunt.

De praecepto Ecclesiae minus controverti potest, cum clari sint de hoc Canones Concilii Lateran. IV. & Tridentini. Ita autem Lateran. Can. 21. statuit: *omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata confiteatur semel saltem in anno - - suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum; nisi forte de consilio Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiae, & moriens Christiana careat sepultura.* Poena haec satis indicat gravem praecepti obligationem. Idem porro praeceptum renovavit Tridentinum Sess. 13. Can. 9. dicto etiam anathemate secus sentientibus; Innocentius XI. autem praeterea definivit, praecepto huic non satisfieri per Sacrilegam communionem, ut constat ex prop. 55. ab eo damnata.

Diluitur Objectio
contra I. part. Assertionis.

Quo se potissimum sustentant Adversarii, sunt Christi verba apud Joannem. Sicut enim, inquiunt, Christus dixit Joan. 3. *nisi quis renatus &c.* sic & C. 6. *nisi manducaveritis &c.* sicut igitur ex priori loco Baptismum, ita ex altero Eucharistiae Sacramentum colligimus esse necessarium necessitate medii vel in re, vel in voto; quod ipsum comprobari ajunt usu veteris Ecclesiae, ipsis etiam parvulis statim a Baptismo Eucharistiam conferentis. 131

Resp. hunc loquendi modum ex se indifferentem esse ad significandam necessitatem medii vel praecepti; secus pari jure arguere liceret, lotionem pedum esse de necessitate medii, cum Christus dixerit Joan. 13. *si non lavero te, non habebis partem mecum.* De sensu itaque hujusmodi locutionis statuendum

dum est ex subjecta materia; si enim sermo sit de re aliqua ad obtinendam justificationem necessaria, importatur necessitas medii, ut fit in Baptismo & Pœnitentia; alias autem significatur solum præcepti necessitas, uti in præsenti de Eucharistia per quam non obtinetur ipsa justificatio, sed augmentum ejus duntaxat. Adde: universim Scripturæ sensum nobis innotescere ex interpretatione Ecclesiæ, quæ pro nobis facit.

Frustra etiam opponitur usus veteris Ecclesiæ: hæc quippe parvulis non modo Eucharistiam, sed & Confirmationis Sacramentum simul cum Baptismo conferre in more habuit; quis autem propterea dixerit eam credidisse, Confirmationem esse necessariam necessitate medii? At discrimen est (inquies) inter Confirmationem & Eucharistiam: hæc enim est cibus animæ, non item illa; sine cibo autem materiali corpus vitam habere nequit, non igitur etiam anima sine illo. Verum animadvertendum est, Eucharistiam esse quidem animæ cibum, at non unicum; nam & oratione & virtutum actibus nutritio spiritualis peragitur: cum ex adverso corpus sine materiali cibo nutriri non possit. Inde Trident. postquam Sess. 21. Cap. 4. declaravit, *parvulos nulla obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ communionem*, ratione hujus reddita, continuo subjicit: *neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem* (dandi videlicet communionem parvulis) *in quibusdam locis servavit. Ut enim SS. illi PP. sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt: ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est.* Interim

132 Instari potest: ex verbis illis Christi, *nisi manducaveritis &c.* Patres inferunt necessitatem medii etiam pro parvulis. Ita Augustin. L. 1. de pecc. remiss. & mer. C. 20. *Dominum*, inquit, *audiamus dicentem de Sacramento mensæ suæ, - - nisi manducaveritis &c. quid ultra quærimus? - - etiam pro parvulorum*

lorum vita Caro data est, quæ data est pro seculi vita, & si non manducaverint Carnem Filii hominis, nec ipsi habebunt vitam. Idem repetit Innocentius I. in Ep. ad PP. Concilii Millevitani; cujus ipsius auctoritate usus Augustinus L. 1. contra Julian. C. 4. ita rursum arguit: *Sancto Innocentio vide quid respondeas, - - qui parvulos definivit, nisi manducaverint Carnem Filii hominis, vitam prorsus habere non posse. Huic responde, imo ipsi Domino, cujus ille Antistes usus est testimonio.* Adde Gelasium I. in Ep. 7. ad Epp. per Picenum eandem plane sententiam ex laud. Christi verbis pronuntiantem.

Resp. Quamvis PP. laudata Christi verba ut plurimum sumant in sensu literali: eadem nihilominus, cum ad parvulos etiam extendunt, solo sensu mystico exponunt. Ita dum in præsenti Augustinus, Innocentius, & Gelasius ex illis Christi verbis docent, parvulos salvari non posse sine Corporis & Sanguinis Christi sumptione, sumptionem intelligunt mysticam duntaxat, quæ in eo sita est, quod quis per Baptismi gratiam incorporetur Christo. Quod igitur volunt, id unum est: parvulos salvari non posse, nisi per Baptismum incorporentur Christo, viva ejus membra efficiantur per gratiam, & mystico ejus Corpori, hoc est, Ecclesiæ inserantur, atque sic mystice sumant Corpus & Sanguinem Christi.

Ac ne hæc arbitrarie dicta existimes, observatum velim, laud. PP. pugnasse contra errorem Pelagianorum. Docebant nempe isti nullum dari peccatum originale, ac propterea salvari posse parvulos sine Baptismo; cumque urgerentur Christi verbis, *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, respondebant: non baptizatos excludi quidem *a regno Dei*, non tamen *a vita æterna*, seu salute. Ut proinde PP. huic responsioni occurrerent, opposuerunt alia Christi verba, *nisi manducaveritis carnem Filii hominis &c. non habebitis Vitam in vobis.* Ita autem deinde ex his arguebant: qui Corpus Christi non manducat mystice in sensu

ſenſu jam expoſito, non habet vitam æternam; atqui ſine Baptiſmo Corpus Chriſti non manducatur myſtice eodem ſenſu; ergo ſine Baptiſmo non habetur vita æterna. Unde patet, ex mente Patrum utrumque hoc Chriſti effatum pertinere quidem ad parvulos, at non eodem ſenſu: primum nempe ſenſu literali, alterum myſtico.

Neque omnino controverti poteſt, hanc fuiſſe nominatim Auguſtino in cit. locis ſententiam. Etenim 1*mo*, S. Doctor cum alibi ſæpius, tum etiam hoc eod. L. de pecc. remiſſ. & mer. expreſſis verbis docet, parvulum *percepto Baptiſmate de hac vita emigrantem, ſoluto reatu originalis culpæ, perfici in illo lumine veritatis, quod - - in æternum juſtificatos præſentia Creatoris illuminat;* idque propterea, *quia peccata ſola ſeparant inter homines & Deum, quæ ſolvuntur Chriſti gratia* in Baptiſmo accepta. Sententia igitur S. Doctoris ad Salutem parvuli ſufficit Baptiſmus. 2*do*, idem S. Doctor verba *niſi manducaveritis &c.* ſæpe alias etiam ſenſu myſtico exponit. Ita Tract. 26. in Joan. *hunc itaque cibum & potum Societatem vult intelligi Corporis & membrorum ſuorum, quod eſt Sancta Eccleſia &c.* & infra: *hoc eſt ergo manducare illam eſcam, - - in Chriſto manere &c.* Demum 3*tio*, ipſe Fulgentius Ep. Ruſpen. idemque fidus Auguſtini diſcipulus & interpres, eodem, quo nos, ſenſu doctrinam S. Patris intelligit, ac exponit Ep. ad Ferrandum de Baptiſmo Æthiopis moribundi C. 11. ubi ait: *arbitror Sancte Frater diſputationem noſtram Doct. Auguſtini ſermone firmatam, nec quicquam eſſe ambigendum, tunc unumquemque fidelium Corporis Dominici participem fieri, quando in Baptiſmate membrum Chriſti efficitur: nec alienari ab illo panis calicisve conſortio, etiamſi antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc Seculo in unitate Corporis Chriſti conſtitutus abſcedat; Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non privatur, quando ipſe hoc, quod illud Sacramentum ſignificat, invenitur.* Confer hæc invicem, ac etiam cum verbis ex Auguſtino

ſtino ſupra objectis, & comperies, nullam illis expoſitione noſtra vim inferri, quin potius ea ad mentem S. Doctoris prorſus accomode explicari. Idem porro ſentiendum de Innocentii doctrina, cum eam ipſam ſequatur Auguſtinus. Nec Gelaſium diverſo ab his ſenſu accipiendum vel illud ſuadet, quod & ipſe Sec. V. floruerit, quo contra Pelagianos pugnandum erat.

DISSERTATIO III.

DE MINISTRO ET SUBJECTO SACRAM. EUCHARISTIÆ.

§. I.

Quis poſſit miniſtrare Euchariſtiæ Sacramentum?

EX Irenæo L. 1. contra Hæreſ. C. 9. conſtat, hæreticum quemdam nomine Marcum pro conficienda Euchariſtia mulierum miniſterio uſum; quod ipſum de Collyridianis refert Epiphanius Hær. 49. Eamdem poteſtatem Waldenſes tribuebant cuivis probo laico, ut ſcribit Reinerius L. contra eosd. C. 5. Lutherus vero in L. de Capt. Bab. eam ad omnes baptizatos, etiam mulieres, extendit: imo L. de Miſſ. priv. ne Diabolo quidem illam negat. Quæ omnia potiori jure intelligenda ſunt de diſpenſatione Euchariſtiæ. Nos erroribus his doctrinam orthodoxam opponimus; acturi primum de conſecrationis, tum de diſpenſationis Miniſtro.

De Miniſtro Conſecrationis.

ASSERTIO.

Soli Sacerdotes poſſunt valide conficere Eucbariſtiam ; hi proinde ſoli ſunt conſecrationis Miniſtri.

133 EST vero iſtud certum vel ex perpetuo tam Orientalis quam Occidentalis Eccleſiæ ſenſu; neutra enim unquam poteſtatem hanc in alio agnovit: nec paſſa eſt Clericos Sacerdote inferiores id muneris ſibi arrogare. Ac id quidem plane conformiter ad Scripturam, in qua legimus Chriſtum, conſecrata Euchariſtia, ad ſolos Apoſtolos dixiſſe, *hoc facite in meam &c.* quibus verbis poteſtatem conſecrandi ſolis Apoſtolis, ac eorum in Sacerdotio ſucceſſoribus factam docet Traditio, cujus teſtes habemus PP. & CC. Ex Patribus conſulendi ſunt Juſtinus Apol. 2. Tertull. L. de Præſcript. C. 41. & L. de Cor. Mil. C. 3. Epiphan. Ep. ad Joan. Hieroſol. Hieronym. Dial. contra Lucif. Multo etiam apertius id tradunt Concilia, quæ pro fronte Libri hujus laudata reperies, nempe Nicæn. I. Can. 18. Lateran. IV. Can. 1. Florent. in Decr. pro Arm. & Trident. Seſſ. 22. Can. 2. quod ipſum Seſſ. ead. Cap. 1. jam ante declaravit.

134 Quæ hic opponi poſſunt, fere ea ſunt, quæ jam L. I. deSacr. in Gen. Diſſ. IV. §. I. Num. 112. & 113. retulimus ac diſſolvimus. Si tamen quis porro urgeat: in caſu ſaltem neceſſitatis ac in Sacerdotum defectu olim potuiſſe a laicis etiam confici Euchariſtiam; cum Frumentius, a S. Athanaſio ordinatus Indorum Epiſcopus, Mercatoribus in Indiam commeantibus ſuaſerit, ut *ex more Romanorum ad divina Myſteria celebranda* conveniant, quod refert Theodoret. L. 1. Hiſt. Cap. 22.

Reſp.

Resp. isthic Frumentium per *divina Mysteria*, non Eucharistiæ Sacrificium, sed orationes duntaxat in cætu plurium fusas intellexisse. Certe Rufinus, ex quo Theodoretus hanc historiam mutuatus est, consilium Frumentii his verbis L. 1. Hist. refert: ut *ritu Romano orationis causa confluerent.* Socrates etiam L. 1. C. 19. & Sozomenus L. 2. C. 24. qui ante Theodoretum scripserunt, in sua Hist. Eccl. rem eamdem narrantes solius orationis meminerunt.

At Diaconis saltem, inquies, potestas consecrandi pro- 135
pria fuit primis Seculis. Quidni enim istud inferre liceat ex Conc. Ancyrano An. 314, quod Can. 2. de Diaconis lapsis ita statuit: *Diaconi similiter, qui immolaverunt, - - cessare ab omni Sacro Ministerio, sive a pane, sive a calice offerendo, vel prædicando debent.* Huc facit & Conc. Arelatense I. An. eod. celebratum, cum Can. 15. statuat: *de Diaconis, quos cognovimus multis locis offerre, placuit minime fieri debere.*

Resp. τὸ *offero* vario sensu a Patribus & Conciliis accipi, nunc videlicet pro consecratione, alias pro panis & vini porrectione, vel etiam pro Eucharistiæ distributione; hinc ex verbo illo certi nihil argui potest.

Nominatim Canonis Ancyrani sensus est: lapsos Diaconos non debere *offerre*, hoc est, non debere porrigere panem & vinum in divinis Officiis, atque sic ministerio suo cooperari ad oblationem consecratoriam, quæ fit per Sacerdotem. Istud nempe ministerium peculiare est Diaconis, a quo ob admissum crimen cit. Can. suspenduntur. Certe S. Hieronymus, qui Seculo eodem, quo Conc. Ancyranum fuit habitum, floruit, Ep. 85. ad Evagr. potestatem consecrandi solis Sacerdotibus competere satis declarat, cum quorumdam Diaconorum elationem reprimens, ait: *quis patiatur, ut mensarum & viduarum minister* (Diaconus) *supra eos se se efferat, ad quorum preces Christi Corpus & Sanguis conficitur?*

De Arelatensi Canone non una est DD. opinio. Morinus cum quibusdam putat, aliquando Diaconos præsumpsisse Eucharistiam conficere; hosque omnino laud. Can. peti. Neque istud improbabile est, cum constet plures hujusmodi errores per Ministrorum ruditatem, aut etiam malitiam quandoque irrepsisse. Plurium interim sententia Canon hic non agit de ipsa consecratione, neque enim alias tantum crimen inultum reliquisset Synodus: verum de sola Eucharistiæ dispensatione, quæ ipsa sine indultu Episcopi aut Presbyteri Diaconis non competit, ut habet idem Concil. Can. 18.

De Ministro dispensationis.

ASSERTIO.

Ordinarius Eucharistiæ dispensandæ Minister est Sacerdos; extraordinarius vero Diaconus.

136 Primum Assertionis membrum fundatur in Christi verbis, *hoc facite in meam &c.* quibus uti conficiendæ, sic & jure ordinario dispensandæ Eucharistiæ potestatem solis Sacerdotibus factam docet sensus & usus Ecclesiæ. Certe Tertullian. L. de corona Mil. C. 3. ad traditionem Apostolicam refert, quod Eucharistiam *non de aliorum manu, quam præsidentium* (nempe Sacerdotum) *sumamus.* Et Trident. Sess. 13. Cap. 8. ait: *in Sacramentali sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a Sacerdotibus communionem acciperent, Sacerdotes autem celebrantes se ipsos communicarent; qui mos tanquam a traditione Apostolica descendens jure ac merito retineri debet.*

137 Altera pars etiam in dubium vocari nequit, cum ex Patribus & Conciliis constet, Diaconis Eucharistiæ dispensandæ munus peculiari quodam jure concedi posse, ac etiam olim sæpe concessum fuisse. Ita Cyprianus in Tract. de laps. meminit, *Diaconum præsentibus Calicem offerre;* idem refertur in Actis

Actis passion. S. Laurentii, in L. Constit. Apost. C. 28. quin Ordo Rom. inter Diaconorum munia nominatim recenset distributionem Eucharistiæ; & Concil. Aquisgranense Sec. IX. celebratum C. 7. ait: *Sicut in Sacerdote consecratio, ita in Ministro dispensatio Sacramenti est; ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat.*

Hæc interim omnia pro eo solum casu intelligenda sunt, quo aut necessitas exposcebat, aut peculiaris facultas Episcopi vel Presbyteri accessit; inde, si quando jus hoc dispensandi sibi, ceu proprium ac debitum, arrogarunt Diaconi, continuo repressi sunt. Claro in hanc rem testimonio sunt quædam veterum Decreta. Ita Concil. Carthagin. IV. Can. 38. statuit: *Diaconus præsente Presbytero Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget;* & Arelat. I. Can. 15. *Diaconus Corpus Christi præsente Presbytero tradere non præsumat:* quod ipsum legitur etiam in Gelasii I. Epist. ad Epp. Lucaniæ. Atque hoc illud est, cur dicamus Dicanos esse solum extraordinarios dispensationis Ministros; quo quidem ipsa etiam Assertionis pars prima firmior redditur. Hodie facultas hujusmodi non facile conceditur Diaconis; & in hoc interim mos cujusque particularis Ecclesiæ est attendendus.

Ultro autem jam ex his consequitur: Subdiaconos, & his 138
inferiores Clericos non posse solemniter & in cætu publico Eucharistiam ministrare. Docet nempe id nos constans usus Ecclesiæ, munus hoc nulli unquam alteri committentis, quam Sacerdoti vel Diacono. Consulto dictum est, *solemniter;* privatim enim, in necessitatis casu, & in defectu Sacerdotis ac Diaconi inferioribus etiam & laicis quandoque concessum legimus, ut Eucharistiam aliis porrigerent: aut eam ipsi de manibus suis sumerent. Constant hæc ex Epist. Innocentii I. & ex Actis S. Tharsici Acolyti, ex historia item Serapionis N. 76. relata: ac denique ex praxi veterum fidelium, quos

perſecutionum tempore Euchariſtiam domi ſuæ aſſervaſſe, ac etiam ſumpſiſſe ex Hiſt. Eccl. novimus. Quamvis autem hæc omnia contrario Eccleſiæ uſu abolita ſint, poteſt nihilominus hodie etiam ea neceſſitas quandoque occurrere, e. g. in peſte, in captivitate fidelis cujuſpiam apud Tyrannos &c. ut Epiſcopo (nam de Pontifice dubium non eſt) ſit integrum hujusmodi facultatem Clericis inferioribus, aut etiam laicis concedere. Ita memorant quidam, Sec. XVI. Mariam Scotorum Reginam, in carcere detentam ac morti proximam, peculiari indulto Euchariſtiam, quam apud ſe aſſervabat, ſibi ipſi miniſtraſſe. Fateor interim in id genus indultis hodie cautela opus eſſe magna, præſertim propter Concilii Trident. Decretum, cujus N. 136. meminimus.

§. II.

Cui miniſtrari poſſit Euchariſtiæ Sacramentum? & quæ in percipientibus illud requiratur diſpoſitio?

NOn agitur iſthic de Euchariſtiæ perceptione mere reali & materiali, cujus quisque, etiam non baptizatus, eſt capax: verum de ſola Sacramentali & Spirituali, ea videlicet, quam fructus Sacramenti comitatur. Nec ſermo eſt de diſpoſitione ſupererogatoria, aut omnibus Sacramentis communi; de qua dictum L. I. Diſſert. V. de ea ſolum quærimus, quæ & Sacramento huic peculiaris eſt, & ad fructum ejus percipiendum in adultis neceſſaria. De utroque hoc autem ita compendio ſtatuimus.

ASSERTIO I.

Omnis & ſolus homo baptizatus, idemque viator, eſt capax ſuſcipiendæ Euchariſtiæ.

DOctrina hæc certa eſt ex ſenſu & praxi Eccleſiæ. Ac
139 omnino, cum Baptiſmus ſit janua Sacramentorum, quidni

ni is omnibus, ac etiam solis baptizatis viam aperiat ad hoc ipsum Mysterium? Hos ipsos nihilominus Viatores esse necessum est, cum universim (ut alias dictum) Sacramenta pro solis Viatoribus instituta sint, & Eucharistia nominatim vocetur *Viaticum*, id est, Viatorum cibus. Inde cum olim pia quorumdam simplicitate abusus invalesceret dandi Eucharistiam mortuis, aut cum eorum corporibus illam sepeliendi, Concil. Carthaginense III. An. 397. Cap. 6. statuit, *ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur; dictum est enim a Domino: accipite & edite; cadavera autem nec accipere possunt, nec edere.* Quae ipsa prohibitio subinde repetita est a Conc. Antissiodor. Can. 12. & Trullano Can. 83.

Moveri hic potest dubium I. de infantibus. Verum & hos 140
Eucharistiae cum fructu percipiendae esse capaces docet vetus Ecclesiae disciplina, secundum quam illis statim a Baptismo, ac etiam alias, usque ad Sec. XII. dabatur Eucharistia, & quidem ut plurimum sub specie vini duntaxat. Moris hujus jam Sec. III. meminit Cyprianus Tract. de laps. Pro reliquis deinde Seculis testes sunt Ambrosius L. de Myst. C. 8. Gregorius M. in Sacram. Ordo Rom. Tit. de Bapt. nominatim autem pro Sec. XII. Paschalis II. S. P. apud Baron. ab An. Chr. 1118. quo ipso Seculo praxis hæc in Occidente aboleri cœpit, dum tandem penitus abiret in desuetudinem. Mutatæ porro disciplinæ causa erat periculum effundendi Sacri Sanguinis, ac ut subinde majore cum reverentia susciperetur Eucharistia, nec usus ejus (quod pronum erat) vilesceret. Inde, spectata hodierna Latinæ Ecclesiæ disciplina, parvulis ante annos discretionis danda non est Eucharistia. Græci etiamnum veterem morem retinent.

Moveri potest dubium II. de amentibus & energume- 141
nis. Ita autem de his communior Theologorum sententia habet. Si amentia sit perpetua & a nativitate, neganda est communio: amentes enim hujusmodi pro infantibus

tibus habentur. Si non fit perpetua, occasione lucidi (ut dicimus) intervalli conferri potest. Quin tametsi nulla id genus intervalla amplius observentur in amente, si tamen is ante amentiam christiane vixerit, aut saltem pœnitentiæ signa dederit, conferendam illi Eucharistiam (præsertim in mortis articulo) præscribit Conc. Nicænum I. Can. 18. & Carthagin. IV. Can. 76. modo nullum sit irreverentiæ periculum. Semiamentibus negari non debet communio in Paschate & mortis periculo; alias etiam eis concedi potest, non tamen frequenter, ne Sacramenti dignitas vilescat. Quod spectat Energumenos, fere in mortis tantum articulo primis Seculis ad mensam Eucharisticam admittebantur, ut patet ex Conc. Eliberitano Can. 29. & 37. inde etiam Sacræ Oblationis tempore una cum Cathecumenis exesse jubebantur, Diacono inclamante: *omnes Catechumeni, omnes possessi discedite.* Sequentibus deinde Seculis sæpius concessa est energumenis communio, modo sua habuerint lucida intervalla, ac dispositi fuerint ad eam cum fructu & reverentia obeundam, ut colligitur ex Cassiano Collat. 7. & D. Thoma 3. p. qu. 80. Art. 9. ad 2. quod ipsum hodie etiam observatur.

ASSERTIO II.

Ad Eucharistiam cum fructu percipiendam ex parte animæ necessario requiritur status gratiæ: ex parte corporis vero regulariter jejunium naturale.

142 PArs I. est contra Lutherum & Calvinum, quorum sententia Eucharistiæ Sacramentum est institutum ad remissionem peccatorum mediante fide causandam: ut adeo perceptio ejus non prærequirat, sed inducat statum gratiæ. Hinc Lutherus in Conc. de præparat. ad Euch. *optima dispositio,* inquit, *est non nisi ea, qua pessime es dispositus;* & Calvin. L. 4. Inst. C. 16. *justis non prodesse Eucharistiam* ait. At pro more suo

ſuo hallucinantur. An non enim in Euchariſtia Caro Chriſti *eſt vere cibus*, & Sanguis ejus *vere eſt potus?* ut habetur Joan. 6. cibus autem ſupponit vitam, non dat: eamque ſolum ſuſtentat & conſervat. Quid præterea illud Pauli 1. Cor. 11. *probet autem ſe ipſum homo, & ſic de illo pane edat, - - qui enim manducat indigne, judicium ſibi manducat &c.* de quibus verbis Trident. Seſſ. 13. Cap. 7. ita habet: *Eccleſiaſtica conſuetudo declarat eam probationem eſſe neceſſariam, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, absque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad Sacram Euchariſtiam accedere debeat, quod a Chriſtianis omnibus - - hæc S. Synodus perpetuo obſervandum eſſe decrevit.*

Neque nova hæc doctrina eſt, verum jam longe ante a Patribus tradita. Adeant Novatores Cyprianum L. 3. Ep. 14. qua in abuſum quorumdam, etiam peccatores nondum expiatos ad Euchariſticam menſam admittentium, ita invehitur: *nondum pœnitentia acta, nondum exomologeſi - - - Euchariſtia illis datur, cum ſcriptum ſit: qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini.* Audiant & Ambroſium L. 6. in Lucam C. 9. *nemo cibum accipit Chriſti, niſi fuerit ante ſanatus. - - ubique myſterii ordo ſervatur, ut prius per remiſſionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, poſt alimonia Menſæ cœleſtis exuberet.* Patres alii, ac momenta reliqua huc facientia videri poſſunt apud Bellarm. L. 4. de Euch. C. 17. 18. & 19.

Patrocinari ſibi quidem Novatores putant illud Matth. 26. 143
hic eſt Sanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum; item orationem Eccleſiæ in Miſſa, *hæc nos communio purget a crimine, ſit ablutio ſcelerum &c.* ac denique PP. quosdam dicentes, *Euchariſtia nos mundari & lavari &c.* Verum fruſtra ſunt. Etenim per τὸ *effundetur* ſignificatur effuſio, quæ *in remiſſionem* futura erat in cruce: non quæ fiat

in Euchariſtia. Oratio autem cit. pertinet ad Euchariſtiam, ut eſt Sacrificium, cui vim ineſſe impetrandi remiſſionem peccatorum etiam mortalium, infra Diſſ. IV. dicemus. Demum verba *mundari, lavari &c.* intelligi poſſunt de liberatione a culpis, pravis affectibus, peccatorum pœnis, aut etiam de præſervatione a mortalibus. Non nego interim (ut jam L. I. Diſſ. III. §. I. N. 84. inſinuavimus) in aliquibus circumſtantiis per accidens fieri poſſe, ut ſumptione Euchariſtiæ cauſetur prima gratia, ac proinde & remiſſio gravis peccati; at de hoc iſthic non inſtituitur quæſtio.

144 Pars II. etiam eſt contra Novatores, hanc jejunii neceſſitatem ſugillantes. At eadem certa eſt ex præcepto Eccleſiæ in Traditione Apoſtolica fundato. Evincitur vero id totum vel ex Auguſtino, qui in Ep. ad Januar. 118. nunc 54. hæc ſcribit. *Ideo non præcepit* (Chriſtus) *quo deinceps ordine ſumeretur* (Euchariſtia) *ut Apoſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſervaret hunc locum. Nam ſi hoc ille monuiſſet, ut poſt cibos alios ſemper acciperetur, credo quod eum morem nemo variaſſet.* Et rurſus ibid. *liquido apparet, quando primum acceperunt Apoſtoli Corpus & Sanguinem Domini, non eos accepiſſe jejunos. Numquid tamen propterea calumniandum eſt univerſæ Eccleſiæ, quod a jejunis ſemper accipitur? ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Chriſtiani prius Domini Corpus intret, quam cæteri cibi. Nam ideo per univerſum orbem mos iſte ſervatur.* In eadem deinde Ep. originem hujus præcepti ab Apoſtolis repetit, & quidem nominatim ex Cap. 11. Ep. 1. ad Corinth. ubi Paulus inordinatas Corinthiorum epulas improbans, dicit: *cætera, cum venero, diſponam.* Hinc nempe S. Doctor infert, ad occurrendum malo inter Corinthios graſſanti, ſtatuiſſe Paulum, ne deinceps poſt cænam diſtribueretur Euchariſtia. *Unde intelligi datur*, inquit, - - *ab ipſo ordinatum eſſe, quod nulla morum diverſitate variatur.* - - *Quin autem ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſimæ*

ſmæ inſaniæ eſt. Legem porro hanc ab Apoſtolo latam conſtans Eccleſiæ uſus roboravit, & confirmarunt Concilia, Carthagin. III. Can. 5. Toletanum VII. Can. 2. Conſtantienſe Seſſ. 13. contra Joan. Hus.

Fuit equidem (non diffiteor) quibusdam Affricanis mos feria V. Maj. hebd. ad veſperam poſt cænam in memoriam cænæ Dominicæ Euchariſtiam ſumendi, moremque hunc Auguſtinus improbare non eſt auſus, imo eum Conc. Carthagin. III. Can. 29. approbavit; at hoc peculiare fuit, neque niſi ſemel in anno indultum, quin etiam deinde gravibus de cauſis ab Eccleſia abrogatum: unde hoc Affricanorum factum Novatoribus patrocinari non poteſt.

Dictum autem eſt I. in hac Aſſertionis parte, jejunium 145
requiri *ordinarie;* nam infirmis, etiam non jejunis, urgente mortis periculo miniſtrari poteſt Euchariſtia per modum viatici: ac etiam complures neceſſitatis caſus evenire poſſunt, in quibus hæc jejunii lex non obligat, ut e. g. cum Sacerdoti poſt conſecrationem deficienti non poteſt ſubſtitui alius quam non jejunus &c. de quibus Theologos Morales conſule. Utrumque autem hoc docemur & praxi Eccleſiæ, & Decreto Concilii Conſtantienſ. Seſſ. 13. cujus verba pro fronte L. hujus recitata ſunt.

Dictum eſt II. requiri jejunium ndale. ~~regulariter~~; ejusmodi videlicet, ut ante ſuſceptionem Euchariſtiæ nihil ſumatur per modum cibi, potus, aut medicinæ. Unde ſi quid guſtes, nec tamen in ſtomachum demittas: aut ſi demittas etiam, id tamen rationem cibi aut potus non habeat, ut eſt ſaliva, ſanguis ex capite defluus &c. hæc, & his ſimilia non ſunt obex Sacræ Communionis. At hæc rurſum copioſius repetenda ſunt a Theologis Moralibus, quibus jejunii hujus ratio multiplicis controverſiæ præbet argumentum.

§. III.

An laicis, ac universim omnibus non Sacrificantibus debeat ministrari Eucharistia sub utraque specie?

QUæstio hæc unum est e præcipuis nos inter & Novatores controversiæ capitibus. Cum autem constet, hodierno usu laicis & universim omnibus non Sacrificantibus sub specie tantum panis, non autem etiam sub specie vini Eucharistiam conferri, ad resolvendam quæstionem propositam satis fuerit definire : num istud non adversetur præcepto Christi, sitque etiam jure statutum ab Ecclesia? pro quo ipso prius consulenda nobis erit Ecclesiæ disciplina, & Novatorum error notandus.

De Sacramentali communione Ecclesiæ Disciplina & doctrina, item Novatorum error.

146 I. ANte omnia discrimen faciendum est inter publicam & privatam laicorum (idem est de omnibus non Sacrificantibus) communionem. Ac publicam quidem, eam videlicet, quæ intra Missæ Solemnia fiebat, a primis Ecclesiæ temporibus usque ad Sec. XII. semper fuisse tam Clericis quam laicis adultis datam sub utraque specie, ex Hist. Eccl. probabilius est; sunt enim aliqui, qui cum Tournelyo contendant, etiam hanc quandoque sub una tantum specie collatam. Quod si autem infantibus aut adultis extra Sacrificium & Ecclesiam privatim ministranda fuit Eucharistia, ut plurimum sub una tantum specie peragebatur Sacra communio.

Ita nominatim ægrotos mortis articulo proximos, peregrinos item in longis itineribus imminente periculo, Anachoretas in vastis ac remotis solitudinibus degentes, ac demum fide-

fideles persecutionum tempore se ipsos ex asservata domi Eucharistia communicantes, sub panis duntaxat specie (quandoque saltem) Sacramenti hujus factos fuisse participes passim docent Annales Ecclesiastici, & ex proposito compluribus exemplis comprobant Bellarmin. L. 4. Euch. C. 24. Bona Rer. Liturg. L. 2. C. 18. Idque ipsum suadet ratio; cum Eucharistia sub specie vini nec potuerit deferri procul citra effusionis periculum; nec citra corruptionem diu asservari. His adde Græcos in Præsanctificatorum Missa sub sola panis specie communicantes; quem quidem ritum vetustum esse vel inde conjicias, quod Missæ hujus præceptum renovet Synodus Trullana An. 707. habita Can. 52. Huc denique facit mos ille, secundum quem feria VI. maj. hebd. Sacerdos sub panis duntaxat specie Eucharistiam sumit; quem ritum rursus antiquum esse constat ex Innocentii I. sub initium Sec. V. Pontificis Ep. 1. C. 4. & antiquis LL. Ritualibus, quos vide apud Martene L. de ant. Eccl. Discipl. C. 23.

Sub sola etiam vini specie ministratam olim Eucharistiam, & quidem nominatim infantibus statim a Baptismo, ac etiam deinde primis eorum annis, dubitari nequit. Testis hujus est Cyprianus Ep. 63. ad Cæcilium, *post Baptismum - - inquit, a baptizatis - - ad bibendum Calicem Domini pervenitur.* Et L. de lapf. ubi narrat historiam cujusdam infantulæ, quæ cum Parentum incuria panem vino mixtum de idolothytis antea comedisset, ipso Cypriano Sacrificante aderat cum matre in Ecclesia, *ubi vero Solennibus adimpletis Calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus ejus advenit, faciem suam parvula instinctu Divinæ Majestatis avertere, & labiis obturantibus premere, Calicem recusare. Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet de Sacramento Calicis infudit. Tunc sequitur singultus & vomitus; in corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit &c.* Fuisse vero istud in usu etiam apud Latinos adhuc Sec. XII. constat ex Scriptoribus

hujus ævi, Hugone a S. Vict. L. I. de Sacr. C. 20. & Rodulpho Pictavien. Serm. in die Paschæ; ubi uterque moris ejus meminit, eumque servandum docet.

147 II. Hoc ipso interim Sec. XII. in multis per Occidentem locis tam parvulorum communio, quam pro adultis usus Calicis prohiberi cœpit ab Episcopis: idque ad evitandum irreverentiæ & effusionis periculum, quod, aucta jam nimium fidelium multitudine, abesse non posse experientia docuit: utque hac ipsa praxi contraria docerentur fideles, sub quavis specie totum Christum contineri. Ob has certe causas etiam Rodulphus Abbas S. Trudonis, qui sub initium hujus Seculi floruit, usum Calicis a laicis removendum esse suadebat his versibus:

Hic & ibi cautela fiat, ne Presbyter ægris
Aut sanis tribuat laicis de Sanguine Christi;
[illegible] nosset leviter: simplexque putaret,
Quod n[illegible] sub specie sit totus Jesus utraque.

Ita subinde factum, ut sublato sensim usu Calicis, in Ecclesia Latina (de Græca dicemus N. 150.) mos invalesceret sub sola panis specie communicandi laicos, ac etiam Clericos Presbyteris inferiores: quod ipsum deinde traductum est ad Presbyteros extra Sacrificium communicantes. Et jam ritum hunc pacate prosequebatur Ecclesia usque ad Sec. XV. cum ecce! sub initium hujus exorti Hussitæ pro Calice laicis restituendo pugnare incipiunt, palam docentes, neminem sine usu illius salvari posse, ut legere est apud Æneam Sylvium in Hist. Bohem. C. 35. Cui malo ut occurreret Ecclesia, in Concilio Constantiensi 15. Junii An. 1415. Sess. 13. laicorum sub sola panis specie communionem peculiari Decreto approbavit, ac in perpetuum observari jussit.

III.

III. Compreſſum in Huſſitis errorem Lutherus & Calvi- 148
nus Sec. XVI. reſuſcitarunt. Quamvis autem Lutherus, uti in aliis, ſic & in præſenti mirum variaverit, ut adeo triginta ſex contradictiones ejus de hoc uno articulo notatæ ſint, cum videlicet nunc diceret, neceſſariam eſſe laicis communionem ſub utraque ſpecie: alias id arbitrarium & liberum cuique vellet &c. attamen L. de Viſitat. Saxonica aperte damnavit communionem ſub una ſpecie, tanquam inſtitutioni Chriſti contrariam. Quid re ipſa interim hac ſua doctrina ſpectaverit, facile eſt intelligere ex ejus Formula Miſſæ, ubi hæc ſcribit: *ſi quod Concilium ſtatueret, aut permitteret utramque ſpeciem, nos nequaquam utraque uti vellemus: ſed in deſpectum Concilii aut una, aut neutra, & minime utraque uti vellemus: maledicturi univerſos, qui ex poteſtate aut ſtatuto Concilii utraque uterentur.* Vide de his Bellarm. L. IV. de Euch. C. 21. Calvinus in errore tuendo fuit pertinacior: uti enim L. 4. Inſtit. C. 17. ita & alias conſtanter docuit, negari non poſſe laicis Calicem, dandum eſſe ex præcepto Chriſti &c. adjecta etiam calumnia, contrariam Eccleſiæ doctrinam ex officina diaboli prodiiſſe. Utrique huic Hæreſiarchæ oppoſuit ſe Concil. Tridentinum An. 1562. Seſſ. 21. damnatiſque eorum erroribus, laicorum & univerſim omnium non Sacrificantium ſub una ſpecie communionem approbavit, quidque de hoc catholice ſentiendum ſit, copioſe expoſuit ejusd. Seſſ. Cap. 1. 2. 3. & Can. 1. 2. 3. quæ iſthic recolenda ſunt.

IV. Verum non deſtiterunt errare cum Magiſtris ſuis 149
Lutherani & Calviniani, hodie etiam pro utraque ſpecie pugnantes; quamvis ſciam, eorum nonnullos ſub ſola panis ſpecie ægrotis communionem præbere. Catholicorum ex adverſo, ad mentem Concilii Tridentini una eſt omnium doctrina: utramque ſpeciem non eſſe neceſſariam ad ſubſtantiam Sacramenti; ſub quavis earum totum Chriſtum contineri; æqualem gratiæ fructum ad ſalutem neceſſarium ex una vel utra-

utraque percipi ; ac demum jure etiam & licite ufum Calicis negari laicis, imo univerfim omnibus non Sacrificantibus. In ipfo nihilominus Concilio Tridentino fuere etiam e Theologis nonnulli, qui ad preces Ferdinandi I. Imper. item Caroli IX. Gall. Reg. & Alberti III. Ducis Bavar. ufum Calicis reftituendum poftularent, ad fedandas videlicet Novatorum turbas, & præcidendum illis omnem nos calumniandi occafionem. Quamvis autem generali huic petitioni Concilium fubfcribere noluerit, fub finem Seffionis 22. attamen reliquit Pontificis arbitrio, ut, fi e re Chriftiana fore cenfuerit, alicui regno vel nationi ufum Calicis concedat: uti re ipfa deinde pro Germania An. 1563. conceffit. Ac jam omnino quibusdam Germaniæ locis fub utraque fpecie cœpit miniftrari Euchariftia ; verum cum fperatus inde fructus non fequeretur, imo abufus etiam nonnulli irreperent, evoluto vix anno Pius V. conceffionem revocavit, ac fub interminatione anathematis præcepit, ut Decretum de communione fub una fpecie ab omnibus inviolabiliter fervaretur. Pluribus hæc Pallavicinus fparfim in Hift. Conc. Trid. a L. 17. usque ad L. ultimum, fcilicet 24.

Inde jam hodie in Ecclefia Latina ne Viaticum quidem miniftrare licet fub fpecie vini, tametfi æger illud fub fpecie panis fumere non poffet; quamvis non negem evenire poffe cafum, quo licita fit Euchariftiæ fub vini etiam fpecie fumptio, ut e. g. fi poft peractam confecrationem Sacerdos irruentibus hæreticis profugiat; tum enim etiam laicus ad impediendam profanationem abfumere poteft, quin & debet utramque confecratam fpeciem. Idem eft de illis, quibus peculiari indulto Sedis Pontificiæ conceffa eft quandoque utriusque fpeciei fumptio, ut nominatim Galliæ Regibus eo die, quo inaugurantur.

150 V. Atque hæc apud Latinos; Græcæ enim Ecclefiæ permiffum eft veterem fub utraque fpecie communionis ritum

tum retinere, & quidem iis etiam Græcis, qui in Italia degunt, ea tamen cum cautela, ut *ubi præfatus ritus consuetudine hactenus receptus non est*, *Episcopis*, *quorum jurisdictioni Græci subjiciuntur*, *curæ sit*, *ne imposterum admittatur*, ut ait BENEDICTUS XIV. jam alias laud. Const. *Etsi Pastoralis*. Neque interim Græci ob unicam speciem Latinos reprehendunt: minus existimant utramque ex præcepto Christi esse necessariam; quin ipsi etiam sub una tantum specie Eucharistiam præbent quandoque. Ita nominatim infantibus solum cochlear Sanguine intinctum lambendum porrigunt. Adultis etiam ægrotis sub sola panis specie Viaticum ministrant, si rem, ut est, spectare velimus. Etenim ex more suo Feria V. maj. hebdomadæ panem solito majorem in usum infirmorum consecrant, ex quo (parte quarta a Sacerdote absumpta) reliquæ tres comminuuntur in exiguas particulas, quas *Meridas* vel *Margaritas* vocant; quamvis autem hæ primum imbuantur Sanguine, dein tamen subjecto igne penitus siccantur ita, ut induratæ toto anno a corruptione immunes servari possint. Ab his jam particulis ita siccatis species vini abesse necesse est, remanet proinde Corpus Christi sub sola panis specie; cum igitur deinde hæ particulæ vino duntaxat communi emollitæ porrigantur in Viaticum, dubitari nequit, sub sola panis specie illud ministrari.

Hæc eadem porro cum Græcis sentiunt, & in usu habent Maronitæ, Abyssini, Syri, & reliquæ passim nationes Orientales, ut colligitur vel ex L. Constit. Eccl. Orient. in quo postquam C. 3. statuitur, *non licere Sacerdoti præbere Corpus sine Sanguine*, continuo additur: *exceptis ægrotis*, & *qui longe distant ab Ecclesia*, - - *deferre autem ad hos Calicem periculosum est*, *ideoque Corpus sine Sanguine detur illis*. Consule de his Card. Bona Rer. Liturg. L. 2, Cap. 18. Num. 2. & 3. Eadem copio-

sius refert Auct. Perp. Fid. Tom. 5. L. 2. C. 8. & 9. cumprimis autem L. 8. C. 1. 2. 3. & 4. Nobis jam de propoſita controverſia contra Novatores ſtatuendum eſt.

ASSERTIO.

Communio ſub utraque ſpecie non eſt ex præcepto Chriſti neceſſaria laicis & univerſim omnibus non Sacrificantibus; jureque illis Eccleſia uſum Calicis prohibuit.

151 PArs I. tum inde certa eſt, quod nullo penitus fundamento præceptum hoc adſtruatur a Novatoribus, ut patebit ex Reſp. ad Objecta; tum quod Chriſtus Joan. 6. his verbis, *ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*, item, *qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, ſolius Euchariſtiæ ſub ſpecie panis mentionem faciat, ejusque ſumptioni ſalutem promittat: id quod utique non feciſſet, ſi eam ſub utraque ſpecie univerſim ſumi præciperet; poſt latum quippe hujusmodi præceptum ſub una duntaxat ſpecie ſumentes, ceu transgreſſores, damnationis forent rei: non autem digni vita æterna. Confirmari poteſt id ipſum exemplo Chriſti, qui Luc. 24. legitur ſub ſpecie tantum panis dediſſe Euchariſtiam Diſcipulis duobus in Emaus Caſtello, *dum recumberet cum eis* (inquit Lucas) *accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis.* Fuiſſe autem hunc panem Euchariſticum cum Auguſtino & Chryſoſtomo Patres complures inde colligunt, quod ex hoc facto eum cognoverint; nam ibid. V. 35. habetur, Diſcipulos deinde hos ſibi invicem narraſſe, quæ geſta erant in via, *& quomodo cognoverunt eum in fractione panis.*

Cumprimis attamen hæc Aſſertionis pars evincitur ex ſenſu & diſciplina Eccleſiæ. Etenim ipſis etiam Apoſtolorum temporibus ſub ſola panis ſpecie non nunquam communicaſſe Fideles videtur certum ex Luca, qui in Act. Ap. C. 2. aſſerit eos

eos fuiſſe *perſeverantes - - in fractione panis & orationibus, - - frangentes circa domum panes &c.* ubi indubium eſt agi de Sacramentali communione, & tamen unius ſolum ſpeciei fit mentio. Ut ut interim ſit iſtud, ad rem noſtram ſatis momenti eſt ex relata a N. 146. diſciplina Eccleſiæ: cum enim hæc (ut ibid. comprobamus) ipſis etiam primis Seculis ſub una tantum ſpecie quandoque Euchariſtiam præbuerit non Sacrificantibus, cenſuit utique non eſſe univerſim a Chriſto præceptam ſub utraque ſpecie communionem; eadem vero cum ſit infallibilis verbi divini interpres, ex hoc ejus ſenſu certum ſit, nullum ejusmodi extare Chriſti præceptum. Idem argumentum potiori jure ducitur ab Eccleſiæ Decretis iſthuc pertinentibus. Recole hic ea, quæ Aſſertioni præmiſimus de Eccleſiæ Diſciplina.

Pars II. ex probatione partis primæ ultro conſequitur. 152
Quod ſi enim Chriſtus non præceperit communionem ſub utraque ſpecie, cur Eccleſiæ non ſit integrum eam aut permittere, aut abolere? cum conſtet, in ea, quæ ad Religionem & nominatim ad ritum diſpenſandi Sacramenta pertinent, neque a Chriſto præcepta ſunt, datam eſſe univerſim Eccleſiæ poteſtatem Matth. 18. V. 18. Hac certe poteſtate uſa, fatentibus ipſis Novatoribus, jure mutavit quædam circa Subjectum & tempus percipiendæ Euchariſtiæ: cur non igitur eodem jure certum diſpenſandæ illius modum præſcribere, & receptum alias Calicis uſum ſufferre potuerit? Quæ omnia eo urgent amplius, quod ad id Eccleſia ſit inducta juſtis & gravibus de cauſis, quas commemorat Concilium Conſtantienſe & Tridentinum locis ſupra laud.

Sunt autem earum præcipuæ. 1*mo*, ut evitetur effundendi Sacri Sanguinis periculum, quod abeſſe non poteſt præſertim in concurſu multorum, eorumque rudium, parvulorum &c. 2*do* ob periculum corruptionis ſpecierum Euchariſtiæ, ſi

ea ſub vini ſpeciebus pro infirmorum communione aſſervanda foret. 3*tio* propter rituum uniformitatem, quæ permiſſo Calicis uſu obſervari non poſſet: cum multi vel odorem vini ſuſtinere nequeant, alii abhorreant bibere ex eodem vaſe cum aliis, in nonnullis regionibus præterea ſit ſumma vini penuria &c. 4*to* ad abolendum errorem eorum, qui docebant ſub una ſpecie non contineri totum Chriſtum, aut utriusque ſpeciei ſumptionem eſſe neceſſariam ad ſalutem.

Refelluntur argumenta Novatorum.

153 ARguunt vero uſum Calicis pro omnibus eſſe ex præcepto Chriſti propterea I. quod Joan. 6. utriusque ſpeciei ſumptionem conjungens, dixerit: *niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* utriusque igitur ſpeciei ſumptio ad ſalutem eſt neceſſaria.

II. quod Chriſtus voluerit Euchariſtiam ſumi in ſuæ Paſſionis memoriam, quæ fieri nequit per unius ſolum ſpeciei ſumptionem juxta illud 1. Cor. 11. *quotieſcunque manducabitis panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.*

III. quod in ead. Ep. Paulus inſtitutionem Euchariſtiæ referens, teſtetur V. 24. & 25. Chriſtum non modo poſt datum ſuum Corpus, ſed & poſt porrectum Calicem ſeorſim ac ſpeciatim dixiſſe, *hoc facite in meam commemorationem;* ergo utriusque ſumptionem fieri voluit.

IV. quod Matth. 26. Chriſtus, cum Calicem daret, dixerit: *bibite ex hoc omnes;* quæ verba utique univerſim pro omnibus continent præceptum bibendi Calicis.

Reſp. ad I. cum Bellarmino: receptum eſſe Hebræis loquendi modum, ut quandoque ſimplicem tantum conjunctionem

nem ponant, quamvis negationem jam ante præmissam subintelligant. Ita Psal. 1. V. 6. in textu hebraico sic habet: *non surgent impii in judicio, & peccatores in concilio justorum;* qui V. propter subintellectam negationem in Vulgata nostra ita redditur: *non resurgent impii in judicio, neque peccatores &c.* Cum ergo interpretes nonnunquam imitentur phrasim hebraicam, & Christus laud. in Object. verba hebraice vel syriace protulerit, evenire potuit, ut Joannes ea in suo Evang. servata phrasi ad verbum græce reddiderit, eumque deinde etiam Latinus interpres secutus fuerit; ut adeo ex more loquendi Hebræorum verba illa hunc faciant sensum: *si neque manducaveritis, neque biberitis &c.* vel: *si non manducaveritis, aut non biberitis &c.* Quod si autem hic sit eorum sensus, clarum est, non recte deduci ex illis, voluisse Christum utriusque speciei sumptionem esse omnibus necessariam ad salutem. Ac omnino hoc sensu accipienda esse docet tam veteris quam modernæ Ecclesiæ sensus & praxis: tum etiam, quod ibid. apud Joan. non multo post V. 58. & 59. Christus absolute dicat: *qui manducat me, vivet propter me, - - qui manducat hunc panem, vivet in æternum;* quod utique verum non esset, si priora verba, *nisi manducaveritis &c.* non disjunctive, sed conjunctive forent intelligenda. Plura de hac Object. vide apud Bellarm. L. 4. de Euch. C. 25.

Resp. ad II. falso asseri, quod ex cit. Apostoli verbis deducatur, Passionis Christi memoriam fieri non posse nisi per utriusque speciei sumptionem. Consule ipsum verborum contextum. Et sane, cum in morte Christi Corpus a Sanguine separatum fuerit, cur per unius speciei sumptionem sufficienter non repræsentetur, & in memoriam revocetur mors Christi? Fit equidem istud multo expressius in ritu communionis per utramque speciem; at istud non officit: secus enim Baptismus per affusionem erit irritus aut saltem illicitus, cum

immersio distinctius exprimat mortem & sepulturam Christi.

Resp. ad III. hunc ex Apostolo locum pro nobis facere: illic enim refert, Christum post Corpus suum datum absolute dixisse, *hoc facite in meam commemorationem;* post Calicem autem solum conditionate & limitate, *hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem*, quod idem est, ac: *si, vel quando bibetis, facite hoc in meam &c.* non præcepit itaque ipsum Calicis usum omnibus: verum sui duntaxat memoriam pro eo etiam casu, cum quis de Calice biberit.

Resp. ad IV. verba illa, *bibite ex hoc omnes*, directa fuisse tantum ad præsentes Apostolos, de his enim solis Marcus testatur C. 14. *& biberunt ex illo omnes.* Qui autem hi *omnes*? illi utique, qui aderant; quibus apud eumdem Matth. Christus dixit V. 31. *omnes vos scandalum patiemini in me in nocte ista*; at hi non erant fideles omnes, sed Apostoli soli, ergo &c. Quod si tamen ad alios etiam verba illa pertinuerint, non alios certe quam Apostolorum in Sacerdotio Successores, ut ex sensu Ecclesiæ colligitur: secus enim non admisisset unquam, ut Eucharistia sub una specie dispensetur, quod tamen primis etiam Seculis factum jam supra notavimus.

154 Instant I. Christus ab omnibus fidelibus voluit sumi totum Eucharistiæ Sacramentum; at totum non sumitur nisi sub utraque specie; sub utraque igitur illud ab omnibus sumi voluit. Min. prob. Eucharistia instituta est per modum convivii spiritualis: sicut ergo plenum convivium non est sine cibo & potu, sic nec plenum ac integrum Eucharistiæ Sacramentum sumitur, nisi sub utraque specie, hoc est, cibi instar simul & potus sumatur. Pro quo confirmando recitant ex Epistola Gelasii I. verba a Gratiano Can. *Comperimus*. de Consecrat. Dist. 2. relata: *Comperimus* (inquit Pontifex) *quod quidam, sumpta tantummodo Corporis sacri portione, a calice sacri cruo-*

cruoris abstineant; qui procul dubio (quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi,) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi Sacrilegio non potest provenire.

Resp. D. Maj. voluit ab omnibus sumi Sacramentum totum quoad substantiam C. totum etiam quoad modum, seu quoad utramque speciem, iter. Dist. ita voluit sumi ab omnibus Sacrificantibus C. etiam non Sacrificantibus N. Eadem distinctione explicandæ sunt & reliquæ propositiones. Nempe cum Sacramenti hujus substantia sit Corpus & Sanguis Christi, hæc vero sub quavis specie contineantur: sub una etiam tantum specie sumenti nihil deerit, quod ad Sacramenti Eucharistiæ substantiam pertineat.

Quod de Convivio additur, ajo: non esse eamdem rationem convivii Eucharistici & corporalis. Etenim in corporali diversa est cibi & potus substantia, solumque cibus ad famem, potus autem ad sitim relevandam ordinantur; in convivio contra spirituali Eucharistiæ tota spiritualis fames & sitis sedantur per Christi Corpus & Sanguinem: cum igitur hæc habeantur perinde sub una ac sub utraque specie, perinde etiam sub una ac utraque expletur fames & sitis spiritualis, atque ita sub una etiam sola specie plenum ac integrum est convivium Spirituale.

Quod demum ad Gelasii epistolam attinet, ex laud. ejus fragmento de sensu Pontificis certi nihil statui potest: consulendus in hanc rem esset contextus Epistolæ, quæ tamen tota vix extat, ut opinatur Bellarminus. Verisimiliter interim dici potest 1*mo*, Gelasium hic loqui de solis Sacerdotibus Sacrificantibus, qui jure divino obstringuntur ad sumendam utramque speciem, seu, quod idem est, *ad percipienda Sacramenta integra* etiam quoad modum. Istud opinandi rationem suggerit ipse Titulus, quem Capitulo huic Gratianus præfixit

his

his verbis: *Corpus Christi sine ejus Sanguine Sacerdos non debet accipere.* Dici potest 2*do*, hanc Pontificis reprehensionem spectare ad Manichæos & Priscillianistas, qui, quod putarent vinum esse creaturam diaboli, nec Christum habuisse verum Sanguinem, a specie vini in communione Eucharistica abstinebant. Colligitur vero istud tum inde, quod jam annis aliquot ante Leo I. Serm. 4. de quadragef. ad detegendos Manichæos jusserit observari eos, qui nunquam communicabant sub utraque specie; tum etiam, quod (Anastasio teste) ætate Gelasii in ipsa etiam Urbe nimium grassati sint Manichæi, ac ipse Gelasius in priore parte hujus Ep. fragmenti (quod refert id. Gratianus Can. 25. qu. 2. Cap. fin.) commemoret graves persecutiones in Pastores excitatas, quarum auctores fuerint Manichæi. Accedit, in fragmento nobis objecto Pontificem dicere: *quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi &c.* id quod aptissime convenit Manichæis, ut qui superstitioso errore suo unum idemque Mysterium grandi cum Sacrilegio dividebant, cum videlicet prava opinione sua & Christi Corpus a Sanguine separarent, & in Eucharistia Corpus esse sine Sanguine assererent.

155 Instant II. Nequit saltem sine injuria negari communio sub utraque specie; cum enim sic sumpta Eucharistia plus gratiæ conferat, ut vel ipsi DD. Catholici fatentur, quis non videat fideles Sacramenti fructu fraudari? Ita Kemnitius.

Resp. I. Quamvis admittatur plus conferri gratiæ per utriusque speciei, quam unius sumptionem, nulla tamen fidelibus irrogatur injuria per sublatum Calicis usum. Etenim 1*mo*, etiam in hac sententia non plus confertur gratiæ ad salutem necessariæ, ut ex jam dictis patet; 2*do* tametsi omnes fideles capaces sint Calicis percipiendi, is tamen illis ex præcepto Christi non debetur; 3*tio* magis congruum est fideles carere fructu non necessario, quam Sacramentum exponi periculo

riculo irreverentiæ. Sicut igitur ex his ipsis caussis (quod fatentur Novatores) Ecclesia jure prohibet dari Eucharistiam infantibus, nec laicos permittit quotidie Mysterii hujus participes fieri, minus vero pluries eodem die: ita censendum est, jure agere Ecclesiam, nec injuriæ quidquam fidelibus irrogare, cum vetat usum Calicis. Nihilominus

Resp. II. Etsi probabilis sit opinio quorundam cum Card. Lugo hic Disp. 12. Sect. 3. docentium, majorem conferri gratiam sub utraque specie, quam sub una: mihi tamen cum Bellarmino L. 4. de Euch. C. 23. oppositum videtur verisimilius, estque hæc communior Theologorum sententia.

Est vero in hanc rem ratio 1*mo*, quod perinde sub una ac sub utraque specie sit totum Sacramentum, totus Christus cum Corpore & Sanguine, ac plenum etiam spirituale convivium & refectio integra; quid igitur est, quo minus tantum sub una, quantum sub utraque specie efficiat? 2*do*, quia fames & sitis spiritualis in re sunt idem, tametsi per diversos respectus explicentur; proinde sicut per Eucharistiam sub specie panis sumptam sedatur fames, sic & sitis. 3*tio*, quia opinioni huic favet Concil. Moguntinum An. 1549. celebratum, dum C. 32. ait; *illum sub una specie communicandi morem ad salutem fidelium æque utilem ac efficacem esse, quam alterum sub utraque specie.* Idem arguunt quidam ex Concilio Tridentino; cum enim ex mente illius sub una etiam specie *Sacramentum verum* (nulla limitatione adjecta) sumatur, respondere illi necesse est pariter illimitate omnes effectus vero Eucharistiæ Sacramento proprios. Quamvis autem Concilium de hac controversia nihil aperte statuerit; teste attamen Pallavicino Hist. L. 17. C. 7. & 12. plerique Patres ejusdem nobiscum fuerunt sententiæ; imo Card. Hosius Legat. Pontific. & Georg. Draskovicsius Orator Ferdinandi I. pro Reg. Hung. postularunt eam definiri.

At alius eſt, inquies, effectus cibi, alius effectus potus? ita equidem, ſi cibus & potus non ſint una eademque res, uti non eſt in cibo & potu corporali; verum in Euchariſtiæ Sacramento una eademque res, Chriſtus videlicet, eſt nobis ſimul cibus & potus ſpiritualis. Inde cum PP. Euchariſtiæ ſub ſpecie panis ſumptæ effectum dicunt eſſe famis expletionem: effectum autem Calicis expletionem ſitis aut exhilarationem ſpiritus, id genus loquendi modis non diverſam, ſed eamdem plane gratiam ſignificant.

Nec obeſt, Clementem VI. in Bulla, qua Regi Galliarum concedit facultatem communicandi ſub ſpecie utraque, dicere: id ei indulgeri *ad majus gratiæ augmentum*. Quid enim vetat dicere? intellexiſſe Pontificem augmentum gratiæ obtinendum *ex opere operantis*, hoc eſt, vi majoris diſpoſitionis & devotionis, qua ſupponebat Regem communicaturum ſub utraque ſpecie. Quamvis interim loquatur de augmento, quod ipſum Sacramentum *ex opere operato* efficiat, nihil nos urget: integrum quippe nobis manet ab ejus, ceu privati Doctoris, ſenſu recedere; certum etenim eſt, nihil hic eum definire voluiſſe, ſed per occaſionem duntaxat conceſſionis factæ cauſam redidiſſe.

DISSERTATIO IV.

DE SS. EUCHARISTIA, UT EA EST SACRIFICIUM.

§. I.

An Euchariſtia ſit verum Legis novæ Sacrificium?

SAcrificium, late & minus proprie acceptum, in Scriptura & Patribus crebro ſumitur pro actione quavis ad Dei cultum ordi-

ordinata, ut eſt oratio, eleemoſyna &c. quo quidem ſenſu Euchariſtiæ celebrationem eſſe Sacrificium, nemo in dubium revocat. Tota igitur in præſenti eſt controverſia de Sacrificio proprie dicto: quod quid ſit, quamque varium, quid item de illo tam Sectarii quam Orthodoxi ſentiant, ante Aſſertionem obſervandum eſt.

Sacrificii definitio & varietas.

I. Sacrificium proprie dictum eſt, *oblatio rei ſenſibilis, per* 136
aliquam ejus deſtructionem, Deo facta in proteſtationem ſupremi illius in res omnes dominii. Itaque in Sacrificio proprie tali offerri debet *res ſenſibilis*: quia Sacrificium eſt unum e ſignis præcipuis, quibus & in unum Religionis cætum colligamur, & cultus divini teſtimonium perhibemus; quod utrumque inter homines convenit fieri ſignis ſenſibilibus, ceu ſtatui humano pariter ſenſibili accommodatis. Hujus ipſius autem rei ſenſibilis *deſtructio aliqua*, phyſica videlicet aut moralis ſaltem, eſt neceſſaria: quo ſignificatur, dignum eſſe Deum, cujus obſequio res omnes, ipſam adeo vitam noſtram impendamus. Oblatio eadem dicitur *Deo facta*: Sacrificium enim eſt cultus latriæ, qui ſoli Deo debetur; idcirco *nemo unquam Sacrificandum eſſe cenſuit, niſi ei, quem Deum aut ſcivit, aut putavit, aut finxit*, ut notat Auguſtin. L. 10. de Civ. Dei C. 4. Demum oblatio hæc fieri debet *in proteſtationem ſupremi in nos Dei dominii*: hic quippe Sacrificii præcipuus eſt finis, ac per hoc cumprimis ab ipſis Sacramentis differt; unde ſi quæ præterea Sacrificium operetur, ut ſanctificationem, & ſatisfactionem &c. id genus effectus indirecte duntaxat & ſecundario ad illud pertinent.

Ex quibus ultro colligitur in omni Sacrificio proprie tali adeſſe *rem oblatam*, quæ eſt inſtar materiæ; *actionem Sacrifi-*

candi, quæ habet rationem formæ; *finem Sacrificii*, qui si præter protestationem divini dominii alius sit, secundarius dicitur; *ritum mysticum*, cujus substantia in ipsa Sacrificandi actione consistit, ritus autem præter hanc alii inter accidentales numerantur; demum *Ministrum*, qui ut legitimus sit, speciali deputatione aut etiam consecratione opus habet, cum Sacrificium sit actio Ecclesiæ publica & nobilissima.

157 II. Conformiter jam ad hæc varia Sacrificiorum genera distinguuntur. Spectata nempe materia Sacrificium est vel *Victima*, vel *Immolatio*, aut *Libamen.* Victima seu hostia Judæis erat, cum animal aliquod, e. g. ovis, hædus, bos &c. sacrificabatur; in Immolatione contra offerebatur res inanima solida, ut panis, sal &c. in Libamine vero res liquida, ut sanguis, vinum, oleum. Quoad formam Sacrificium dividitur in *Holocaustum*, *Hostiam pro peccato*, *Hostiam pacificam.* Holocaustum peragebatur totius rei oblatæ combustione; ex Hostia pro peccato pars combusta est, pars comedebatur a Sacerdotibus in atrio templi; ex Hostia pacifica similiter pars comburebatur, reliquum vero cedebat in usum Sacerdotum simul & offerentium. Demum ratione finis quodvis Sacrificium est *Latreuticum*, ut constat ex dictis: Judæis interim hoc nomine solum Holocaustum veniebat propterea, quod in eo, excluso omni fine alio, protestationem divini dominii spectaverint. Quia nihilominus & alios fines adjunctos habere potest Sacrificium, *Eucharisticum* est, si offeratur in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis; item *Impetratorium*, si fiat pro novis beneficiis impetrandis, quale Judæis erat Hostia pacifica; ac tandem *Propitiatorium* & *Satisfactorium*, cum offertur pro peccatorum & pœnarum peccatis debitarum remissione, ut in Lege Mosaica fuit Hostia pro peccato.

De

De Euchariſtiæ Sacrificio Catholicorum doctrina: vocis *Miſſa* ethymologia: Novatorum error.

I. CONſentiens Orthodoxorum omnium doctrina eſt, Euchariſtiæ myſterium non modo eſſe Sacramentum, ſed & verum Legis Evangelicæ Sacrificium, idque longe præſtantius omnibus veteribus. Ex eorumdem porro ſententia Sacrificium hoc peragitur in eo ſacro Officio, quo Sacerdos in perſona Eccleſiæ panem & vinum Deo offert, atque ex his ſolemni conſecratione conficit Euchariſtiam. Quod quidem Officium tametſi veteres variis nominibus deſignarint; a Græcis enim Patribus nonnunquam vocatur *perfectio*, *elevatio*, *oblatio*, *res arcana*, *ſervitus* &c. a Latinis autem *collecta*, *hoſtia*, *fractio panis*, *gratia* &c. vocabulo attamen maxime recepto Græcis dicebatur Λειτουργία, Latinis *Miſſa*, quæ hodie etiam ut plurimum obtinent. Quamvis autem vox *Liturgia* ex prima ſua notione quodvis miniſterium ſignificet, ejus tamen uſum Eccleſia Græca jam a primis Seculis peculiarem eſſe voluit, ad deſignandum duntaxat Euchariſtiæ Sacrificium, ceu Miniſterium omnium nobiliſſimum. Apud Latinos etiam vocem *Miſſa* antiquam eſſe, ac jam Sec. II. pro ſignificando Euchariſtiæ Sacrificio uſitatam, conſtat ex Pii I. S. P. Ep. ad Sororem Euprepiam; pro Seculo III. idem eruitur ex Cornelii P. Epiſt. ad Lupicinum Epiſcopum; pro Seculo IV. certiſſimum teſtimonium eſt Ambroſii Serm. 39. & Ep. ad Soror. Marcellinam. 158

II. Quæ interim ſit vocis *Miſſa* ethymologia, variant Eruditi. Mihi veriſimilior videtur opinio BENEDICTI XIV. S. P. qui, Bellarminum & Bonam ſecutus, Tract. de Sacrif. Miſſæ Sect. I. N. 68. cenſet eam eſſe originis latiæ, a 159

verbo scilicet *mitto*, seu *missione* derivatam. Nempe in primæva Ecclesia occasione Sacrificii bis palam annunciabatur abeundi e templo venia, seu quod idem est, bis fiebat solemnis dimissio populi. Ac primum quidem post Evangelium & Homiliam dimittebantur Catechumeni cum reliquis in Eucharistia non participantibus, Diacono intonante, *exite Catechumeni, pœnitentes, indigni!* quæ Liturgiæ pars vocabatur *Missa Catechumenorum;* quod reliquum erat, dicebatur *Missa fidelium*, vel *initiatorum;* toto enim peracto Sacrificio dimissi sunt fideles, Diacono rursum inclamante, *Ite, Missa est:* hoc est, *ite, dimittimini, fit missio, datur venia abeundi &c.* quæ omnia idem significant. Cum autem diebus jejunii Sacrificium sero fieret, ac illi continuo subjiceretur Officium vespertinum, cui fideles adesse moris erat, completo Sacrificio Diaconus, non *Ite missa est*, verum *Benedicamus Domino* intonabat; quo moneretur populus, nondum esse abeundi tempus: verum post peractum etiam Sacrificii ministerium superesse divinas laudes omnibus persolvendas.

Hæc jam vero argumentum præbent verisimiliter opinandi, Sacrificium ab hac populi *missione* dictum esse *Missam:* præsertim cum veteribus non infrequens fuerit id genus vocabulis uti, ut cum dicebant remissam peccatorum pro remissione, ascensam Christi pro ascensione &c. ut notat erud. Bossuet. Attenta etiam hac nominis ethymologia ratio congrua redditur, cur Sacrificium hoc quandoque plurali numero *Missæ*, vel *Missarum solemnia* diceretur: a duplici videlicet memorata populi missione. Plura in hanc rem vide apud Bellarm. L. 1. de Sacrif. Missæ C. 1. & Bonam Rer. Lit. L. 1. C. 1. ubi & veterum complures pro hac opinione laudari reperies.

160 III. Ad Sectarios quod attinet, omnes, qui realem Christi in Eucharistia præsentiam negant, negant pariter Eucharistiam

ſtiam habere rationem veri Sacrificii, ut Berengariani, Wiccleffitæ, Zwingliani & Calviniſtæ. Lutheranis jam inde a principio ſuæ Sectæ difficilius viſum non admittere verum Euchariſtiæ Sacrificium, cum profiteantur in ea Chriſti Corpus contineri, & vel ipſorum ſententia *Miſſæ Pontificiæ fons eſt Corporalis præſentia*, ut habet Hoſpinianus Lutheran. Miſſæ Sacrament. Par. 2. Iſtud certe Lutherum cumprimis ſolicitum habuit; inde, quamvis Catholicorum Miſſam diceret *abominationem*, duo tamen hæc conciliandi invicem cura ſupererat, dum denique a dæmone, non per ſomnum, ſed vigilans perſuaderetur, *Miſſæ Sacrificium abrogandum eſſe*, quod ipſe fatetur in L. de Miſſa priv. An. 1534. edito. Ac in hoc quidem Doctori ſuo aquievit Lutherus: nondum tamen habebat unde difficultatem elideret. Debebatur ſcilicet hæc gloria (quod ſine invidia profitetur Lutherus) Philippo Melanchtoni, qui primus ajebat ſalva reali præſentia expungendi Sacrificii medium efficax haberi in eo, quod Chriſtus (ut Lutherani docent) in Euchariſtia non ſit realiter præſens niſi in actuali ſumptione. Adeo vero iſtud probatum eſt Luthero, ut (teſte laud. Hoſpiniano) in Collatione Ratisbonenſi An. 1541. palam Philippo applauderet his verbis: *Macte virtute & pietate mi Philippe! tibi debetur gratia, qui Pontificiæ Miſſæ potuiſti Sacramentum adimere, quod ego tentavi, & aggredi non fui auſus.* At quam futile medium, cujus efficacia ab errore novo repetitur! ſed de hoc ſatis dictum ſupra Diſſert. II. §. I. ubi probavimus Euchariſtiam in re permanenti conſiſtere. Nunc directe contra Sectarios omnes, qui Euchariſtiæ Sacrificium negant, doctrina Eccleſiæ eſt aſſerenda.

ASSER-

ASSERTIO.

Eucharistia est verum ac proprie tale Legis Evangelicæ Sacrificium, quod in Missa offertur.

161 SI vel rationem consulant Sectarii, habent unde de hac veritate convincantur. Cum enim Sacrificium proprie dictum sit præcipuus Dei cultus & veræ religionis actus, quis unquam sibi persuaserit Ecclesiam Christi eo destitui? præsertim cum certum sit non defuisse vera Sacrificia Ecclesiæ Mosaicæ, quæ tamen multo erat inferior. Quod jam autem istud in Lege Evangelica Sacrificium nisi Eucharistia? convenire illi rationem Sacrificii patebit ex §. sequ. nec certe præter illam proferri potest quidquam aliud, cui prærogativa hæc attribui queat, si relatam Sacrificii definitionem attendas, ergo &c.

162 Sed nempe Scripturæ ipsius in hanc rem testimonia requirunt Novatores. Neque hæc desunt, eaque complura; nos interim duo duntaxat proferemus.

I. Malach. C. 1. Israeli Deus dicit: *munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Quæ jam autem hæc illa oblatio munda? non utique gentilium Sacrificia, quæ non Deo, sed dæmoni fiunt; non etiam Sacrificia Judæorum: hoc ipso enim Cap. prædicuntur rejicienda, uti etiam rejecta sunt: certe non offeruntur in omni loco ab ortu solis usque ad occasum &c. oblatio igitur hæc munda, quam prædixit Malachias, est Religionis Christianæ per orbem totum diffusæ Sacrificium: quod rursus aliud non est, quam Eucharistia, cui ita veri Sacrificii ratio est propria, ut nulli alteri conveniat. Ita certe locum hunc exponendum censuerunt PP. Justinus in Dial. cum Tryphone, Irenæus L. 4. contra hæref. C. 32. Chry-

Chryſoſtom. in Pſ. 95. & Hom. 5. contra Judæos, Hieroymus item, Theodoretus. & plures alii apud Bellarm. L. 1. de Sacrif. Miſſæ C. 10. Fatemur equidem mortem Chriſti fuiſſe Legis novæ verum Sacrificium; at quia hoc ſemel tantum ac in uno duntaxat loco oblatum eſt, nequit dici oblatio illa, quam iſthic Malachias prænunciavit.

II. Juxta Apoſtolum ad Hebr. 13. *habemus altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſerviunt*; & ſupra ibid. C. 7. *Chriſtus eſt Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Quod ſi autem habemus altare, utique & verum Sacrificium: propter hoc enim eſt illud. In altari hoc præterea illud offertur Sacrificium, de quo edere poſſimus nos quidem, non autem a Lege Chriſtiana alieni; atqui hoc eſt Euchariſtia, quæ ſolis Chriſtianis manducanda proponitur, ergo &c. Denique hoc altaris Sacrificium non aliud eſt, quam quod Chriſtus ſecundum ordinem Melchiſedech Sacerdos obtulit, quodque idem in ſua Eccleſia offerri voluit; quod vero illud niſi Euchariſtia? in hac certe Corpus ſuum & Sanguinem ſub ſpecie panis & vini Deo Patri obtulit, ſicut olim Melchiſedech panem & vinum: hanc præterea oblationem & deinceps a nobis fieri Chriſtus voluit, cum ea peracta dixerit: *hoc facite in meam &c.* teſtimonio igitur Apoſtoli Euchariſtia eſt verum Legis novæ Sacrificium. Hic idem eſt de laud. ex Apoſtolo verbis Patrum ſenſus, ac nominatim Irenæi loco ſupra cit. Cypriani Ep. 48. Auguſtini Conc. 2. in Pſ. 33. & Serm. de Temp. 130.

Scripturæ teſtimonio accedat Traditionis auctoritas, 163
quam deſumimus ex vetuſtiſſimis Liturgiis, Patrum & Conciliorum conſenſu.

Conſule Liturgias Baſilii, Gregorii, Cyrilli, Chryſoſtomi, & alias a Cl. Renaudotio in Op. ſæpius jam laud. relatas & illuſtratas: nullam certe reperies, in cujus aliqua ſaltem oratione

Sacerdos non dicat facere se *oblationem incruentam*, offerre *Sacrificium incruentum &c.* Patres etiam plurimi, cum de celebratione Euchariſtiæ agunt, utuntur paſſim vocibus *Sacrificii*, *hoſtiæ*, *victimæ*: verbis item *immolare*, *offerre*, *ſacrificare*. Vide, præter PP. jam ſup. N. citatos, Cyrillum Hieroſ. Catech. 5. & Ambroſium L. 1. in Luc. C. 1. item in Pſ. 38. Pro omnibus quorumdam recitabimus verba, argumentum ex Scriptura paulo ante inſtitutum non minus confirmantia, quam Traditionem teſtantia.

Juſtinus M. in Dial. cum Triphone Judæo: *de Sacrificiis a vobis tum oblatis Deus per Malachiam ait: Sacrificia veſtra non ſuſcipiam &c. de noſtris vero, quæ in omni loco offeruntur, Sacrificiis, hoc eſt, pane & poculo Euchariſtiæ prædixit, nos quidem glorificare nomen ejus &c.* Irenæus L. 4. contra hæreſ. C. 32. *Eum, qui ex creatura panis eſt, accepit, & gratias egit dicens, hoc eſt Corpus meum: & ſimiliter Calicem ſuum Sanguinem confeſſus eſt, & novi Teſtamenti novam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in univerſo Mundo offert Deo, - - de quo Malachias ſic præſignavit &c.* Auguſtinus L. 16. de Civ. Dei C. 22. poſt enarratam Melchiſedech oblationem, *ibi primum*, inquit, *apparuit Sacrificium, quod nunc a Chriſtianis offertur Deo &c.* His ſimilia leguntur in reliquis Patrum jam laud. locis.

Quibus omnibus ſi denique adjicias vel cit. pro fronte hujus Libri Conciliorum Nicæni I. Epheſini, Nicæni II. ac demum Tridentini verba, certiſſimum habes pro doctrina præſenti Traditionis teſtimonium ex conſenſu veteris & modernæ Eccleſiæ.

Reſpondetur ad Objecta.

164 OBjicitur illud de Chriſto Apoſtoli dictum ad Hebr. 9. V. 26. *ſemel in conſummatione ſeculorum ad deſtitutionem peccati*

cati per hostiam suam apparuit, & ibid. C. 10. V. 12. & 14. *unam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera Dei*, - - *una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*. Juxta Apostolum igitur Christus semel tantum oblatus est in hostiam, & hac sui oblatione (ut quae infiniti erat valoris) consummavit sanctificatos; ergo non offertur amplius, imo nec est, cur offeratur. Istud vero si ita se habeat, Eucharistiæ attribui nequit ratio Sacrificii.

Resp. ex contextu cit. Epistolæ præsertim Capitis 9. elucet, Apostolum non aliud voluisse, quam quod Christus semel tantum fuerit pro peccatis hostia per cruentum crucis sacrificium oblata: hanc item oblationem ex se sufficientis fuisse valoris ad nos sanctificandos, non esse proinde iterandam. At istud utique non prohibet, quo minus idem Christus etiamnum sit pro nobis incruenta hostia, ac in Missa modo incruento sacrificetur.

Neque enim propterea inutile dixeris hoc Sacrificii genus; valet quippe ad exhibendum Deo supremum cultum: ad constituendam religionem, quæ sine vero Sacrificio esse nequit: ad Sacrificium crucis commemorandum, ejusque fructum nobis applicandum. Nempe quamvis Sacrificium crucis, spectata pretii in eo oblati sufficientia, sit valoris infiniti: quo tamen virtute illius salutem consequamur, necesse habemus illud nobis applicare, ad quod præstandum unum e præcipuis mediis est Missæ Sacrificium. Ex quo ipso liquet, Sacrificio crucis non derogari quidquam per Missæ Sacrificium: neque enim hoc offerimus ad supplendam illius insufficientiam, sed ad valorem duntaxat ejus nobis applicandum.

Accipe hæc omnia ipsius Tridentini verbis Sess. 22. Cap. 2. ubi ait: *in divino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur & incruente immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruente obtulit*; - - *una enim ea-*

demque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cujus quidem oblationis cruentæ fructus per hanc uberrimi percipiuntur, tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur.

165 Instabis I. Teste Apostolo ad Hebr. 7. V. 23. & 24. in lege veteri *plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere ; hic autem* (Christus) *eo quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium ;* in Lege nova igitur solus Christus est Sacerdos, & nullus alius: at Sacrificium peragi nequit sine Sacerdote ; ergo ne incruento quidem modo Christus a nobis potest in Missa sacrificari.

Resp. Dist. illat. primam: solus Christus est Sacerdos & nullus alius supremæ ejusdem cum illo in Sacerdotio dignitatis & potestatis C. nullus alius, ne quidem potestate & dignitate inferior, hoc est, Christi in Sacerdotio Minister & delegatus N. Hinc etiam ad reliqua responsum habes. Nempe cit. loc. indicat Apostolus, in Lege veteri post demortuum Aaronem fuisse ejusdem dignitatis & potestatis Sacerdotum plurium successionem : Christum contra, cum non moriatur, etiamnum in Lege nova permanere Sacerdotem ita, ut in suprema Sacerdotii sui dignitate neminem habere debeat, imo nec habere possit successorem. Quis vero hinc inferat? præter Christum dari non posse alios inferioris ordinis Sacerdotes; præsertim cum etiam in Lege Mosaica præter summum Sacerdotem alii illo inferiores fuerint : ac ipse Apostolus 1. Cor. 4. universim dicat, *sic nos existimet homo ut Ministros Christi*, & 2. Cor. 5. *pro Christo legatione fungimur.* Quid quod si Christus etiamnum est Sacerdos, offert utique etiamnum sacrificium : at non utique per se ipsum, ergo per delegatos alios Sacerdotii sui Ministros. At

Instabis II. Vel ideo, quod alii Sacerdotes sint delegati duntaxat Ministri Christi, nequeunt per celebrationem Eucha-ristiæ

riſtiæ facere Sacrificium, niſi Chriſtus ipſe voluerit Euchariſtiam eſſe Sacrificium; at non voluit, ergo &c. Min. prob. ex triplici capite. Nam 1*mo* Chriſtus inſtituens Euchariſtiam, dedit eam quidem Diſcipulis, at Patri æterno non obtulit; ergo ipſe non ſacrificavit. 2*do*, ſpectata inſtitutione Euchariſtiæ in ea Chriſtus non immolatur: immolatio enim rei viventis occiſione peragitur, quod in Miſſa non fit. 3*tio*, Chriſtus Euchariſtiam inſtituit in repræſentationem cruenti ſui Sacrificii, in teſtamentum item & Sacramentum novæ Legis: quæ omnia Sacrificii rationem non habent.

Reſp. C. Maj. N. Min. nec probationes evincunt quidquam. Etenim, ut ad ſingulas reſpondeam;

Probationis 1*mæ* N. Ant. Et quamvis ſint, qui hanc oblationem tacite ſaltem deſignari putent illis verbis, quæ Chriſtus poſt datum Corpus ſuum ſubjecit, *quod pro vobis datur*: & rurſum poſt Calicem, *qui pro vobis fundetur*, vel (ut in græco eſt) *funditur*: iſtud interim rem, de qua agitur, certo non conficit. Exiſtimo itaque id repetendum a ſola Traditione fundata in Patribus, quorum ſententia Chriſtus ſe ipſum in Euchariſtia Patri æterno obtulit. Ita Cyprianus Ep. 63. *quis magis*, inquit, *Sacerdos Dei ſummi*, *quam Dom. N. J. Chriſtus? qui Sacrificium Deo Patri obtulit hoc idem*, *quod Melchiſedech obtulerat*, *id eſt*, *panem & vinum*, *ſuum ſcilicet Corpus & Sanguinem*. Item Gregor. Nyſſen. Orat. 1. in Chriſti reſurrect. ubi poſtquam dixit, Chriſtum ante Pilati ſententiam arcano Sacrificii genere ſe ipſum pro nobis hoſtiam obtuliſſe, quærit: *quando id præſtitit? cum Corpus ſuum diſcipulis edendum & Sanguinem bibendum præbuit*, *tunc aperte declaravit Agni Sacrificium jam eſſe perfectum; - - quare cum Corpus edendum & Sanguinem bibendum diſcipulis exhibuit*, *jam arcana ratione Corpus erat immolatum &c.* Idem deducitur ex reliquis Patribus N. 162. & 163. laudatis; cum enim ſecundum illos in

Euchariſtia a nobis Chriſtus ſacrificetur, nos vero juxta præceptum *hoc facite in meam &c.* in celebratione hujus myſterii non aliud faciamus, quam quod ipſe Chriſtus fecerit; jure utique arguitur, Chriſtum pariter eorum ſententia ſe ipſum ſacrificaſſe in Euchariſtia tempore cænæ ultimæ inſtituta. Clara denique de hoc eſt doctrina Tridentini, quod Seſſ. 22. Cap. 1. ita loquitur: *Chriſtus Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, Corpus & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini obtulit: ac ſub earumdem rerum ſymbolis Apoſtolis, quos tunc novi teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidit, & eisdem, eorumque ſucceſſoribus ut offerrent præcepit per hæc verba,* hoc facite in meam commemorationem.

Ad 2*dam* probat. dico, in Euchariſtia Chriſtum vere immolari: ad veram enim immolationem victimæ ſufficit ejus vel moralis deſtructio, ut certum eſt ex Sacrificio capri emiſſarii, qui re ipſa non occidebatur, ſed in deſertum duntaxat, ceu exul, ejiciebatur Lev. 16. Jam vero Chriſtus, quamvis in Euchariſtia vivus maneat, ponitur tamen in illa modo quaſi mortuo; ponitur enim in forma rei inanimatæ & in ſpecie aliena: item vi conſecrationis verborum ſub ſpecie panis directe ponitur tantum Corpus, ſub ſpecie autem vini tantum Sanguis; hæc ipſa autem eſt moralis deſtructio & occiſio. Clariora hæc erunt ex §. ſequ.

De 3*tio* ita habe: ex inſtitutione Chriſti Euchariſtiam non minus eſſe Sacrificium incruentum ac cruenti Sacrificii repræſentationem, teſtamentum item, & Sacramentum: at hæc omnia ei ſub diverſa ratione conveniunt. *Repræſentatio* eſt, quatenus (ut paulo ante diximus) vi verborum ſub una ſpecie ponitur tantum Corpus Chriſti, ſub altera tantum Sanguis: per quod repræſentatur realis ſeparatio Corporis & Sanguinis facta in cruce. Eſt & *Sacrificium*, cum in Euchariſtia Chriſtus

ſtus per aliquam ſui deſtructionem ſub ſpecie ſenſibili offeratur Deo in agnitionem dominii; *Teſtamentum* etiam, quatenus eſt inſtrumentum, quo nobis applicantur promiſſiones gratiæ & gloriæ; denique *Sacramentum*, ut eſt ſignum ſenſibile ſanctitatem operans.

Inſtabis III. Tametſi Euchariſtia non ſit Sacrificium, non 167
deerunt attamen Eccleſiæ alia, quæ veri Sacrificii rationem habeant. Cur enim prærogativa hæc attribui non poſſit internis virtutum actibus, commemorationi mortis Chriſti, precationi externæ, piis operibus, thuris incenſo, & ſimilibus? Certe hæc nonnunquam apud Patres ipſos Sacrificii nomine veniunt.

Reſp. N. Aſſertum: nihil enim in Lege hac præter Euchariſtiam eſt aliud, cui tota Sacrificii natura conveniat; inde PP. cum nomen hoc rebus quibuſdam aliis attribuunt, in ſenſu minus proprio illud ſumere cenſendi ſunt. Ac ut generatim dicam de omnibus illis, quæ nobis pro Sacrificio obtruduntur: verum Sacrificium nequit offerri niſi per legitimum Miniſtrum, hoc eſt, publica Eccleſiæ auctoritate deputatum aut etiam conſecratum; preces autem, pia opera, & reliqua id genus a quibusvis promiſcue poſſunt peragi & Deo offerri: vel hoc igitur nomine verum Sacrificium non ſunt. Sed & in aliis deficiunt.

Ita nominatim interni virtutum actus non ſunt oblatio ſenſibilis. Commemoratio paſſionis Chriſti etiam actu mere interno peragi poteſt, neque neceſſario fit per aliquid ſenſibile. Preces & pia opera ordinantur primario ad obtinendum aliquid a Deo, vel alium id genus finem: non vero ad proteſtandum Dei dominium; hæc eadem nullo peculiari miniſterio opus habent, ſed omnibus ſunt communia. Thuris incenſum, ceræ vel olei in luminaribus conſumptio, & his ſimilia ritus ſunt duntaxat accidentales, quæ omitti poſſunt: cum interim

interim Sacrificium deficere non possit durante Ecclesia. Plura id genus ultro occurrent veri Sacrificii conditiones expendenti. Consuli etiam potest Vasquez hic Disp. 223. N. 54.

§. II.

In quo consistat Eucharistiæ Sacrificium, quod in Missa peragitur?

CUm Sacrificii cujusvis naturam duo constituant, res oblata videlicet, & actio Sacrificandi, duplex nobis est isthic resolvenda quæstio. Prima quidem: an in Missæ Sacrificio res oblata sit panis & vinum, an potius ipse Christus, & hic rursum an cum speciebus simul, an sine illis? Altera deinde: num actio hujus Sacrificii habeatur per oblationem panis & vini, an tantum per consecrationem, vel etiam fractionem hostiæ consecratæ, item & populi aut saltem Sacerdotis communionem? De utroque varias Doctorum opiniones vide apud Vasquez de Sacrif. Mis. Disp. 222. C. 1. & seqq.

ASSERTIO I.

Res oblata in Missæ Sacrificio est solus Christus, prout sub panis & vini speciebus existens.

168 RAtio est ex Apostolo, juxta quem 1. Cor. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus*, & ad Eph. 5. is solus *tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo*; atqui ex mente Tridentini Sess. 22. Cap. 2. in Sacrificio Missæ *una eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa*; ergo in Sacrificio Missæ res oblata est solus Christus, prout vide-

videlicet *incruente immolatur*, *qui in ara crucis semel se ipsum cruente obtulit*, ut ait Trident. loco cit.

Ejusdem plane sensus sunt etiam Patres. Chrysostom. Hom. 24. in Ep. 1. ad Corinth. *Christus*, inquit, *suam nostri ostendit curam*, - - *& pro cæde brutorum se ipsum jussit offerri.* Ambrosius in Ps. 38. *etsi nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi Corpus offertur, imo ipse offerre manifestatur in nobis, cujus sermo sanctificat Sacrificium, quod offertur.* Augustinus in Ps. 33. *ipse* (Christus) *de Corpore & Sanguine suo instituit Sacrificium secundum ordinem Melchisedech &c.* Idem legere est apud Justinum & Irenæum N. 163. laudatos, aliosque Patres.

Dictum autem est consulto, *Christum, prout sub speciebus* 169 *sacramentalibus existentem, esse rem oblatam;* ut enim is sub specie propria in cœlo existit, sub Missæ Sacrificio nullatenus immutatur aut destruitur, quod tamen fieri debet in re oblata. Idem contra Christus sub specie panis & vini existens morali destructione aliqua immutatur & mystice occiditur in Missa vel ideo: quod ponatur sub specie aliena modo quodam mortuo, sub ratione item cibi & potus; tum etiam, quod vi verborum sub specie panis ponatur solum Corpus, & sub specie vini solus Sanguis. Ex quo ultro consequitur: species Sacramentales, quamvis non sint ipsa res oblata, esse tamen conditionis instar necessario requisitas ad Missæ Sacrificium.

ASSERTIO II.

In Missa actio Sacrificandi est sola consecratio: quæ jure divino debet esse utriusque speciei, ut perfectum sit Sacrificium.

PArs I. inde deducitur, quod per consecrationem, seclusis 170 etiam aliis Missæ actionibus, totum Eucharistiæ Sacrifi-

cium perficiatur. Nempe consecratio est inprimis a Christo instituta actio, eademque ponitur a Sacerdote in persona Christi, cum ipse sit juxta Trid. Sess. 22. Cap. 2. etiam in Missa *offerens* (videlicet principalis) *Sacerdotum ministerio*. Per eamdem consecrationem præterea vero sensu immolatur Christus cum aliqua sui immutatione, ut jam dictum est. Denique idem sic per consecrationem immolatus, tametsi non explicite, implicite tamen æterno Patri offertur: ut enim in Lege veteri e. g. ovis jugulatio facta ad cultum Dei erat oblatio realis & implicita, eaque sufficiens ad rationem Sacrificii: sic & consecratio ex institutione Christi facta cum intentione sacrificandi saltem confusa, contenta videlicet in voluntate faciendi, quod Christus instituit, est oblatio realis & exercita sufficiens ad Eucharistiæ Sacrificium. Hæc autem ad completam sacrificandi actionem & perficiendum Sacrificium sufficiunt.

Inde actiones, quæ præterea in Missa fiunt, ritus sunt duntaxat accidentales Sacrificii, non autem ipsa sacrificandi actio. Nec difficile est hujus rationem vel ex jam dictis reddere; omnes enim actiones reliquæ vel non sunt a Christo institutæ: vel non fiunt a Sacerdote in persona Christi: aut certe per illas non habetur vera immolatio. Ita panis & vini oblatio non est facta a Christo ante consecrationis verba; imo nec post hæc prolata species jam consecratas Patri æterno amplius obtulit, aut fregit: nulla enim est horum in S. Literis mentio; actiones igitur istæ non sunt a Christo institutæ, cum is eas tantum, quas ipse fecit, instituerit & præceperit, ut colligitur ex verbis illis, *hoc facite in meam &c.* Communio etiam Sacerdotis aut fidelium nequit dici actio sacrificandi, cum non fiat in persona Christi; præterea communio ex se non est immolatio & oblatio, nam nec in Lege Mosaica Sacerdotes dicebantur sacrificare per absumptionem victimæ jam ante immolatæ; denique sine communione perfecta habetur

tur Sacrificii ratio, id quod nominatim de communione populi omnibus certum est.

Momentum opinioni huic accedit etiam ex sensu 171
Patrum, quorum complures Sacrificii novæ legis actionem reponunt in consecratione, nulla actionis alterius facta mentione, Ita Irenæus L. 4. contra Hæref. C. 32. ait, Christum per consecrationem panis & vini docuisse *novam oblationem*. Verba ejus recitatata sunt supra N. 163. Gregorius M. L. 4. Dial. C. 18. *quis fidelium*, inquit, *dubitet*, *in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem Cœlos aperiri ?* immolatio igitur est Sacerdotis vox, quæ ipsa est consecratio. Idem colligitur ex Gregor. Nyss. Orat. 1. de Resur. Christi. Apertissime autem D. Thom. 3. p. qu. 82. Ar. 10. ad 1. id ipsum docet his verbis: *alia Sacramenta perficiuntur in usu fidelium*, - - *sed hoc Sacramentum perficitur in consecratione*, *in qua Sacrificium Deo offertur*.

Pars II. Assertionis fundatur in Concil. Tridentino, quod 172
Sess. 22. Cap. 1. ita se declarat: Christus, *ut relinqueret Sacrificium*, *quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur*; - - *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans*, *Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit*, *ac sub earumdem rerum symbolis Apostolis*, - - *ut sumerent*, *tradidit*, *& eisdem*, *eorumque in Sacerdotio successoribus*, *ut offerrent*, *præcepit per hæc verba :* hoc facite &c. *uti semper Catholica Ecclesia intellexit & docuit*.

Declarationis hujus auctoritas tametsi sufficiens sit argumentum; ex ea nihilominus pro Asserto confirmando tres rationes Theologicas libet adducere. Nempe ex mente Tridentini 1*mo*, Christus Eucharistiæ Sacrificium esse voluit repræsentationem Sacrificii cruenti in cruce peracti, in quo Corpus Domini separatum est a Sanguine; hæc autem repræ-

ſentatio non fit niſi per ſeparationem eorumdem myſticam, quæ ipſa rurſum per ſolam utriusque ſpeciei conſecrationem habetur in ſenſu jam alias expoſito. *2do*, idem Sacrificium Chriſtus, ut Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech inſtituit: ſicut igitur Melchiſedech ſuum Sacrificium peregit oblatione panis & vini, ſic & Sacrificium Euchariſtiæ peragi debet conſecratione ſpeciei panis & vini. Demum *3tio*, ſicut Chriſtus in ultima cœna Corpus & Sanguinem ſuum obtulit, ita pariter eadem in Sacrificio Euchariſtiæ offerenda præcepit: at is obtulit ſub utraque ſpecie; ergo præcepit etiam ſub utraque ſpecie offerenda. Hæc vero omnia certo ſunt utique argumento, Concilium Tridentinum exiſtimaſſe utriusque ſpeciei conſecrationem ita eſſe juris divini, ut ſine illa non perficiatur Euchariſtiæ Sacrificium a Chriſto inſtitutum.

Adverſæ partis momenta reſolvuntur.

173 Contra Aſſertion. I. opponitur: ex mente Patrum, tam hoc quam priore §. laudatorum, ac etiam ipſius Tridentini in Euchariſtiæ Sacrificio id offertur, quod olim obtulit Melchiſedech; at in hujus Sacrificio res oblata fuit panis & vinum; ergo etiam in Euchariſtiæ Sacrificio. Neque omnino quidquam deeſſe videtur pani & vino, quo minus ſaltem partem rei oblatæ faciant in hoc Sacrificio: nam & peculiari oratione offeruntur a Sacerdote, ut conſtat ex ritu Offertorii; eadem per conſecrationis verba etiam deſtruuntur, ac proinde vero ſenſu immolantur. Igitur in Miſſæ Sacrificio res oblata non eſt ſolus Chriſtus.

Reſp. D. Maj. idem offertur, quod obtulit Melchiſedech, idem inquam quoad ſpeciem mere externam C. idem etiam quoad rem ipſam, quæ ſub externa ſpecie illa continetur N. ac dein Min. admiſſa, N. illat. Nimirum juxta PP. & Concilium Tri-

Trident. ficut Melchifedech fuit tantum figura Chrifti, fic & Sacrificium ejus pane & vino conftans figurabat duntaxat Sacrificium Euchariftiæ a Chrifto inftitutum: item juxta eosdem in Sacrificio Euchariftiæ offertur & immolatur una eademque hoftia, quæ in ara crucis fuit immolata, proinde folus Chriftus; ergo ex mente Patrum & Concilii nequit dici, in hoc Sacrificio quoad rem ipfam offerri idem, quod obtulit Melchifedech. Locutiones præterea hujusmodi vel per hoc explicantur congrue, quod ficut Melchifedech panem & vinum facrificavit, fic & in Miffæ Sacrificio fub fpeciebus panis & vini offerantur Corpus & Sanguis Chrifti, quæ ipfa fiunt per tranfubftantiationem ex pane & vino, tanquam materia remota. Ac revera hoc fenfu fuiffe locutos Patres ipfe contextus, fi eum confulas, te edocebit. Ita e. g. Cyprianus cum dicit Ep. 63. Chriftum *hoc idem, quod Melchifedech, obtuliffe, id eft panem & vinum*, quid re ipfa his intelligi velit, continuo explicat fubjungens: *fuum fcilicet Corpus & Sanguinem*, quæ utique quoad fpeciem duntaxat externam funt panis & vinum, fub quorum videlicet fpeciebus in Euchariftia continentur.

Sed nec, quæ in Objectione adduntur præterea, evincunt quidquam. Equidem ante confecrationem ex ritu jam recepto offertur panis & vinum: at jam N. 170. probatum eft, oblationem hanc non effe actionem facrificandi. Quid quod oblatio illa panis (idem eft de vino) ordinetur ad ipfum Chriftum, ita ut jam prævie offerantur Corpus & Sanguis Chrifti, quæ mox per confecrationem ex pane & vino efficienda funt. Senfus proinde Orationis illius, *fufcipe S. Pater - hanc, immaculatam hoftiam &c.* eft fequens: *fufcipe immaculatam hoftiam, quam ex hoc pane & vino confecturus & facrificaturus fum, quamque jam nunc offero pro peccatis meis, vivis atque defunctis &c.* Colligitur porro iftud vel inde, quod

res oblata vocetur *immaculata hostia*, quod proprie convenit Christo Agno immaculato, non autem pani & vino. Quod vero ad panis & vini destructionem attinet, destruuntur illa quidem in Missæ Sacrificio; at destructio hæc ex institutione Christi fit solum eo fine, ut sub eorum speciebus ponatur Corpus & Sanguis Christi: non autem in dominii divini protestationem, quod in Sacrificio ad rationem rei oblatæ requiritur.

174 Instari potest: species saltem, sub quibus ponitur Christus, esse partem rei oblatæ in Missæ Sacrificio; nam juxta Trident. Sess. 22. Cap. 1. Christus in Eucharistia *Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, Sacrificium reliquit:* solæ autem species sacramentales faciunt *visibile* Sacrificium Eucharistiæ. Atque istud omnino in Decr. Gratiani Can. *Hoc est*, de Consecr. dist. 2. aperte asseritur his verbis: *contendimus, Sacrificium Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & invisibili Domini N. J. C. carne.*

Resp. Ex eo, quod Eucharistiæ Sacrificium sit visibile, non sequi determinate, rem oblatam debere esse integre, aut saltem ex parte visibilem; hæc quippe visibilitas, seu sensibilitas Sacrificii habetur sufficienter, si modo aliquid sensibile ad rem oblatam & Sacrificium pertineat instar conditionis necessario requisitæ: uti re ipsa pertinent species sacramentales. Diversum a nobis (fatemur) habet laud. Canon; at cum is privati duntaxat sit Doctoris, Lantfranci videlicet Archiep. Cantuariensis: nec Decretum Gratiani canonicam auctoritatem habeat, fas nobis est ab eo recedere ob momenta pro Assertione allata.

Ex his ipsis autem haud difficile est assignare discrimen: cur verisimilius sit, Eucharistiam sub ratione Sacramenti sumptam non modo Corpore & Sanguine Christi, sed & speciebus

bus

bus conſtitui, non autem etiam Euchariſtiæ Sacrificium? Nempe Sacramentum ex genere ſuo eſt ſignum ſenſibile ad noſtri ſanctificationem inſtitutum: ſpeciatim autem Euchariſtia inſtituta eſt inſtar cibi & potus ſenſibilis, quod eſſe nequit ſine ſpeciebus panis & vini; Sacrificium autem pro re oblata acceptum non aliud eſt, quam victima, quæ in dominii divini teſtimonium offertur: poteſt autem eſſe hujusmodi victima, tametſi ſit ex ſe inviſibilis, modo tamen viſibiliter ſacrificetur *ſicut hominum natura* & conditio *exigit*, quod ait laud. Tridentinum. Ex quibus Concilii verbis non obſcure colligitur: Sacrificii ſenſibilitatem non tam ex natura Sacrificii, quam ratione conditionis humanæ requiri.

Denique (quod iſthic nobis momentum eſt præcipuum) res oblata in Miſſæ Sacrificio, non ex argutatione humana, ſed ex Verbo Dei ſcripto aut tradito eſt definienda. Traditio autem, ut ea ex Patribus, & præſertim ex Concilio Trident. colligitur, docet, *unam eamdemque* in Sacrificio altaris eſſe *hoſtiam*, quæ fuit in Sacrificio crucis, *ſola offerendi ratione diverſa;* ſicut igitur in hoc ſolus Chriſtus fuit res oblata, ſic & in illo, ita ut panis & vinum, eorumque ſpecies conſtituant ſolum *offerendi rationem diverſam.*

Contra Aſſertionis II. partem 1*mam* arguitur ex Triden- 175
tino, quod Seſſ. 23. Cap. 1. ait a Chriſto Sacerdotibus *poteſtatem traditam conſecrandi, offerendi, & miniſtrandi Corpus & Sanguinem ejus &c.* igitur exiſtimavit conſecrationem eſſe diverſam ab actione offerendi, ſeu ſacrificandi. Et profecto, ſi ſola conſecratione perficeretur Miſſæ Sacrificium, non eſſet ratio, cur poſt illam Sacerdos peculiari oratione defunctos Deo commendet: perfectum etenim Sacrificium continuo ex ſe ipſo ſuum effectum operatur.

Reſp. C. Ant. Diſt. Illat. exiſtimavit eſſe diverſam ratione noſtra C. diverſam re ipſa N. Quamvis enim in Miſſa conſecra-

ſecratio & oblatio ſit una eademque actio, hæc ipſa attamen a nobis diverſo conceptu explicatur: conſecrare enim eſt ponere Corpus & Sanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini; offerre autem eſt eadem ponere modo quodam deſtructivo in proteſtationem dominii: quod utrumque cum per conſecrationem fiat, conſecratio & oblatio eſt una eademque actio, ſolam rationis diverſitatem involvens. Inde poſt peractam conſecrationem complete jam omnino perfectum eſt Sacrificium, fructusque ei ex opere operato reſpondens ſtatim percipitur ab illis, quibus per intentionem Sacerdotis applicatur Sacrificium; Oratio autem, quæ pro defunctis ſubjungitur, non aliam vim habet quam ex opere operantis, ſolumque adhibetur per modum impetrationis.

176 At urgebis forte I. univerſim in Sacrificiis victima præexiſtere debet actioni ſacrificandi; cum ergo conſecrationi non præexiſtat Miſſæ Sacrificii victima, ſeu Chriſtus ſub ſpeciebus panis & vini, nequit conſecratio eſſe ipſa ſacrificandi actio.

Reſp. N. Ant. nam ad perfectionem Sacrificii ſatis eſt, ſi victima per eamdem ſimul actionem ponatur, ſimul in proteſtationem divini dominii deſtruatur, ut fit in Euchariſtiæ Sacrificio; certe oppoſitum nullo ſufficienti fundamento aſſeritur. Nec licet arguere a veteribus Sacrificiis, aut etiam crucis Sacrificio: in his enim actio ſacrificandi non erat ſimul victimæ productiva, ut igitur ſacrificari poſſet, præexiſtere illam oportebat. Unde etiam clarum fit, non eamdem eſſe rationem conſecrationis ad Sacrificium Altaris, quæ erat incarnationis ad Sacrificium Crucis.

177 Urgeri poteſt II. Etiam communio Sacerdotis eſt actio ſacrificandi proprie talis; ergo prærogativa hæc ſoli conſecrationi non poteſt attribui. Aſſertum probatur ex triplici

capi-

capite. Etenim 1*mo*, Sacrificium Euchariſtiæ eſt perfectum holocauſtum, in hoc autem tota victima conſumi debet, id quod in Sacrificio hoc fit per communionem ſaltem Sacerdotis. 2*do*, per eamdem communionem dicitur conſummari Miſſæ Sacrificium; hinc ea nullo caſu omitti poteſt, nam, ut habet Concil. Toletanum Can. *Relatum*. de Confecr. diſt. 2. *quale erit illud Sacrificium, cui nec ipſe Sacrificans particeps eſſe cognoſcitur?* Demum 3*tio*, præcepto audiendi Sacrificium Miſſæ non ſatisfit, ſi quis conſecrationi duntaxat, non autem etiam Sacerdotis communioni interſit.

Reſp. I. generatim; jam ex dictis N. 170. conſtare, communionem Sacerdotis dici non poſſe vero ſenſu actionem ſacrificandi. Actio nempe hujusmodi in Miſſæ Sacrificio debet eſſe oblatio, eademque fieri in perſona Chriſti per poteſtatem vi ordinationis acceptam, cum juxta Trident. Seſſ. 22. Cap. 2. Chriſtus ipſe ſit principalis Sacerdos, & *offerens* (ſeu Sacrificans) *Sacerdotum miniſterio*; communio autem Sacertis non eſt ejusmodi actio, per quam aliquid offeratur Deo: eadem non fit in perſona Chriſti, nec per poteſtatem vi ordinationis directe acceptam, cum & laicis jure Baptiſmi conveniat. Hinc

Reſp. II. nominatim ad probationis 1*mum* caput: arbitrarie aſſeri ad ipſam holocauſti naturam pertinere conſumptionem totius victimæ. In veteribus quidem holocauſtis igne conſumebatur victima: at non alio fine, quam ne res ſemel Deo oblata in uſus deinde profanos cederet. Igitur holocauſti ratio in eo conſiſtit, ut victima tota offeratur Deo, atque ita in proteſtationem ejus dominii ſaltem moraliter deſtruatur, ut in uſum profanum amplius verti nequeat: hæc vero omnia habentur per conſecrationem ſecluſa etiam communione. Ipſum certe Chriſtum in ſuo cœnæ ultimæ Sacrificio Euchariſtiam non ſumpſiſſe probabilius eſt: quod enim

ſumptionis hujus in Scriptura aut Traditione fundamentum? Quamvis autem (ut quidam cum S. Thoma hic qu. 81. Ar. 1. & ab eo cit. Hieronymo putant) ſumpſerit, non continuo poteſt argui, ſumptionem hanc eſſe de ſubſtantia Sacrificii: conſtat quippe Chriſtum in celebratione Euchariſtiæ complura alia feciſſe, quin propterea ſequatur, omnia illa ad perficiendum Sacrificium eſſe neceſſaria.

Reſp. ad 2*dum*: per communionem Sacerdotis Sacrificium conſummari hoc ſenſu, quod eam vel Chriſtus ipſe, vel ſaltem Eccleſia inviolabiliter fieri præceperit in ordine ad conſequendum Euchariſtiæ fructum ac finem integrum. Eſt videlicet Euchariſtia non modo Sacrificium ſed & Sacramentum; hinc ex inſtitutione Chriſti deſtinata eſt tam ad profitendum Dei dominium, quam refectionem ſpiritualem fidelium: ſicut autem primum fit per conſecrationem, ſic alterum per communionem, quam Sacerdos, ceu Eccleſiæ perſona, in Miſſa nomine populi peragit. Atque hinc patet, quo ſenſu cit. Toletan. Canon ſit intelligendus. Quid quod idem Can. in contextu aperte diſtinguat Sacrificium a communione, cum dicit, *toties eſſe Sacrificio participandum*, *quoties Corporis & Sanguinis Domini N. J. C. immolatio facta conſtiterit;* ubi vides communionem dici tantum participationem immolationis, ſeu Sacrificii.

Reſp. ad 3*tium:* id provenire ex præcepto duntaxat Eccleſiæ, volentis fideles intereſſe non tantum Sacrificio Miſſæ, ſed & præcipuis ejus cæremoniis, quas inter eſt offertorium & communio Sacerdotis.

178 Contra ejuſdem Aſſertionis partem 2*dam* opponitur I. conſecrationem utriusque ſpeciei ad perficiendum Sacrificium eſſe neceſſariam cum Tridentino colligitur ex illis Chriſti verbis, *hoc facite in meam commemorationem;* at verba hæc Chriſtus

ſtus dixit ſolum poſt conſecrationem panis, ut refert Lucas C. 22. ergo ex Chriſti verbis hæc neceſſitas non recte deducitur.

II. Ad conficiendum Euchariſtiæ Sacramentum ſufficit conſecratio unius ſpeciei, ut docemur exemplo Chriſti in Emaus conſecrantis; cur non igitur etiam ad perficiendum Euchariſtiæ Sacrificium? præſertim cum eadem ſit poteſtas conſecrandi & ſacrificandi.

III. Ex Raphaele Volaterrano & Onuphrio Panuino (ut videre eſt apud Vaſquez hic Diſp. 123. C. 1.) referunt quidam, Innocentium IV. & rurſus Innocent. VIII. Norwegis indulſiſſe, ut Euchariſtiæ Sacrificium, ob vini penuriam, ſolius panis conſecratione peragerent. Iſtud vero argumento eſt, conſecrationem utriusque ſpeciei non eſſe jure divino neceſſariam ad perficiendum Miſſæ Sacrificium.

Reſp. ad I. C. Maj. N. Min. tametſi enim Lucas hæc verba referat ſolum poſt conſecrationem panis: non aſſerit attamen poſt hanc ſolam eſſe dicta; Apoſtolus imo 1. Cor. 11. teſtatur eadem dixiſſe Chriſtum etiam poſt Calicem conſecratum.

Reſp. ad II. non eſſe certum apud Theologos hujus probationis aſſertum. In eo quidem conveniunt: Sacerdotem, cui intentio eſt ſaltem virtualis conficiendi totum Sacrificium, ſingulas ſpecies ſeorſim valide conſecrare, ita ut mox a peracta panis conſecratione ſub ejus ſpeciebus adſit Corpus Chriſti; inde ſi poſt conſecratum panem deficeret Sacerdos, nec adeſſet alius, qui complere poſſet Sacrificium per vini etiam conſecrationem, haberetur omnino Sacramentum Euchariſtiæ ſub ſpecie panis ſola valide confectum, at Sacrificium eſſet incompletum duntaxat. Ratio diſcriminis eſt: nam Corpus Chriſti, ſub ſola etiam panis ſpecie contentum, eſt ſignum

ſenſibile ad ſpiritualem hominis nutritionem divinitus inſtitutum, ac etiam ſufficiens ad præſtandum hunc effectum; contra, niſi utraque ſpecies conſecretur, non habetur repræſentatio completa cruenti in cruce Sacrificii, quod factum eſt per Sanguinis effuſionem: ergo nec perfectum ac completum Euchariſtiæ Sacrificium, idque conformiter ad mentem Concilii Tridentini, ut ex jam dictis conſtat.

Quid vero ſentiendum ſit de eo caſu, quo Sacerdos ſolum omnino panem, vino penitus ſecluſo, conſecrare vellet? de hoc variant ſententiæ. Mihi cum Lugone hic Diſp. 19. veriſimilius videtur, ne Sacramentum quidem Euchariſtiæ hoc caſu valide confici: quomodo enim Sacerdos valide conficiat Sacramentum, ſi is agere intendat contra inſtitutionem Chriſti quoad ſubſtantiam? ita autem agere intenderet in præſenti: conſtat quippe ex Tridentino ita Chriſtum inſtituiſſe Euchariſtiam, ut Sacramentum hoc eſſet ſimul Sacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech, ac per illud explicite repræſentaretur cruentum crucis Sacrificium, & mors Chriſti facta per effuſionem Sanguinis. Conſule ſæpe jam laudatum Cap. 1. ex Trident. Seſſ. 22. præſertim illa ſub ejus medium verba, quibus dicitur, Chriſtum *inſtituiſſe novum Paſcha, ſe ipſum - - immolandum in memoriam tranſitus ſui - - quando per ſui Sauguinis effuſionem nos redemit.*

Hæc jam autem opinio ſi obtineat, eliſum eſt Objectionis robur. Nec urget exemplum Chriſti in Emaus conſecrantis: is enim, ut in aliis, ſic & in hoc ſummo jure ſuo uti poterat, fasque illi erat, Sacramentum a ratione Sacrificii ſeparare. Cæterum neque de Chriſto in Emaus conſecrante certum eſt, ſub ſola panis ſpecie eum Euchariſtiam confeciſſe: ſunt quippe complures Theologi graves, qui & hanc conſecrationem in utraque ſpecie factam cenſeant, tametſi unius

tan-

tantum Evangeliſta meminerit; quin aliquibus videtur fractio illa panis penitus non fuiſſe Euchariſtica.

Reſp. ad III. cum laud. Lugone, diſpenſationes illas Pontificum commentitias eſſe; neque enim ab ullo unquam exemplar earum authenticum in lucem productum eſt; defectus etiam vini perperam pro cauſa adducitur, modica enim illa vini portio, quæ ad Sacrificia Miſſæ ſufficit, haud difficulter commercii beneficio in Norwegiam devehi poteſt. Volaterranus præterea conceſſionem hanc referens, indultum eſſe ait, *ut Calix ſine vino conſecretur;* quod ipſum (ut notat Lugo) fabulam prodit.

Conſectarium
de Miſſa Præſanctificatorum, & Miſſa ſicca.

CUm juxta doctrinam hoc §. aſſertam in Miſſæ Sacrificio *res oblata* ſit ipſe Chriſtus, *actio autem ſacrificandi* habeatur per conſecrationem, ultro conſequitur, Miſſam præſanctificatorum & Miſſam ſiccam non eſſe verum Miſſæ Sacrificium. Nempe

I. Miſſa præſanctificatorum dicitur illa, in qua certo 179
ritu ſumitur Euchariſtia jam ante conſecrata. Officii porro hujus ritus his fere apud Græcos abſolvebatur: die Dominica, præter oblationem illius diei, quinque alios panes Sacerdos conſecrabat pro totidem ſequentibus feriis usque ad Sabbatum; tum ſingulis diebus ſub veſperam in Eccleſia conveniebant cum Sacerdote fideles, ac, præmiſſis quibusdam orationibus & lectionibus ſacris, unum e conſecratis panibus ſumebant: unde etiam Officium hoc dictum eſt Miſſa præſanctificatorum, a pane videlicet jam antea conſecrato, ſeu præſanctificato. Nec dubitari poteſt originem Miſſæ hujus anti-

quam esse, cum jam Synodus Laodicena, quæ juxta Baronium Concil. Nicænum I. antecessit, ejus meminerit Can. 49. Fiebat autem in memoriam passionis Christi, præsertim ejus jejunii: hinc etiam usus ejus erat solum Quadragesimæ tempore, ut testatur Balsamon, & colligitur ex Conc. Trullani Can. 52. qui ita habet: *in omnibus S. Quadragesimæ jejunii diebus, præterquam Sabbato & Dominica & S. Annunciationis die fiat sacrum Præsanctificatorum ministerium.* Jam vero ritus hic proprius erat Orientali duntaxat Ecclesiæ; quin hodie etiam ab ea (non tamen universim) observatur, ut scribit Card. Bona. Apud Occidentales contra in usu nunquam fuit, si demas majoris hebdomadæ feriam sextam, qua etiamnum, præmissis quibusdam Missæ cæremoniis, Sacerdos sumit hostiam pridie consecratam: qui ritus tametsi Præsanctificatorum Missæ speciem referat aliquam, ab illa nihilominus in multis diversus est, ut constat.

Hanc jam Præsanctificatorum Missam æquivoce tantum, propter quamdam scilicet ejus cum vera Missa analogiam, nomine hoc compellari, nec esse verum Missæ Sacrificium, controverti non potest: tametsi enim re oblata vero Missæ Sacrificio propria non careat, deficit attamen in actione sacrificandi, cum sine consecratione, quæ ipsa est sacrificandi actio, peragatur. Idem ex eadem ratione sentiendum est de sacro Officio feria sexta maj. hebdomadæ nobis usitato. Nec officit, Sacerdoti ex more dicenti, *Orate fratres*, ministrum populi nomine respondere: *suscipiat Dominus hoc Sacrificium de manibus tuis &c.* oratione enim hac intelligitur Sacrificium late sumptum pro cæremoniis: vel certe id solum illa petitur, ut Sacrificium ante peractum Sacerdoti fidelium nomine illud consumenti prosit, & ad laudem Dei cedat.

180 II. Missa sicca juxta Durantum in Rationali L. 4. hoc ritu peragitur: Sacerdos sacris vestibus indutus omnia, ut in

vera

vera Missa, usque ad Offertorium recitat, tum & Præfationem ac orationem Dominicam cum reliquis precibus & Joannis Evangelio in fine; omittitur autem Canon cum Secretis: hostia & vinum non ponuntur in altari: nulla fit consecratio, nec communio. Officium id genus dictum est Missa *sicca* propterea, quod in eo nec sumatur Christi Corpus, nec Sanguis ejus bibatur. Quo tempore primum ritus hic inductus sit, non satis liquet: ex Gaufrido interim & Rocherio constat Seculo XI. ejus usum fuisse, indultumque in solatium & pro devotione eorum, quibus verum Missæ Sacrificium celebrari non poterat, ut sunt præsertim in mari navigantes, unde & *Missa nautica* alio nomine dicta. Mos hic jam hodie abolitus est: nisi forte excipere velis Galliam, in cujus nominatim Claromontana Diecæsi occasione funeris ritum siccæ Missæ observatum ad An. 1718. narrat Cl. Moleon in Itinere Liturgico.

His vero attentis rursus clarum est, neque hoc Missæ siccæ officium habere veram Sacrificii Eucharistici rationem: cum enim in ea nec fiat consecratio, nec adsit Corpus & Sanguis Christi, destituitur tam re oblata, quam sacrificandi actione, sine quibus neutiquam constare potest verum Missæ Sacrificium. Quin (ut Bona ait) larva est duntaxat & simulatio veræ Missæ, sicca proinde & jejuna procul dubio: quo nomine etiam a multis impugnatam novimus.

Reliqua de Missa Præsanctificatorum reperies apud Allatium in Differt. ad Nihusium, Goarium in Not. ad Euchplog. & Theodorum Balsamon in Notis ad Trullan. Can. 52. De Missa sicca autem ex proposito agunt, præter Vicecomitem, Bonam, & Martene, Durantus in Rationali L. 4. C. 1. item L. 2. de Rit. Eccl. C. 4. ac cumprimis BENEDICTUS XIV. S. P. in Tract. de Missæ Sacrif. Sect. 2. Num. 48.

§. III.

§. III.

Quale sit Eucharistiæ Sacrificium: an videlicet non tantum latreuticum, sed etiam eucharisticum, impetratorium, & propitiatorium?

JAm supra meminimus Sacrificium, spectato ejus fine, posse esse quadruplex: latreuticum videlicet, eucharisticum, impetratorium, & propitiatorium. Nunc quæritur: num hæ omnes Sacrificii species Eucharistiæ Sacrificio conveniant?

ASSERTIO.

Eucharistiæ Sacrificium est simul latreuticum, simul eucharisticum, impetratorium, & propitiatorium.

181 AC primo quidem esse *latreuticum* dubitari nequit, cum Sacrificium quodvis ex genere suo ordinetur ad cultum Dei & protestandum supremum ejus in nos dominium. Idem porro est etiam *eucharisticum*, ut vel ipsum Eucharistiæ nomen indicat: offertur enim etiam Deo in gratiarum actionem; hinc Augustin. L. 1. contra advers. Leg. & Proph. C. 18. *quod est*, inquit, *sacratius laudis Sacrificium, quam in actione gratiarum? - - quod totum fideles in Ecclesiæ Sacrificio faciunt &c.* Est item *impetratorium:* valet quippe plurimum ad impetranda nova beneficia, ac re ipsa in eum finem etiam ab Ecclesia offertur; unde jam Tertullian. L. ad Scapulam C. 2. dixerat, *Sacrificamus pro salute Imperatoris &c.* Denique *propitiatorium est:* ut enim Christus suum Crucis Sacrificium, sic & Ecclesia istud offert ad placandum Deum, & veniam peccatorum impetrandam; id quod satis indicat Apostolus ad Hebr.

Hebr. 5. dicens, omnem Pontificem' ex hominibus aſſumptum pro hominibus conſtitui, *ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis.* Idem docent Origenes Hom. 13. in Levit. Cyrillus Hieroſ. Catech. 5. Ambroſius L. 1. de Offic. C. 48. Hieronymus in C. 1. Ep. ad Tit. & Auguſtin. Qu. 57. in Levit. ubi, *in multis Sacrificiis*, inquit, *quæ pro peccatis offerebantur, unum hoc Sacrificium ſignificatur, in quo vera ſit remiſſio peccatorum.*

Hæc omnia cumprimis evincuntur ex uſu & praxi Eccleſiæ, Sacrificium Miſſæ offerentis tam in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis, quam pro novis impetrandis, ac etiam ad remiſſionem peccatorum, ut conſtat ex ordine Miſſæ. Quibus demum accedit auctoritas Concilii Tridentini, quod poſtquam Seſſ. 22. Cap. 2. docuit *Sacrificium iſtud vere propitiatorium eſſe, cujus oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pænitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit;* dein Can. 3. anathema dicit illis, qui aſſerunt, *Miſſæ Sacrificium eſſe tantum laudis & gratiarum actionis, - - non autem propitiatorium: vel ſoli prodeſſe ſumenti, neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus offerri debere.* Ex ſenſu igitur Concilii Sacrificium Miſſæ ſupponitur eſſe euchariſticum: ſimul autem definitur eſſe impetratorium, & propitiatorium.

Atque hæc generatim dicta ex Tridentino, attentis ejus 182
verbis, ultro indicant, proprios Miſſæ Sacrificii effectus eſſe non modo cultum Dei, & noſtram erga illum gratitudinem: ſed etiam beneficiorum quorumvis impetrationem, ac peccatorum tam gravium quam venialium, imo & pœnæ temporalis pro peccatis jam condonatis debitæ remiſſionem. Hos autem effectus omnes cauſat ex opere operato: cum enim Chriſtus in hoc Sacrificio non tantum ſit victima, ſed etiam offerens principalis; atque ita Euchariſtiæ Sacrificium non tam ſit

opus Sacerdotis quam Christi, pollet utique vi movendi Deum independenter a fide & probitate Sacerdotis, adeoque ex opere operato. Quod ipsum colligitur ex illis Tridentini verbis Sess. 22. Cap. 1. *hæc est oblatio munda, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest.*

183 Nominatim attamen (quo Objectionibus occurras) de impetrationis & propitiationis effectibus, ex communi Theologorum sententia, cum Platellio hic C. 4. §. 6. hæc prætерea observanda veniunt.

Ac primum quidem: quamvis per Missam ad impetrandum aliquid oblatam semper beneficium aliquod infallibiliter obtineatur, id quod ad salvandam Sacrificii impetratorii rationem sufficit: determinate nihilominus id, quod petimus, non semper conceditur. Cujus ratio esse potest multiplex: quia videlicet beneficium ejusmodi ad gloriam Dei & salutem nostram non expedit; vel quod nos illo indignos reddamus per peccata; aut quod diutius rogari velit Deus, nec vi pacti cum Christo initi teneatur determinate id, quod petimus, nobis elargiri intuitu Sacrificii.

Quod autem ad vim propitiatoriam attinet, Sacrificium Missæ non operatur eadem ratione remissionem culpæ & pænæ. Temporalis siquidem pæna (si nullus sit obex ex parte subjecti) virtute Sacrificii immediate & infallibiliter condonatur, & quidem vel tota vel ex parte saltem, pro ratione nimirum dispositionis ejus, cui a Sacerdote Missa applicatur. Contra remissio peccatorum mediate dumtaxat caussatur, mediantibus scilicet actualibus gratiis, quæ intuitu Sacrificii conferuntur peccatori ad agendam pœnitentiam, cujus dein virtute ipsa peccatorum remissio obtinetur. Inde, quia gratiæ istæ non sunt semper efficaces, non semper etiam ad Sacrificium Missæ consequitur remissio.

Ex his vero invicem collatis ultro elucet: in Missæ Sacrificio virtutem ex opere operato non eo per omnia modo

se

ſe habere, quo in Sacramentis; hæc quippe effectus ſibi proprios, eosque determinatos, ſemper ac infallibiliter, & quidem immediate operari conſtat ex L. I. de Sacr. in Gen. Diſſ. III.

Confectarium
de oblatione Miſſæ in honorem Sanctorum, item pro vivis & defunctis.

MOs Eccleſiæ vetus eſt Sacrificium Miſſæ offerendi ad honorem Sanctorum, ac etiam pro vivis & defunctis; utrumque autem iſtud recte fieri deducitur ex eo, quod Sacrificium hoc (ut probavimus) ſit euchariſticum, impetratorium, & propitiatorium. Etenim

I. Cum Miſſa ſit Sacrificium gratiarum actionis & impe- 184
trationis, cur ea fieri non poſſit ad perſolvendas Deo gratias pro beneficiis, quæ Sanctis aliquando collata ſunt? cur item offerri nequeat ad id, quod petimus, per merita & interceſſionem Sanctorum certius impetrandum? Certe oblatione id genus nihil derogatur gloriæ Dei; hocque ſenſu jam in primæva Eccleſia in honorem SS. oblatas Miſſas docent veteres Liturgiæ & Patres, præſertim Cyrillus Hier. Catech. 5. & Auguſtin. L. 20. contra Fauſtum C. 21. item L. 18. de Civ. Dei C. 27. Sed nec nunc in hujusmodi oblationibus alia eſt mens Eccleſiæ, ut declarat Trident. Seſſ. 22. Cap. 3. his verbis: *Quamvis in honorem & memoriam SS. nonnullas Miſſas Eccleſia celebrare conſuevit, non tamen illis Sacrificium offerri docet, ſed Deo ſoli, qui illos coronavit. Unde nec Sacerdos dicere ſolet: offero tibi Sacrificium Petre vel Paule; ſed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipſi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris.* Inde Seſſ. eadem Can. 5. jure damnantur dicentes, impoſturam eſſe, Miſſas celebrare in honorem Sanctorum.

II.

185 II. Similiter, cum pro vivis & defunctis offerre possimus preces & pia opera, quibus gratias agamus pro beneficiis in eos collatis, novasque gratias illis impetremu , ac præsertim remissionem culparum & pœnæ: utique potiori jure pro iis offerri potest Missæ Sacrificium, ceu opus peculiarem habens virtutem eucharisticam, impetratoriam, & propitiatoriam. Neque ritus hic novitius est: in omnibus enim veterum Liturgiis vivorum & defunctorum fieri memoriam legimus. Imo (quod notant Theologi) nequit Sacerdos sine piaculo ab oblatione excludere ullum e fidelibus, si non sit excommunicatus: omnes enim fideles (si excommunicatos demas) jus habent ad bona Ecclesiæ communia, e quibus præcipuum est Missæ Sacrificium. Quo jure ex adverso quia privantur excommunicati non tolerati; nequit pro iis fieri oblatio Sacrificii publica, ita ut in publicis Missæ orationibus nominentur; nihil vetat interim pro iis etiam offerre privata intentione, cum id nuspiam vetitum legatur, & aperte doceat S. Thom. in 4. Dist. 18. Qu. 2. Art. 1. Pro omnibus demum in gratia defunctis utiliter offertur Sacrificium: non item pro iis, qui sine gratia decesserunt; utriusque ratio ex dictis colligitur.

186 III. Atque hic tam multiplex Sacrificii fructus præcipua indubie fuit occasio, ut subinde fideles offerrent honorarium aliquod (*stipendium* vulgo dicimus) pro Missa: quo videlicet ejus, sibi nominatim applicatæ, peculiari quodam jure fierent participes. Nec dubitari potest sine ulla simoniæ labe acceptari posse a Sacerdotibus id genus honoraria, ut docet vel usus & praxis Ecclesiæ; cavendum nihilominus, ne in hoc recedatur ab Urbani VIII. & Alexandri VII. Decretis, ac cumprimis notandæ propositiones damnatæ, quas pro fronte hujus L. recitavimus. At de hoc argumento uberius consulendi sunt Theologi Morales.

Co-

Corollarium
de Missa judicii, seu purgatoria.

VEterum quidam, præter nunc memoratos fines, eo etiam referebant Missæ Sacrificium, ut virtute illius judicium fieret de accusato vel suspecto de crimine, num videlicet reus esset, an innocens; atque hinc dicta est *Missa judicii*, item & *purgatoria*: quæ quo ritu peracta sit? quidque de ea sentiendum? paucis insinuabimus.

I. Ritus Missæ purgatoriæ fuit duplex. Primus quidem hoc absolvebatur uno, quod Sacerdos sub ordinaria Missa Eucharistiam offerret sumendam judicando, monens sumptionem hanc fore illi in damnationem, si reus esset. Quod si jam is Christi Corpus ultro suscepit, liber a crimine pronuntiabatur: reus contra, si sumere detrectavit. Fuisse autem hujusmodi judicii usum jam Seculo IX. dubitari non potest, cum (teste Graveson Hist. Eccl. Tom. 3.) in Concilio Wormatiensi An. 868. inter alios 45. Canones, etiam hic legatur: ut ad inquirendum furti auctorem in Monasteriis, Missa ab Abbate celebretur, & singuli Monachi pro purgatione sua Corpus & Sanguinem Christi percipiant, ut hoc pacto se innocentes probent. Ejusdem judicii exemplum de se dedit Gregorius VII. Pontifex ab Henrico III. Imp. criminum quorundam falso postulatus, ut meminit Baronius, & alii Annal. Eccl. Scriptores. 187

II. Alter Missæ purgatoriæ ritus peculiaria quædam præterea habuit. Ante omnia nempe Sacerdos benedixit ignem & ferrum, hocque simul in illum conjecit; tum dicta est Missa cum Introitu: *Justus es Domine & rectum &c.* ejusdem orationes & lectiones a consuetis erant diversæ, ac ad judicium pertinentes; fiebat dein, ut supra, judicandi communio; hanc si non recusavit, peracta Missa & recitatis quibus- 188

dam precibus contrectandum ei erat ferrum candens benedictum; id quod si absque ullo adustionis vel tumoris vestigio præstitit, innocens nominatus est: sin autem, pro reo habebatur. Atque hic etiam probandi ritus in compluribus Christianorum Provinciis circa Seculum XI. in usu fuit, nominatim in Anglia, teste Boxhornio in Hist. universali; in Gallia ex Baluzzio Tom. 2. Capitular. Reg. Franc. C. 2. item in Hungaria, ut colligitur ex fragmento quodam Decreti Colomanni Reg. sub An. 1100. regnantis, & certum fit ex Libro a Georgio Monacho, deinde Episcopo Varadin. An. 1550. Claudiopoli edito, in quo probationis hujus judiciariæ in Ecclesia Varadinensi factæ exempla referuntur ab An. 1214. ad 1235. ac etiam ritus nunc memoratus describitur.

189 III. Quid jam vero de Missis id genus purgatoriis sentiendum? Communis opinio est, originem sumpsisse illas a fidelium partim ruditate, partim nimia in Deum fiducia; inde factum non raro, ut Deus, bonæ eorum menti se accomodans, hoc judicii ritu veritatem aperte detegeret, ac manifesto etiam prodigio plurium innocentiam comprobaret. Nunquam interim hujusmodi purgationes universim probabantur; tametsi etiam posterioribus Seculis non defuerint Viri docti, qui primum saltem Missæ judiciariæ ritum existimaverint non esse penitus improbandum: quos inter cumprimis numerandus est Vasquezius in 3. part. D. Th. Disp. 210. Cap. 1. 2. & 3. ubi in hanc rem ex Gratiano laudat Can. *Si Episcopo*, & Can. *sæpe*, Causa 2. Quæst. 5. ac etiam a juramento purgatorio arguit.

Nunc attamen utrumque hoc Missæ purgatoriæ genus ab omnibus rejicitur; nam (verba sunt BENEDICTI XIV.) *cum cæteris omnibus vulgaribus purgationibus ea etiam, de qua loquimur, a sacris Canonibus est sublata; non enim hoc Sacramentum Christus instituit, ut sontium reatus reperiretur: neque id fieri potest, quin ipse tentetur Deus; præterquam quod occa-*

sio

sto offertur Sacramentum indigne suscipiendi iis, qui ne sontes deprehendantur, sacram Eucharistiam sumere non perhorrescunt. Ita Land. S. P. in Tract. de Missae Sacrif. Sect 2. Num. 172. ubi ex proposito differit de Missa Judicii. Hæc eadem autem etiam intelligenda sunt de Missa Judicii per aquam ferventem vel frigidam.

DISSERTATIO V.

DE CÆREMONIIS AD EUCHARISTIÆ SACRAMENTUM ET SACRIFICIUM PERTINENTIBUS.

SS. Eucharistia uti tam Sacramenti quam Sacrificii rationem habet: sic & Cæremoniæ ad eam pertinentes aliæ Sacramento, aliæ Sacrificio sunt propriæ. Ac eæ quidem, quæ ad illam, prout Sacramentum est, speciatim referuntur, fere sunt: in loco decenti Eucharistiæ asservatio, ejusdem adoratio, circumlatio in publicis supplicationibus, tum communio, de quibus quia jam sparsim per decursum hujus L. egimus, non est, cur eadem repetantur: de communionis attamen ritu quædam præterea §. IV. notabimus. De Cæremoniis etiam, nominatim ad Eucharistiæ Sacrificium pertinentibus, multa jam ex occasione insinuata sunt: isthic proinde de reliquis dumtaxat, facto earumdem peculiari delectu, disseremus. Quoniam autem omnes cæremoniæ in Missa usitatæ Eucharistiæ Sacramento non minus quam Sacrificio sunt communes, cum in hoc conficiatur illud: ad propositum nostrum satisfuerit eos isthic explanare ritus, qui ex disciplina Ecclesiæ ad Missam referuntur. Sit itaque

§. I.

§. I.

De varietate Missæ.

QUamvis Missæ omnes in substantia, hoc est, in re oblata & sacrificandi actione conveniant, differentia nihilominus inter illas est multiplex, si accidentalia spectentur; ut sunt: idioma, quo Missa dicitur; finis ejusdem, cum videlicet nunc pro vivis, alias pro mortuis offertur; ritus item & precationum vel actionum diversitas, ut est inter Latinorum & Græcorum Missas: apud ipsos imo Latinos etiam pro ratione temporis. Quæ quidem omnia partim ex jam dictis constant; partim colligi possunt vel inspectis Missæ Rubricis, Libris item Missalibus Latinorum, & Græcorum Liturgiis. Quod igitur reliquum est, de ea dumtaxat Missæ varietate agendum habemus, quæ a circumstantibus fidelibus repetitur, hoc est: de Missa solemni, privata, & solitaria.

Missa solemnis.

190 I. SOlemnem Missam hodie dicimus eam, quæ assistente Clero, aut cum cantu saltem peragitur; spectata interim veteris Ecclesiæ disciplina nomen hoc Missæ inditum est a solo populi circumstantis, offerentis, & communicantis conventu. Inde, si proprie & ex usu veteris Ecclesiæ loqui velis, Missa quævis, cui fideles intersunt ac etiam Eucharistiæ fiunt participes, *solemnis* dicenda est: propter quam ipsam populi fidelis collectionem dicta est *Collecta*, item Missa *publica*, *generalis*, quin etiam *legitima*: eo quod primis Ecclesiæ legibus hoc potissimum Missæ genus sit comprobatum. Nec dubitari potest ejus cumprimis in primæva Ecclesia fuisse usum; id certe evincunt vel orationes & Canon ipse, cum eorum verba magnam partem plurali numero, tan-

quam

quam plurium nomine, efferantur. Ita nominatim Sacerdos dicit: *Dominus vobiscum*, *Oremus*, *Memento - - omnium circumstantium &c.* post communionem, *quod ore sumpsimus &c.* in fine, *ite Missa est*, & plura his non absimilia, ut videre est in LL. Missalibus; qui mos hodie etiam retinetur, quamvis non intersit populus, sæpeque uno duntaxat præsente Ministro Sacrificium peragatur.

II. Neque tamen est, quod hinc Novatores modernam 191
Ecclesiam abusus insimulent: quasi vero verba illa falso enuncientur plurali numero, cum Missa fit præsente solo Ministro. Etenim uti primitus omnes circumstantes fideles Sacrificio assistebant, ac communiter omnes ad verba Sacerdotis respondebant: ita hodie vel unicus Minister totius populi personam sustinet, omniumque Ecclesiæ fidelium nomine Sacerdoti assistit & respondet; ut adeo in Ministro vel uno repræsentetur Ecclesia, quæ sicut est una in multis fidelibus: ita per fidem, quæ eadem est in omnibus, tota est in singulis. Clariora hæc fient ex mox dicendis.

Missa Privata.

I. Missa Privata, prout solemni opponitur, ac ab hæreticis 192
ut plurimum impugnatur, est illa, quæ fit sine conventu & communione populi, uno duntaxat Ministro, aut paucis aliis præsentibus, solo Sacerdote communicante. Ac istud quidem Missæ genus nobis usitatum esse, satis constat; quibus autem Novatores argumentis illud impetant, videre est apud Bellarm. L. 6. Euch. C. 9. & 10. ubi eis copiose simul respondet. Nobis, quo calumniantium ora obturemus, satis fuerit paucis ostendisse, in primæva etiam Ecclesia quandoque fuisse usum privatæ Missæ, ex quo recte intuleris non esse novitium, ut volunt sectarii. Et quidem

193 II. Olim etiam sine conventu populi celebratam Missam, complura docent exempla. Ita Apostoli ipsi, quin convocarent fidelium multitudinem, *circa domos frangebant panem*, hoc est, sacrificabant; idem præstitit Christus in cæna ultima coram paucis Discipulis. An non autem hoc ipsum a Sacerdotibus factum, cum persecutionis tempore (ut constat ex Hist. Eccl.) in carcere, cryptis, & cavernis sacrum Missæ officium peragerent? sane loca hæc neque apta erant capiendæ multitudini, nec tutum erat eo fideles convenire. Sed & extra persecutionum tempus in privatis domibus & exiguis cellis, sine collectione proinde populi, Missam celebrasse Gregorium Naz. refert Sozomenus L. 7. Hist. Ambrosium Paulinus in Vita ejusd. Presbyterum quendam e suis Augustinus L. 22. de Civ. Dei; idem est de pluribus aliis, ut videre est apud Scriptores Ecclesiasticos. Quin eorundem testimonio, uno etiam tantum præsente sacrificatum est nonnunquam; ut enim omittam alia, Joannes Damasc. in Hist. de Barlaam & Josaphat scribit, Barlaam Presbyterum in sua cella, solo Josaphat præsente, Missæ Sacrificium peragere consuevisse. Huc pertinet etiam Concilii Nannetensis Can. 30, qui citatur ab Ivone in Decr. Par. 3. Cap. 70. ubi *jubentur Presbyteri non celebrare soli Missam, nisi habeant unum saltem secum, qui respondeat.*

194 III. Perinde etiam certum est, Missas, tametsi potissimum cum populi communione fierent, sine illa attamen non raro peractas, solo Sacerdote communicante. Colligitur id ex paulo ante laud. Concil. Nannetensi; tum ex Toletano XII. quod cum Can. 5. dicat, *quale erit Sacrificium, cui nec ipse sacrificans participasse dignoscitur?* aperte indicat, peracta quandoque Sacrificia sine ullius omnino communione: & tamen non amplius requirit, quam ut ipse Sacerdos communicet. Certius idem discimus ex Chrysostomo Hom. 3. in Ep. ad Ephes. conquerente, *frustra*, ait, *habetur quotidiana oblatio*,

tio: cum nemo ſit, qui ſimul participet; & Hom. 17. in Ep. ad Hebr. ſcribente, plurimos ſemel tantum in anno ad Sacramenti communionem accedere. Ambroſius etiam L. 5. de Sacram. C. 4. notat, Græcos non niſi evoluto anno Menſæ Euchariſticæ reddi participes; & Serm. 34. populum ſuum hortatur, ut ſingulis diebus interſit Miſſæ: in Quadrageſima autem, die ſaltem Dominico, offerat & communicet. En! Seculo IV. non amplius fuiſſe uſum quotidianæ populi communionis, quin tamen propterea deſineret mos ſacrificandi quotidie. At de his plura laud. Bellarminus, & Card. Bona L. 1. Rer. Liturg. C. 13. & 14.

Miſſa Solitaria.

I. HOc nomine venit Miſſa, quæ a Sacerdote peragitur ſine Miniſtro, nullo etiam præſente alio, ipſoque Sacerdote ſibi reſpondente. Fuiſſe in uſu hunc etiam Miſſæ ritum, apud Monachos ſaltem in ſolitudine degentes, dubitari nequit. Pro omnibus in hanc rem teſtimonium ſit Stephani Eduenſis Sec. X. Scriptoris, qui L. de Sacram. Alt. C. 13. hæc habet: *Sciendum eſt, quod ſi unus tantum ſit præſens, vel nulli ſint præſentes, ut in Miſſis Solitariis, non ideo mutantur, quæ pluraliter ſolent fieri orationes. Primo enim Miſſæ non ſolebant celebrari ſine collecta fidelium multitudine; poſtea mos inolevit Solitarios, ſeu Monachos, celebrare ſolitarias, quod eis conceſſum eſt ex indulgentia* &c. Quin easdem jam ante, videlicet VIII. ſaltem & IX. Seculo, ritu hoc ſolitario peractas, colligitur ex C. 43. Concilii Moguntini ſub Leone III. & L. 1. C. 48. Synodi Pariſienſis ſub Gregorio IV. ubi Miſſæ ſolitariæ impugnantur & prohibentur: quod ipſum jam ante præſtitit Concil. Nannetenſe ſupra laudatum. 195

II. Omnia porro hæc Concilia prohibitionis ſuæ cauſam eo potiſſimum referunt: quod, ſi nullus omnino adſit, ne- 196

queat Sacerdos cum veritate dicere : *Dominus vobiscum*, *Orate fratres*, *Gratias agamus Domino &c. Memento - - - omnium circumstantium &c.* At enim ratio hæc non probatur omnibus. Certe Petrus Damiani Sec. XI. Scriptor in Op. ad Leonem inclusum, a quo consultus erat: num liceret Eremitis, cum soli sacrificant, verba Missæ plurali numero efferre? cui Operi propterea Petrus titulum præfixit *Dominus vobiscum*: in hoc inquam Op. multis contendit, nihil in eo absurdi esse; cum verbis hujusmodi salutetur Ecclesia, cujus personam ipse Sacerdos gerit, quæque proinde in ipso moraliter est præsens per fidem & charitatem. Idem cum Petro sentit. Car. Bona sæpe jam cit. L. 1. C. 13. Num. 6. *quod si enim*, inquit, *Sacerdos, cum solus recitat nocturnas & diurnas preces, omnia pluraliter profert, quæ plurali numero in divinis officiis digesta sunt, dicit enim*: Venite adoremus, Oremus, Benedicamus Domino &c. *cum nemo illic sit, qui secum adoret, oret, benedicat; cur id non liceat Sacrificium offerenti, cum id agat in persona Ecclesiæ, cujus Corpus unum est unius fidei soliditate subsistens &c.* Ac omnino ipse etiam huic sententiæ accedo.

197 III. Addendum nihilominus cum eod. Bona: solitariæ Missæ usum, sine peculiari Sedis Apost. dispensatione, hodie jam non amplius esse ulli licitum, more contrario, qui olim vigebat, dudum antiquato & legibus Ecclesiasticis abrogato, ac nominatim Sec. XII. per Decretalem Alexandri III. in Cap. *Proposuit*. de Filiis Presbyter. Notanda attamen est isthic BENEDICTI XIV. opinio, quam Tract. de Missæ Sacr. Sect. 2. N. 52. his profert verbis: *etsi generalis ea regula est, non posse Missam sine Ministro celebrari juxta Decret. Alexandri III. - - tamen potest Sacerdos etiam sine Ministro Missam celebrare, sibique ipse respondere, si Viaticum opus sit infirmo ministrare, ut docet Sylvius 3. p. qu. 83. Ar. 5. qui etiam censet Sacerdotem, cui die Festo non sit copia Missæ audiendæ, meliore*

con-

consilio Missam prætermittere, quam sine Ministro celebrare; quanquam negat illum peccare, si sine Ministro celebret. Ita ille secutus Sylvium, cujus dein verba recitat.

§. II.

De Loco & Tempore Missæ.

LOcus, in quo ex usu & Legibus Ecclesiæ Sacrificium Missæ offertur, est Templum & Altare; tempus vero ejusdem, dies certi ad sacrificandum destinati, qui propterea Liturgici dicuntur. Seorsim de his singulis præcipua notabimus.

Templum.

I. TEmpli nomine intelligitur ædes cultui divino destinata, 198
& peculiari benedictione sacrata. Id genus vero domos jam in primæva Ecclesia fuisse, patebit ex mox dicendis; eas interim primi fideles (ne quid commune haberent cum Ethnicis, quibus Templi nomine veniebant idolorum fana) non vocabant *Templa*; verum ut plurimum *Ecclesias*, a fidelium videlicet congregatione, quæ in illis fiebat. Fuisse porro jam inde a nascentis Christianitatis principio in usu hujusmodi sacras ædes ex ipso Apostolo discimus, cum 1. Cor. 11. v. 18. ait: *convenientibus vobis in Ecclesiam audio scissuras esse;* & v. 22. *numquid domos non habetis ad manducandum, - - aut Ecclesiam Dei contemnitis?* ubi cum domibus habitationi communi destinatis opponat *Dei Ecclesiam*, indubium est, hoc nomine eum intelligere ædem divinis officiis consecratam. Hocque omnino sensu locutum Apostolum docet Basilius in Reg. brevior. Interrog. 310. & Augustinus Qu. 57. in Levit. ubi simul testimonium perhibent de Christiano-

rum sacris ædibus: quod ipsum habetur ex Irenæo L. 4. contra Hæres. C. 20. Tertulliano de Idololat. C. 7. Origene, Clemente Alex. & aliis.

Quamvis autem ædes hæ sacræ primitus angustæ & humiles fuerint; seu quod ampliores erigere tutum non fuerit sævientibus in Christianos gentilibus: seu quod exiguo fidelium cætui capiendo sufficerent: seu demum quod tenues eorum facultates majoribus impendiis non essent pares; subinde attamen persecutionibus sedatis, ac etiam crescente Christi gregis numero, præsertim a Sec. IV. amplæ etiam & magnificæ excitari cæperunt. Eædem progressu temporis varia nomina sortitæ sunt; præterquam quod enim communiter dicerentur *Ecclesiæ*, *Templa*, *Domus Dei*, *Domus orationis*, *Dominica*, *Oratoria*: vocabantur etiam *Tituli*, propter appositum Crucis vel Christi sacrum signum, quo ceu titulo quodam indicabatur, ædes illas ad cultum divinum pertinere; quæ super Martyrum sepulchra construebantur, aut eorum honori consecrabantur, dictæ sunt *Martyria*, uti aliæ ex causa simili *Apostolia*, vel *Prophetea*; augustiores demum *Basilicæ*, seu Regiæ.

199 II. Universim porro veterum Templa, præsertim capaciora, tribus constabant partibus: atrio videlicet, aula, & sanctuario.

Atrium, seu Vestibulum Templi, fuit spacium quadratum, porticu & cellis instructum, ac *Flentibus* (erant Pænitentes primi ordinis) item & egenis stipem corrogantibus destinatum; pro hujus foribus erant fontes salientes, vel putei cum conchis & cantharis, quo fideles Eucharistiam sumpturi os manusque abluere possent. His subinde suffecta sunt vasa, aquam benedictam fronti aspergendæ ministrantia.

Aula, seu ipsum Templi Corpus, dividebatur in Narthecem, Naon, & Ambonem. Narthex fuit locus januis proximus, & a Nao cancellis distinctus: atque in hoc consisten-

ſtendum erat Catechumenis, energumenis, & pænitentibus ſecundi ordinis, qui *Audientes* dicti ſunt. Naon, ſeu Navis Templi, pariete interpoſito, ad ſejungendos viros a mulieribus, ſecabatur bifariam; in hujus parte infima erant Pænitentes tertii ordinis, ſeu *Proſtrati:* tum Pænitentes quarti ordinis, ſeu *Conſiſtentes:* demum Fideles reliqui. Ambon, ſeu Chorus, fuit locus paulo editior; hic Clerus inferior pſallebat, Evangelium a Diacono legebatur, ac recitabantur *Dipticha*, ſeu nomina fidelium, quorum peculiaris memoria fiebat in Miſſa.

Sanctuarium demum (dicebatur etiam *Sacrarium*, *Secretarium*, *Presbyterium*, *Tribunal*, *Sancta Sanctorum*) pars Templi fuit præcipua: in hac, præter Presbyterorum ſubſellia & eminentiorem ſedem Epiſcopi, loco medio conſiſtebat Altare princeps, in quo Sacerdos facie ad populum converſa Miſſarum ſolemnia peragebat. Altari fornicis inſtar imminebat ſacrum reconditorium, ſeu Tabernaculum ex lapide vel metallo formatum, & columnis quatuor ſuffultum: quod ipſum vocabatur etiam *Ciborium*, a *Cibo Euchariſtico* illic aſſervato. Ad latus collocabatur præterea aliud minus Altare (Græci Πρόθεσιν dixerunt) pro fidelium oblationibus, pane ſcilicet & vino in uſum Sacrificii, deſtinatum.

III. Quod jam vero ad propoſitum noſtrum facit cumprimis: tametſi ædes hæ ſacræ ad omnia divina officia deſervierint, præcipue attamen deſtinatæ erant ad celebrandum Euchariſtiæ Myſterium, idque adeo, ut extra illas celebrari non poſſet. Teſtis hujus eſt Baſilius in Regul. brevior. Inter. 310. dicens: *quemadmodum ratio non permittit, ut vas ullum commune in Sancta introferatur; eodem modo etiam vetat Sancta in domo communi celebrari.* Lex interim hæc non ſtringebat ita univerſim, ut gravi ex cauſa etiam extra Eccleſiam, præſertim perſecutionum tempore, quovis loco Miſſas facere non liceret. Clarum in hanc rem teſtimonium eſt Dionyſii Alexan- 200

xan-

xandrini, ex quo Eusebius L. 7. Hist. C. 22. hæc verba recitat: *Cum ab omnibus fugaremur, - - tunc quoque dies festos egimus. Quivis locus, - - ager inquam, solitudo, navis, stabulum, carcer, instar Templi ad sacros conventus peragendos fuit.* Eadem constant ex Actis Martyrum Processi & Martiniani, Clementis Ancyrani, Luciani &c. ut videre est sparsim in Hist. Eccl. apud Nicephorum, Baronium &c. & in Vitis SS. apud Hagiographos Antverpienses.

De moderna Ecclesiæ disciplina si quæras: regulariter non licere Missæ Sacrificium offerri, nisi in Ecclesia ab Episcopo consecrata, vel saltem auctoritate ejus a Sacerdote benedicta, constat ex C. *Nullus.* de Consecrat. ubi istud præcipitur sub pœna depositionis; tum etiam ex Tridentino, quod Sess. 22. in Decr. de observ. & evitand. in Missa, præcipit Episcopis, *ne patiantur privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda & visitanda, Sanctum hoc Sacrificium a Secularibus aut Regularibus quibuscumque peragi.* Dictum autem est *regulariter:* nam in certis casibus, cum privilegio Sedis Apostolicæ aut Episcopi dispensatione, etiam in loco profano & sub dio Sacrificium peragi potest, ut habetur C. *concedimus.* de Consecrat.

Altare.

201 I. Legitimus Missæ celebrandæ locus, præter Templum, est Altare. Ita dictum quidam volunt ab altitudine, quasi *altam aram:* aram autem ab ariditate vel ardore, quod in ea olim ignis ad cremandas victimas arserit. Ut ut sit istud: dubitari nequit, jam primis Ecclesiæ temporibus Sacrificia Missæ super altaria fuisse peracta. Colligitur id ex Apost. ad Hebr. 13. *habemus*, inquit, *altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt;* at certius est ex Basilio in Ps. 114. Gregorio Nyss. L. de Bapt. & passim aliis. Du

Duplex autem Altarium genus jam inde a principio Ecclesiæ in usu fuit: fixa videlicet, & mobilia.

Fixa sunt, quæ immobiliter affiguntur alicui Ecclesiæ loco; hæc eadem apud veteres etiam instar mensæ efformabantur, seu quod figura hæc cæteris esset oportunior ad sacrificandum, seu quod in altari fiat convivium eucharisticum; inde apud Scriptores Ecclesiasticos sæpe vocantur *Mensæ sacræ*, *Dominicæ &c.* Materiam quod attinet, primis seculis promiscue formabantur ex ligno vel lapide: Sec. V. leguntur fuisse etiam argentea: demum circa Sec. VI. partim usu, partim legibus inductum est, ut lapidea tantum adhiberentur. Cujuslibet interim materiæ fuerint, in figuram mensæ efformata imponebantur primum uni vel pluribus columnis: dein vero progressu temporis tumulo quadrato, ita ut formam tumuli referrent, cum videlicet passim super Martyrum sepulchra erigerentur; unde mos invaluit, ut hodie etiam nullum altare sine Martyrum reliquiis consecretur.

Aræ portatiles dicuntur, quæ loco moveri, ac alio facile deferri possunt; harum vero non minus nunc, quam in primæva Ecclesia usus fuit, imo etiam frequentior, cum Tyrannis sævientibus Sacrificii locum mutare sæpe necesse habuerint Sacerdotes. Efformantur autem hæc ipsa altaria in figuram tabulæ quadratæ, cui insertus sit lapis tantæ amplitudinis, ut in eo Calix & Hostia commode collocari possint. Sunt vero universim in supplementum altaris fixi; hinc usus eorum a veteri est pro iis casibus, quibus extra consecratam Ecclesiam Missa perficitur, e. g. in Oratoriis privatis, Templis non consecratis, sub dio &c. Græci id peculiare habent, quod in defectu altaris fixi non utantur Portatili nostro, sed pannis quibusdam altarium ritu consecratis, quos *Antimensia* vocant, eo quod loco Mensæ, seu Altaris adhibeantur.

II. Universim jam horum Altarium, seu fixa illa, seu 202
mobilia sint, ea est prærogativa: quod regulariter a solo

Episcopo consecrari possint, nec sine illis Missam facere liceat, idque non modo ex hodierna, verum etiam veteri Ecclesiæ disciplina. Utrumque (ne in re certa congeramus plura testimonia) patet ex Felicis IV. sub initium Seculi V. Pontificis Decretali de Eccles. & Altar. consecr. ubi non tantum confirmat, Ecclesias & Altaria consecrari debere: sed etiam testatur, antiquis Canonibus esse prohibitum, ne sacra Missarum solemnia extra Ecclesiam & sine Altari (magna necessitate excepta) ullus celebrare præsumat.

Non desunt interim (fateor) extraordinaria exempla peracti Sacrificii sine ullo Altari. Ita apud Hagiogr. Antverp. ad 15. Febr. legitur, Appollonium Brixien. Episcop. in velo cælitus demisso Missam fecisse, cum esset in carcere. Et Theodoretus, a Mari in carcere detento rogatus, cum altare deesset, in manibus Diaconorum consecravit Eucharistiam, ut ipse narrat Hist. Religiosæ C. 20. Metaphrastes etiam in vita Luciani Mart. refert, S. hunc Martyrem a discipulis in carcere rogatum, ut incruentam Deo litaret hostiam, pro Altari usum fuisse suo pectore, ac in eo consecrasse: *Mensa erit* (verba sunt Luciani Mart.) *hoc pectus meum, non futura Deo minus honesta ea, quæ fit ex inanimi materia; Templum vero sanctum vos mihi eritis, me ex omni parte circumdantes &c.* Complura his similia legere est apud Thomassinum in Discipl. Eccl. Alexandrum Nat. Baronium, & alios. Sed nempe hæc, ut pote extraordinaria, neque nisi peculiari instinctu divino facta, aut etiam ex pia simplicitate profecta, in exemplum trahi non debent.

Dies Liturgici.

203 I. SEcundum hodiernam Ecclesiæ disciplinam, ut plurimum saltem receptam, diebus omnibus (si demas Feriam VI. majoris hebdomadæ) Missæ Sacrificium peragi potest: idemque

que

que regulariter unicum duntaxat a singulis Sacerdotibus, excepta Nativitatis Domini die, qua ter litare cuique licitum est. Inde spectato hoc more, dies *Aliturgicus* nobis unicus est, nempe Feria VI, maj. hebd. reliqui omnes sunt *Liturgici:* demum sola Natalis Domini festivitas dies *Polyliturgicus*.

II. Quod si jam veterum de hoc disciplinam consulas, 204
variam fuisse reperies. Vel Augustini ætate (ut ipse scribit Ep. 118.) quibusdam locis die quovis sacrificatum est; quibusdam contra tantum Sabbatho & Dominico: in aliis Dominico duntaxat. In Monasteriis ut plurimum soli Dominici & Festi dies erant Liturgici; certe Petrus Blesensis Ep. 86. testatur Carthusianos (quos primum Sec. XI. ortos novimus) solis Dominicis Missam celebrasse. De Græcis jam alias dictum, Quadragesimæ tempore eos Sabbatho tantum, & Dominico, ac Annunciat. Festo sacrificare solitos a multis Seculis. In ipsa Latina Ecclesia feria V. universim, Romæ Sabbathum, Alexandriæ etiam feria IV. & VI. olim erant dies aliturgici; Mediolani omnes ferias sextas in Quadragesima caruisse Sacrificio notat Card. Bona.

Contra dies polyliturgicos complures censuit vetus Ecclesia. Vel in Romana, primo die Januarii ab eodem Sacerdote duæ Missæ dictæ sunt, una de Octava Nativ. Domini, altera de B. Virgine; die Cænæ Domini Episcopus tres faciebat Missas, primam pro reconciliatione pœnitentium, alteram pro conficiendo chrysmate, tertiam sero vespere de Festo: quod ipsum (teste Augustino Ep. 118.) in Africa est observatum; item in Vigilia Ascensionis Domini duæ fiebant Missæ, de Rogationibus videlicet, & de Vigilia; demum Festo Nativ. Dom. mos idem erat, qui hodie viget. Quid quod constet, Sacerdotes quosdam quotidie omnino bis aut ter etiam sacrificasse, ut de S. Udalrico Ep. refert Berno Angiensis, de SS. Norberto & Alberto Surius &c. imo Leonem

III. ſeptem quandoque, ac etiam novem Miſſas celebraſſe ex Walfrido Strabone narrat Baronius ad An. 816. Plura de his legere eſt apud Card. Bona Rer. Lit. L. 1. C. 17. quo toto argumentum hoc pertractat: ubi etiam variæ hujus circa dies Liturgicos diſciplinæ originem & cauſas reperies.

§. III.

De Apparatu ad Miſſam requiſito.

APparatus ad Miſſam pertinens alius eſt Altaris, Sacerdotis alius; de utroque dicendum erit compendio.

Apparatus Altaris.

QUæ præ aliis ad Altare pro Miſſæ Sacrificio inſtruendum ex diſciplina utriusque Eccleſiæ adhiberi debent, ſunt: calix, patena, corporale; item Chriſti in Cruce pendentis effigies, & luminaria. Jam vero

205 I. Horum tria priora excipiendæ ipſi Euchariſtiæ proxime deſerviunt, ut quisque novit. Nec dubitari poteſt, uſum calicis in Sacrificio originem habere ab ipſo Chriſto, cum inſtituens Euchariſtiam (quod referunt Evangg.) acceperit Calicem, & dixerit, *hic eſt Calix* &c. Quamvis autem primis Seculis ut plurimum aurei vel argentei calices adhiberentur, ut apud Baronium ad An. 303. videre eſt; aliquando tamen in lapideis etiam, vitreis, corneis, imo & ligneis conſecratio Sanguinis peracta eſt. Lapideorum meminit Synodus Duziacen. C. 5. & Surius ad diem 16. Apr. in vita S. Theodori Archimandritæ; vitreorum, præter Irenæum & Hieronym. Gregorius M. L. 1. Dial. C. 7. de corneis teſtimonium eſt ex Synodo Calcutenſi in Anglia ſub Adriano I. Cap.
10.

10. ubi usum eorum prohibet; demum de ligneis fidem facit vel S. Bonifacii Ep. in Synodo Triburiensi sub Formoso P. habiti celebre illud dictum: *quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc e contra lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus.* Sed nec moles & figura in omnibus fuit eadem; quidam enim leguntur fuisse ansati, & capacitatis prorsus magnæ, ut erant calices a Leone III. Ecclesiæ S. Petri donati, quos duabus ansis fuisse instructos, ac 36. 50. unum etiam 70. libr. ponderasse ex Anastasio Biblioth. & aliis refert Baronius in laud. Leone.

Hæc eadem tam de materia quam mole Patenæ notant Rituum Scriptores. Certe Anastasius Bibl. inter donaria Pontificum memorat patenas 25. ac etiam 30. libr. appendentes; harumque aureas quasdam, alias argenteas, & aliquas quidem ansis instructas. Quæ quidem Calicum & Patenarum moles ac figura eo indubie pertinebat, ut quotidianæ fidelium in Missa præsentium communioni essent oportuniora; inde, deficiente sensim communicantium numero, vasorum quoque sacrorum moles cœpit diminui, ansarumque in iis usus aboleri.

Corporale, a Corpore Christi, quod in illo collocatur, dictum, primitus erat amplum adeo, ut eo totum altare tegeretur. Colligitur id ex Ord. Rom. ubi præscribitur: *Diaconus accipiens Corporale ab Acolytho, alio se adjuvante Diacono, super altare distendat; quod tantæ quantitatis esse debet, ut totam Altaris superficiem capiat.* Amplitudo eadem esse debebat tanta, ut Calix parte Corporalis tegi posset: nullus enim tum adhuc erat pallæ usus; atque hunc morem hodie etiam a Carthusianis retineri notat Bona.

Modernam quod attinet disciplinam, de mole & figura tam sacrorum vasorum, quam Corporalis non est necesse dicere; quæ autem peculiaria de illis lege Ecclesiæ sancita ha-

 bemus,

bemus, hæc fere sunt. Calix & Patena debent esse consecrata ab Episcopo, vel alio ex privilegio Pontificis; eadem fieri oportet ex auro aut argento, vel saltem (urgente paupertate) ex stanno aut cupro, sic tamen, ut Calicis cuppa interius sit inaurata: ut docet partim usus, partim Rubricæ Missalis Romani, ac etiam Can. 44. & 45. de Consecrat. dist. 1. De Corporalibus autem statutum est: ut sint linea, ab Episcopo aut ab alio potestatem habente benedicta, eademque conserventur munda; ita Can. 47. de Consecr. dist. 1. & Innocent. III. de Eucharistiæ custodia.

De mystica demum horum significatione si quæras; sicut Altare est quædam figura Crucis, in qua cruentum suum Christus perfecit Sacrificium; ita Calix mystice repræsentat sepulchrum Domini, Patena lapidem sepulchri, Corporale Sindonem, uti istud notatur vulgari illo versu:

Ara Crucis, tumulique Calix, lapidisque Patena,
Sindonis officium candida byssus habet.

206 II. Duo reliqua, Crucifixus nempe & lumen, sunt proprius ipsius Altaris apparatus; utrumque attamen ita necessarium, ut sine illis Missæ Sacrificium peragere non liceat. Et Lumen quidem aperte præcipitur Cap. ult. de Celebratione; pro Cruce autem facit Can. 3. Concilii Turonen. II. An. 561. habiti, ac etiam vetus Ecclesiæ consuetudo, cujus originem haberi a Traditione Apostolica probat Juenin Differt. 5. de Euch. Quamvis autem ex ritu recepto requirantur duo luminaria cerea: in casu attamen necessitatis unum sufficit, imo etiam ex alia materia juxta aliquos; sine omni autem lumine nunquam permittitur fieri Sacrificium: quod ipsum satis indicat, luminis in Missa usum sub gravi culpa obligare. Crucifixi contra necessitas non est tanta, ut sine eo sacrificari non

possit

possit gravi ex causa e. g. ad viaticum ministrandum &c. quin universim ejus usum non esse sub obligatione gravi censet communior cum Lugo, disp. 20. Sect. 2.

Cæterum Crucifixi simulacrum in Altari proponitur, ut ejus aspectu Sacerdos admoneatur Passionis Domini, cujus in Missa fit commemoratio; Luminis autem usus est tam in typum Sacrificii, cum in eo cera vel oleum consumatur in obsequium Dei: quam in signum fidei & lætitiæ spiritualis, ut jam L. I. de Sacr. in gen. Differt. VI. §. IV. meminimus.

Apparatus Sacerdotis.

I. Peculiares illæ vestes, quibus sacrificaturi induuntur, 207
Sacerdotis apparatum definiunt: amictus videlicet, alba, cingulum, manipulus, stola, & casula. Ac hæc quidem ab Episcopo, vel alio privilegium habente, benedicta esse oportere: ac, si quid eorum desit, omittendam esse Missam, generalis est regula; actio quippe, quæ debito modo fieri nequit, potius ommittenda est, quam indecenter & contra præscriptum Ecclesiæ exercenda. Hæc ipsa interim regula non ita universim stringit, ut sine aliqua harum vestium in certis casibus Missa peragi nequeat: nec eadem est omnium obligatio; de quibus minutim pertractant Theologi Morales, quos consulere poteris. Nobis ea duntaxat hic de memoratis sacris vestibus exequi est propositum, quæ ad earum originem & significationem mysticam pertinent. Itaque

II. Amictus, sive humerale (olim *ambolagium*, vel *ana-* 208
boladium) est linteum ad amiciendos & contegendos sacrificantis humeros destinatum; ex quo de utriusque nominis ethymologia statuere pronum est. Cl. le Brun usum ejus Sec. IX. inductum contendit ad operiendum collum, quod ad hanc usque ætatem moris non erat contegere: nuditas autem hæc

hæc in facrificante cumprimis viſa eſt indecora. Ac omnino hujus Seculi Scriptor Amalarius L. 2. C. 17. *amictus eſt*, inquit, *primum veſtimentum noſtrum*, *quo collum cingimus*. Cæterum eodem primitus etiam caput ipſum obnubere moris erat, ut ſcribit Rupertus Abb. L. 1. de Divin. Offic. C. 19. quod etſi non ſit in uſu amplius, ex præſcripto attamen Rubricarum aliquantum ſaltem ſuper caput adducendus eſt principio amictus, cui ritui conſonat Oratio tum dici ſolita: *impone Domine Capiti meo galeam ſalutis ad expugnandos diabolicos incurſus.* Veſtimento porro hoc, juxta Rupertum Abb. & Clericatum, myſtice ſignificatur divinitas in Chriſto humanitate cooperta; item velum, quo a militibus facies Chriſti velata fuit nocte paſſionis; tum & *galea ſalutis*, ſeu ſpes, qua Sacerdos munitus eſſe debet ad inſultus dæmonis retundendos: quod poſtremum indicatur ſupra memorata Oratione.

Alba, ſeu Camiſia, eſt coloris candidi tunica, eademque ad talos usque protenſa, inde Græcis dicitur ποδήρης. Uſum veſtis hujus fuiſſe Seculo IV. primumque ejus mentionem fieri in Concil. Carthagin. ſub finem hujus Sec. celebrato notat Fleuri in Hiſt. Eccl. L. 20. Utebantur eadem principio etiam Acolythi, & univerſim alii Clerici inferiores: deinde, quo in miniſterio ſacro ad ambulandum expeditiores eſſent, *ſuper pelliceum* ſuffectum ſcribit Cl. Sauſſay in Panoplia Clericali. Myſtice ſignificat veſtem albam, qua Chriſtus apud Herodem indutus & illuſus eſt: item cordis munditiem, hinc Sacerdos camiſiam induens orat: *Dealba me Domine & munda cor meum &c.* ut ex S. Thoma & Innocentio III. notat Gavantus in Rubr. Miſſæ. Olim feria VI. Paraſceves Sacerdos induebatur camiſia nigra in ſignum luctus.

Cingulum, quod veteres etiam baltheum vel zonam vocarunt, adhibetur ad Albam corpori adſtringendam. Primum ejus meminit Ordo Rom. & poſt eum Rabanus Maurus L. 1. de

de Inſtit. Cler. C. 13. ubi ait: *Sacerdotes - - accinguntur baltheis, ne caſtitas ſit remiſſa & negligens;* ex quo colligitur cinguli ſacerdotalis uſum eſſe in Symbolum caſtitatis, quod ipſum indicat Sacerdotis ſe præcingentis oratio: *præcinge me Domine cingulo puritatis, & extingue in lumbis meis humorem libidinis &c.* Hinc modernus S. P. in ſæpe laud. Tract. Sect. 1. N. 42. monet: *ſacerdotale cingulum non circa pectus, quod quidam perperam faciunt, ſed circa renes circumduci debere.*

Manipulus olim erat inſtar mappulæ & ſudarioli, hisque imo etiam nominibus compellabatur, ut legere eſt apud Rabanum Maurum & Amalarium. Principio adhibebatur ad ſudorem, lachrymas, & ſordes quasvis ſub Sacrificio abſtergendas; hinc pendebat ex manu ſiniſtra, quo & in promptu eſſet ſacrificanti, nec tamen eum in actionibus impediret. Progreſſu temporis, & quidem juxta Card. Bona Seculo X. juxta alios (ut notat hodiernus S. P.) jam Sec. VIII. ſudario ſuffectus eſt manipulus, a manu ſic dictus: neque amplius propter neceſſitatem, ſed ornatus cauſa: ſimul etiam in memoriam illius ſudarii, quo a muliere quadam (quæ vulgo Veronica dicitur) ſudans Chriſti vultus eſt abſterſus. Verius tamen eſt in ſignum pœnitentiæ, quod colligitur ex Sacerdotis oratione: *merear Dom. portare manipulum fletus & doloris &c.*

Stolæ nec forma ſemper eadem, nec idem nomen fuit. Ut enim nihil dicam de Ethnicorum, Judæorum, ac Regum ſtolis: Sacerdotales primitus erant indumentum, quo corpus totum, præter caput & collum, ad talos usque obtegeretur. Quando autem in eam, quam nunc habet formam, mutatum ſit, non conſtat; Durantus interim in Rationali L. 3. C. 5. id factum putat eo tempore, quo Alba deferri cœpit. Id certum eſt, veteribus dictum eſſe *Orarium*, vel a faſcia, quæ in limbo ſeu ora antiquarum ſtolarum aſſuta fuit, ut cenſet Bona:

vel a græco verbo ἐρῶ, id eſt, *obſervo*, ut ait Balſamon: vel denique ab orando, quod indicat Concilium Toletan. IV. Can. 59. & Burius in ſuo Onomaſt. exiſtimat. De myſtica etiam ejus ſignificatione variant opiniones. Concilii Moguntini An. 813. habiti Cap. 28. verba fundamentum præbent dicendi, ſtolæ uſum apud Sacerdotes eſſe in ſignum dignitatis ſacerdotalis; Gavantus & Clericatus ea Crucem Chriſti ſignificari putant, ac idcirco in modum crucis illam ad pectus Sacerdotis componi; juxta alios deſignat innocentiam vel pignus æternæ vitæ, ut colligitur ex oratione: *redde mihi Dom. ſtolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione &c.*

Caſula, teſte Rabano Mauro L. 1. Inſt. Cler. C. 21. dicitur *a caſa, eo quod totum hominem tegat, quaſi minor caſa;* eadem, quod propter amplitudinem limbis errantibus veluti evagaretur, dicta eſt etiam Planeta. Olim promiſcue fuit tam ſecularium quam ſacrarum perſonarum commune indumentum, ut conſtat ex Procopio L. 2. de Bello Vandal. C. 26. Caſſiano L. 1. Inſt. C. 17. & aliis apud Bona. Quo autem tempore nominatim ad uſum ſacrificantis Sacerdotis translata ſit, non liquet; certe Walfridus Strabo Cap. 24. contendit, primitus Sacerdotes in Altaris miniſterio uſos fuiſſe Dalmaticis: quia interim Ordo Rom. hoc veſtis genus peculiariter ſacrificanti Sacerdoti attribuit, dubitari nequit, jam ante Sæculum VIII. Caſulam ad Sacerdotis apparatum pertinuiſſe. Erat autem primitus figuræ prorſus rotundæ, ac ampla adeo, ut Sacerdotem totum a collo usque ad pedes obtegeret, unica in medio apertura relicta, qua caput immitteretur; hinc ſacrificans neceſſe habebat caſulam ſuper brachia revolvere & complicare, quo manibus uti poſſet. Eadem, ne prolixitate & amplitudine ſua in certis actionibus e. g. genu flexione, incenſatione &c Sacerdotem impediret, a Miniſtris paululum elevabatur; unde hodiedum perdurat mos caſulam pauliſper ele-

elevandi ſub conſecratione, elevatione Hoſtiæ & Calicis, item incenſatione. Cæterum progreſſu temporis, quo ad ſacrum Altaris miniſterium eſſet commodior, ſcindi & minui cœpit: dum denique a Seculo X. & XI. ad eam, quam nunc habet, formam ſenſim redigeretur. In myſtica demum ejus ſignificatione conveniunt omnes: deſignari videlicet illa Crucem Chriſti & jugum Legis Evangelicæ; hinc & Crucis figura inſignitur, & Sacerdos eam aſſumens orat: *Domine, qui dixiſti jugum meum ſuave eſt &c.*

§. IV.

De Cæremoniis, quibus ipſum Miſſæ Sacrificium peragitur.

EXplicandi demum ſunt ritus, quorum uſus eſt in ipſa Miſſæ celebratione, quique haud incongrue reducuntur ad certas Sacrificantis actiones, orationes item & lectiones, tum communionem Sacerdotis & fidelium.

Actiones.

I. PRinceps in Miſſa Sacerdotis actio eſt ipſa actio ſacrificandi, ſeu conſecratio; ac de hac quidem ſuper. Diſſert. 209
§. II. ſatis jam dictum. Reliquæ ſunt: elevatio oculorum & manuum; inclinatio corporis & genuum incurvatio; tunſio pectoris; oſculum altaris & Evangelii; ſigni Crucis formatio ſuper librum, altare, oblata &c. mixtio aquæ & vini; manuum lotio. De ſingulis minutim diſſerere prolixum foret; generatim autem duo inſinuaſſe ſuffecerit: 1*mum* quidem nullam actionum harum eſſe, quæ non fuerit primis Eccleſiæ Seculis uſurpata; deinde, omnibus ex ſenſu Eccleſiæ ineſſe ſignificationem myſticam, omnes proinde referri ad cultum Dei & reverentiam SS. Myſterii.

210 II. Ita (ut exemplum demus aliquod) oculorum & manuum elevatio est signum nostræ in Deum fidei & spei, ac etiam petitionis; utriusque præterea usus fundatur in S. Literis. *Volo viros orare - - levantes puras manus*, ait Apost. 1. ad Thimoth. 2. Oculos autem ipsum Christum sæpe in cœlum levasse, legitur Matth. 14. Lucæ 9. & alibi: quin in ultimæ cœnæ actione etiam id eum fecisse asserit Abrosius L. 4. de Sacram. C. 5. Tertullianus autem in Apologet. C. 30. scribit Christianos orare nudo capite, extensis manibus, & sublatis in Cœlum oculis. Universim autem certe tam elevatio, quam memoratæ actiones reliquæ omnes leguntur in vetustissimis Patrum Liturgiis: quod videre est apud Bellarm. L. 6. de Euch. C. 15. & sparsim in hodierni S. P. Tract. de Sacrif. Missæ Sect. 1. apud quos etiam singularum reperies sensum mysticum: quanquam hunc non difficile sit ultro assequi, si modo actionum ratio attendatur.

Lectiones & Orationes.

211 I. Lectionum nomine veniunt universim ea, quæ in Missa leguntur, quin expressam ad Deum precationem contineant, uti sunt: Epistola, Evangelium, ac ut plurimum versus Introitus, Gradualis, Tractus, Offertorii & Communionis. Orationes vero sunt ipsæ preces, seu dein ex Psalmis, seu aliunde depromptæ, ut: Psalmus *Judica*, Confessio, Lytania *Kyrie eleison*, Hymnus *Gloria*, Symbolum, Collecta, Præfatio, Canon, Dominica Oratio, & aliæ. Quem jam finem his spectet Ecclesia, quidque iis significari velit, sensus ipse tam Lectionum quam Orationum docet: universim autem hæc omnia ad cultum Dei, majestatem & venerationem SS. Mysterii, ac denique ad excitandam fidelium pietatem, eorumque utilitatem dirigi, res ipsa manifestum facit.

II. Ne-

II. Neque interim exiſtimandum, in ipſo ſtatim Eccleſiæ exordio hæc omnia in uſu fuiſſe ſacrificantibus. Certe Gregorii M. Honorii, & Strabonis (apud Bonam Rer. Lit. L. 1. C. 5.) opinione, Apoſtoli perfecerunt Sacrificium ſola Oratione Dominica, & verbis conſecrationis. Quia attamen iidem, Procli Conſtantinopol. L. de traditione Liturg. & Chryſoſtomi Hom. 27. in Ep. 1. ad Cor. teſtimonio, plures hymnos ac orationes in Sacrificio recitarunt, quin & fidei dogmata explanarunt, adhibitis etiam quibusdam cæremoniis; ad conciliandos Scriptores hos congrue dixeris: Apoſtolos pro ratione circumſtantiarum nunc brevem, prolixiorem alias ſacrificandi methodum uſurpaſſe; brevem quidem in caſu neceſſitatis & impendente perſecutionis periculo: prolixiorem contra extra id genus caſum & pericula. 212

Nominatim autem actiones, lectiones & orationes quoad ſeriem ac numerum, ut nunc in uſu ſunt, non niſi progreſſu temporis inducta eſſe fatendum eſt. Plurima attamen ex primævæ Eccleſiæ diſciplina originem ducunt; licet complures ſubinde etiam in his interceſſerint mutationes quoad ordinem & verborum contextum, ut patebit conferenti invicem veteres Liturgias, hodiernum item Miſſæ ordinem. Ita Pſalmum *Judica*, Lytaniam *Kyrie eleiſon*, Hymnum *Gloria*, Epiſtolam, Evangelium, Symbolum & Præfationem primis jam quatuor Seculis recitata fuiſſe ſub Miſſæ Sacrificio Bellarminus & Bona probant Patrum & veterum Liturgiarum teſtimonio. Contra: recitationem verſuum, quos Introitum dicimus, a Cœleſtino I. Seculi V. Pontifice introductam eſſe inter AA. convenit; uſus Symboli Conſtantinopolitani apud Orientales antiquior eſt, quam apud Occidentales: apud Germanos certe & Gallos potiſſimum invaluit Seculo IX tempore Caroli Magni; ut in fine Miſſæ innitium Evangelii S. Joannis per totam Eccleſiam legeretur, primum Seculo XVI. a Pio V. conſtitutum eſt. At

hæc pluribus Bellarmin. L. 6. de Euch. C. 16. & 17. item Bona Rer. Lit. L. 2. a C. 2. usque ad C. 11.

213 III. Præcipua porro Missæ Orationum pars est Canon, quem cumprimis insectantur hæretici; ut adeo Lutherus peculiari L. de abominat. Can. audeat dicere, *homines audito Canonis nomine debere fugere, ac si illis diabolus occurrisset.* Est vero nobis isthic *Canon* idem ac regula, seu ritus in celebratione Missæ præcipue observandus. Proprie incipit a verbis, *Te igitur clementissime Pater &c.* & ex communiore sententia durat usque ad orationem Dominicam, a qua fit initium præparationis pro S. Communione. Quamvis autem (teste Isidoro L. 1. de Offic. C. 15.) S. Petrus, adjunctis ad verba Christi certis precibus & ritibus, formam aliquam Sacrificii celebrandi primus dederit: postea tamen complures actiones & preces adjectæ sunt a variis Pontificibus usque ad Gregorium M. post quam a nemine amplius adjectum est quidquam Canoni, ut colligitur ex Walfrido L. de observation. Eccles. C. 22. Unde (quod recte notat Bellarm.) tametsi Liturgia quædam dicatur Basilii, alia Ambrosii &c. nulla tamen earum ab his Patribus est integre confecta; verum ea duntaxat, quæ illorum ætate fuit in usu, ad meliorem formam redacta, detractis videlicet quibusdam, adjectis aliis, sic tamen, ut substantiales partes Liturgiæ ab Apostolis traditæ remanerent. Ita dicitur Liturgia Gregorii Magni: hic attamen ad eam id solum contulit, quod in illam reposuerit antiquos Ecclesiæ ritus, quosdam autem recentiores expunxerit, ut ipse scribit L. 7. Ep. 73.

214 IV. Quod jam vero Sectarii potissimum in Canone insectantur, est ejus (ut illi quidem volunt) novitas & falsitas. Sed nimirum probanda hæc forent, non afferenda duntaxat. Sane vel ea, quæ nunc compendio retulimus, antiquitatem Canonis abunde comprobant. Quid quod, ut antiquitatis prærogati-

gativam obtineat, satis sit illum integre omnino, ut nunc in usu est, referri in Ordine Romano, quem cum Alcuinus & Amalarius (uterque floruit tempore Caroli M. proinde sub initium Seculi IX.) citent, necesse est fuisse Seculo VIII. scriptum; hic idem autem Ordo cum Canonem referat, ceu rem in Ecclesia usitatam, ac universim ab omnibus observandam, ultro consequitur, usum Canonis hodierni multo esse antiquiorem Ordine Romano. Quamvis autem ante hunc nullus (quod sciam) Liber totum Canonem contineat: extant nihilominus complures longe vetustiores, in quibus legere est certas Canonis partes, ex quibus de reliquis prudens fit conjectura. Ita apud Ambrosium L. 4. de Sacram. C. 5. & 6. verbis aliquantum mutatis referuntur hæ quatuor præcipuæ Canonis partes: *Quam oblationem tu Deus &c. Qui pridie quam pateretur &c. Unde & memores &c. Supra quæ propitio &c.* Cum autem Ambrosius has Canonis partes non instituerit, sed eas, ceu in Ecclesia jam usitatas, recitet, institutionem earum Ambrosio antiquiorem esse, proinde jam ante Seculum IV. aut saltem hoc Seculo in usu fuisse, certo evincitur. Plura in hanc rem vide apud Bellarm. sæpe laud. L. C. 20.

Canonis falsitatem objectantibus Sectariis, non est, cur speciatim respondeamus. Consulant ejus verba & sensum: ac omnia cum dogmate, quod Orthodoxi profitemur, cohærere deprehendent: modo pervicacia iis lucem veritatis non eripiat. Quod si autem rem enucleatius sibi velint propositam, adeant Bellarminum, veritatem Canonis quoad omnes ejus singillatim orationes L. 6. de Euch. a C. 21. sex integris Capitibus demonstrantem.

Communio.

UNa e præcipuis Missæ partibus est Communio, cum ea in sensu alias exposito Sacrificium consumetur. Ac licet jam

jam de illius ritu multa ſparſim per decurſum hujus L. inſinuata ſint: ſuperſunt nihilominus complura alia, quæ Rituum Scriptores ex veteri non minus quam moderna Eccleſiæ diſciplina adnotarunt. Ac primum quidem

215 Quod ad veterem diſciplinam attinet, cum quotidianæ communionis, ejusque ſub utraque ſpecie, mos vigeret, hæc fere obſervata ſunt.

I. Communicaturi nitidiorem induebant veſtem, ac in ipſo Templi ingreſſu os manusque abluebant; in quem uſum pro foribus atrii fuiſſe fontes ſalientes, vel puteos cum conchis aut cantharis, ſupra notavimus. Moris hujus meminit Chryſoſtomus Hom. 52. in Matth.

II. Appropinquante communionis tempore Diaconus ſacrificanti aſſiſtens inclamabat: *Sancta Sanctis!* item, *agnoſcite vos invicem!* ut legitur in quibusdam Liturgiis teſte Card. Bona; quem morem etiamnum a Græcis obſervari, idem ſcribit in ſæpe laud. Op. L. 2. C. 17. Monitum vero iſtud eo pertinebat, ut nemo niſi munda conſcientia & charitate aliis conjunctus ſacram menſam accederet.

III. De ordine communionis diſpenſandæ ex Ord. Rom. & Græcorum Euchologiis hæc notat laud. Bona. Ante omnes Euchariſtiam ſumpſit Sacrificans; tum eamdem porrexit Presbyteris præſentibus, qui omnes una cum ipſo (ut nunc fit in ordinatione Presbyterorum) idem Miſſæ Sacrificium faciebant; dein ſequebantur Diaconi, Subdiaconi, aliique ex Clero; poſt hos Monachi, Diaconiſſæ, & ſacræ Virgines; demum reliqui fideles, ſic tamen, ut viri fæminas antecederent.

IV. Sed nec locus idem fuit communicantium. Sacrificans communicabat in medio Altaris, alii Presbyteri in circuitu, Diaconi retro Altare, Subdiaconi & Clerici in limine Sanctuarii, reliqui extra cancellos. Quamvis autem Græci juxta

juxta Trullan. Can. 69. permitterent Imperatorem ingredi Sanctuarium, non perinde etiam Latini; hinc Theodosium, ex græco more eum locum occupantem, inde amovit S. Ambrosius, *docens* (inquit Bona) *purpuram Imperatorem facere, non Sacerdotem.* Hunc vero morem diu permansisse in Ecclesia Latina, colligitur ex Concil. Toletani IV. C. 17. & Bracarensis I. C. 31. quorum primum fuit habitum Sec. VI. alterum Sec. VII. Hoc eodem interim Seculo mos hic mutari cœpit, nam in Synodo Turonensi C. 4. sancitum legitur: ne laici intra cancellos ad Missam stare præsumant, ad communicandum vero omnibus pateant Sancta Sanctorum.

V. De situ communicantium (si Sacrificantem excipias, qui in utraque Ecclesia stans semper communicabat) variant AA. Græcos quidem stantes SS. Mysteria percepisse, certum est ex eorum LL. Ritualibus, & Græcis PP. Cyrillo Hierosf. Catech. 5. & Chrysostomo Orat. in Encænia; quem ipsum morem hodie etiam observant. Idem universim de veteribus etiam Latinis afferunt Martene, Habert, Valesius &c. idque propterea, quod extra cancellos positi vix flexis genibus oblata dona percipere potuissent; plurimi contra alii negant, aut saltem incertum id esse volunt.

VI. Verba illa, *Domine non sum dignus &c.* quæ nunc Sacerdos profert, communicaturi ipsi recitabant; quem ritum Durantus L. 2. de Rit. Eccl. C. 55. antiquissimum esse probat, ejusque testes profert Origenem & Chrysostomum. Sacerdos vero Eucharistiam porrigens eadem fere verborum formula, quæ nunc est, utebatur, nempe: *Corpus Domini N. J. C. conservet animam tuam*, ut legitur in Vita Gregorii M. a Joanne Diacono scripta. Apud alios alia, sed fere ejusdem sensus, proferuntur verba: ad quæ communicantes respondebant *Amen*, ut certum est ex Cyrillo Hierosf. Catech. 5. Ambrosio L. 4. de Sacram. C. 5. Sacramentario Gregorii, & aliis.

aliis. Interea autem, dum communio fieret, canebatur Psalmus aliquis, uti istud Bona probat ex Liturgia S. Jacobi, Ordine Rom. & Augustino; atque hinc est, quod hodie etiam *Communio* vocetur Antiphona illa, quam Sacerdos præmittit orationi *Post-communio* dictæ.

VII. Modus percipiendæ Eucharistiæ id peculiare habuit: quod Viri nuda manu exciperent Corpus Christi, fœminæ autem linteolo manui superposito, ut constat ex Cyrillo Hieros. Catech. 5. & Augustino Serm. 252. de Temp. Gregorio Naz. Hieronymo &c. Qui mos (si conjectura uti licet) profluxerit inde, quod primitus indultum fuerit fidelibus Eucharistiam domum deferre. Cæterum, tametsi ritus hic primis Seculis frequens fuerit: non tamen semper idem, nec diuturnus; certe hodiernum Corporis Christi dispensandi modum jam ante Gregorii M. tempora obtinuisse constat ex ejus L. 3. Dial. C. 3. sed & Sanguinem Eucharisticum sumendi non eadem semper fuit ratio: primum bibebatur ex calice; dein aucta fidelium multitudine, ad vitandum (ut opinor) effusionis periculum sugebatur per fistulam auream vel argenteam, & quidem tam a Sacerdote quam populo, ut habetur ex Ord. Romano; alias (præsertim apud Græcos) porrigebatur cochleari simul cum particula panis consecrati. Atque postremum hunc communionis ritum hodie etiam conservant Græci, ac recepto nomine *Communionem intinctam* dicunt; ejus auctorem Cl. Lupus Oper. suorum Tom. 5. pag. 411. putat fuisse S. Chrysostomum.

VIII. Post peractam communionem (ut habet Ordo Rom.) ad signum a Diacono datum canebatur Psalmus, Gloria Patri &c. tum Sacerdos dixit Orationes, quæ nunc vocantur Post - communio: recitabantur autem tam ad agendas Deo gratias, quam ad populum benedicendum; demum, postquam Sacerdos fideles salutavit his verbis *Dominus vobiscum,*

biscum, per Diaconum annuntiata est missio, seu venia abeundi hac vel simili formula: *ite, missa est*; vel, *ite in pace*; aut, *procedamus in pace*. Pluribus hæc Bona.

216 Si modernam porro de SS. Communione disciplinam spectes, peculiaria sunt: a quo, quibus, & sub qua specie ministrari possit Eucharistia? quæ item, & quando ad eam percipiendam obligatio? tum, quæ in suscipientibus dispositio animi sit necessaria? at de his ex proposito jam actum Differt. II. & III. Reliquum igitur est, ut speciatim dicamus tam de ritu, quo ex usu nunc recepto dispensatur S Communio: quam de tempore, quo ea fidelibus dispensari possit. Itaque

I. Inter Communicantes fideles Sacrificanti soli proprium est, ut Eucharistiam in altaris medio stans sumat: inclinato nihilominus corpore, ad testandam in SS. Mysterium reverentiam. Quo autem ritu idem tam Corpus quam Sanguinem Christi percipiat, ex Missæ Rubricis cuique notum est. Quosdam e Romanis Pontificibus olim cum solemnem Missam dicerent, in solio considentes Eucharistiam sumpsisse notat BENEDICTVS XIV. laud. Op. Sect. 1. N. 339. idem attamen addit, hodierno more id ab illis stantibus fieri. Habet interim Rom. Pontificis communio peculiaria quædam, ac a reliquorum Sacrificantium communione omnino diversa. Etenim (teste ibid. laud. BENEDICTO) cum solemniter celebrat, post consecrationem ad altare peractam conscendit Pontificale solium, ac in eo stans, corpore paululum inclinato, facieque ad populum conversa sumit dimidium Hostiæ consecratæ, parte ejus altera pro Diacono & Subdiacono Cardinalibus reservata; dein (ut refert Bona) ex Calice sibi porrecto per auream fistulam sugit partem Sanguinis Eucharistici, parte residua rursus pro Diacono & Subdiacono relicta. Rationes hujus ritus dantur variæ: præcipua est, quod Ponti-

fex in editiore folio communicans typum gerat Chrifti palam in cruce immolati: hinc etiam in memoriam calami, quo Chriftus in eadem cruce fel & acetum deguftavit, utitur fiftula ad fugendum Sanguinem. Ita Angelus Rocca peculiari Differt. de hoc ritu Oper. fuorum Tom. 1.

II. Reliqui omnes, nempe non facrificantes, tam laici quam Clerici (fi in folemni Miffa Pontificis excipias Diaconum, qui ftans communicat) flexis genibus percipiunt Euchariftiam. Hanc vero priusquam diftribuat Sacerdos, præmiffa Miniftri vel aliorum adftantium Confeffione, dicit *Mifereatur veftri &c.* item *Indulgentiam & abfolutionem &c.* cujus moris nulla extare antiqua monumenta fatetur Gavantus; le Brun autem ortum dicit Sec. XIII. e confuetudine Ordinum Mendicantium. Illud vero, quod Sacerdos diftributioni præmittat verfum *Domine non fum dignus &c.* item *Corpus Domini noftri &c.* a veteri more originem habere conftat ex priore N. Verfu *VI. Verba illa &c.*

III. Secundum ritum jam nunc ufitatum non modo fub Miffa, fed & poft finitam illam, aut extra tempus Miffæ miniftratur S. Communio. Tametfi autem etiam pofterioribus Seculis in ufu fuerit, ut Sacerdos, poft finitam Miffam communicans fideles, id præftaret Cafula & Manipulo depofitis, in fola proinde Alba & Stola: hodie interim jam obtinuit, ut toto Sacerdotali apparatu retento Euchariftiam difpenfet. Quod fi extra tempus Miffæ id muneris obeat, fatis eft Superpelliceo & ftola indutum effe. De Miffa defunctorum peculiaris movetur quæftio: an fub ea etiam Communio miniftrari poffit? Negant plurimi propterea, quod id Sac. Rit. Congregationis Decreto An. 1701. fit vetitum; at cum eadem S. Congregatio dein An. 1711. fententiam mutaverit, ac etiam Decretum illud vulgari prohibuerit, ut teftatur BENEDICTVS XIV. qui tum Promotoris Fidei munus gerens laud.

Con-

Congregationi interfuit, non est, cur in defunctorum etiam Missa Communio distribui non possit: nisi forte obstet longior contraria alicujus particularis Ecclesiæ consuetudo. Vide laud. Pontificis Tract. de Sacrif. Missæ Sect. 2. N. 163.

IV. Controversum etiam est nominatim: num nocte Nativitatis Domini, item feria VI. in Parasceve, ac demum Sabbato Sancto ministrari possit Eucharistia? Nos, prætermissis aliorum opinionibus, satis habemus de hoc proferre sententiam sæpe laud. hodierni Summi Pontificis. Is autem paulo ante cit. Sect. N. 166. id omnino vetitum esse asserit: exceptis attamen infirmis, quibus S. Viaticum quovis tempore ministrare licet. Et pro nocte Nativ. Dom. quidem citat Sac. Congr. Rit. Decretum An. 1641. 7. Decemb. pro feria VI. autem Parascev. Decret. An. 1622. 19. Febr. quibus hoc tempore populi communio fieri prohibetur. Pro Sabbato Sancto etsi nulla peculiaris prohibitio habeatur, existimare se tamen ait, *servandam esse consuetudinem communem nullis, nisi infirmis, eo die Eucharistiam ministrandi*; quam in rem dein ex Macri Vocabul. Ecclef. illud affert: *quod in Missa Sabbati Sancti non dicatur ea antiphona, quæ appellatur Communio, quia videlicet non fiebat populi Communio &c.* Cæterum his omnibus contraria eaque diuturniore quarumdam Ecclesiarum praxi derogatum novimus: ut adeo, si qua in Ecclesia vetus mos est, his etiam diebus populo Communionem ministrandi, is omnino improbari non possit, dum peculiari statuto abrogetur.

Hæc nos de SS. Eucharistiæ Ritibus (quoad licuit) compendio; uberior notitia haberi potest ex Josephi Vicecomitis LL. quinque de Rit. Missæ, Joannis Steph. Duranti LL. tribus de Rit. Eccl. Menardo item, Lupo, Martenio, ac a nobis hac Differt. sæpe laudatis Bellarmino, Bona, cumprimis autem ex eruditissimi Pontificis BENEDICTI XIV. Commentario de Sacrif. Missæ.

LIBER V.

De Pœnitentia.

DOctrinam de Sacramento Pœnitentiæ Dissertationibus quinque explanabimus, acturi I. de ejus Natura, Existentia, & Institutione II. de Materia & Forma. III. de Effectibus & Necessitate. IV. de Ministro & Subjecto. V. de Ritibus secundum veterem & modernam Ecclesiæ disciplinam. Præmittemus more nostro Canones Tridentinos, quædam item Oecumen. Conciliorum Decreta, & Propositiones damnatas.

CANONES CONCILII TRIDENTINI.

Ex Sess. XIV. de Sanctissimo Pœnitentiæ Sacramento.

I. SI quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere, & proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum: anathema sit.

II. Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum, Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo Pœnitentiam non recte secundum post naufragium tabulam appellari; anathema sit.

III. Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt: non esse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem, contra institutionem hujus Sacramenti, ad authoritatem prædicandi Evangelium, anathema sit.

IV.

IV. Si quis negaverit, ad integram, & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiœ partes di, cuntur ; aut dixerit, duas tantum esse Pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata ; anathema sit.

V. Si quis dixerit, eam Contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; demum illum esse dolorem coactum, & non liberum, ac voluntarium ; anathema sit.

VI. Si quis negaverit, Confessionem Sacramentalem institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino : aut dixerit, modum secretê confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, & observat, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inventum esse humanum ; anathema sit.

VII. Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino, confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant ; sed eam Confessionem tantum esse utilem ad erudiendum, & consolandum pœnitentem, & olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam

nicam imponendam; aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri ſtudent, nihil relinquere velle divinæ miſericordiæ ignoſcendum; aut demum, non licere confiteri peccata venialia; anathema ſit.

VIII. Si quis dixerit, Confeſſionem omnium peccatorum, qualem Eccleſia ſervat, eſſe impoſſibilem, & traditionem humanam, a piis abolendam; aut ad eam non teneri omnes, & ſingulos utriusque ſexus Chriſti fideles, juxta magni Concilii Lateranenſis conſtitutionem ſemel in anno, & ob id ſuadendum eſſe Chriſti fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadrageſimæ; anathema ſit.

IX. Si quis dixerit Abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronunciandi, & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti: modo tantum credat ſe eſſe abſolutum; aut Sacerdos non ſerio, ſed joco abſolvat; aut dixerit, non requiri Confeſſionem pœnitentis, ut Sacerdos eum abſolvere poſſit; anathema ſit.

X. Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali ſunt, poteſtatem ligandi, & ſolvendi, non habere; aut non ſolos Sacerdotes eſſe miniſtros abſolutionis, ſed omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus eſſe dictum: Quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo; & quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt; quorum verborum virtute quilibet abſolvere poſſit peccata; publica quidem per correptionem duntaxat, ſi correptus acquieverit: ſecreta vero per ſpontaneam confeſſionem; anathema ſit.

XI. Si quis dixerit, Epiſcopos non habere jus reſervandi ſibi caſus, niſi quoad externam politiam, atque ideo caſuum reſervationem non prohibere, quo minus Sacerdos a reſervatis vere abſolvat; anathema ſit.

XII.

XII. Si quis dixerit totam pœnam ſimul cum culpa remitti ſemper a Deo, ſatisfactionemque pœnitentium non eſſe aliam, quam fidem, qua apprehendunt Chriſtum pro eis ſatisfeciſſe; anathema ſit.

XIII. Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minime Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, ſed neque ſponte ſuſceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemoſynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam eſſe tantum novam vitam; anathema ſit.

XIV. Si quis dixerit, ſatisfactiones, quibus pœnitentes per Chriſtum Jeſum peccata redimunt, non eſſe cultus Dei ſed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipſum beneficium mortis Chriſti obſcurantes; anathema ſit.

XV. Si quis dixerit, Claves Eccleſiæ eſſe datas tantum ad ſolvendum, non etiam ad ligandum; & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem Clavium, & contra inſtitutionem Chriſti; & fictionem eſſe, quod virtute Clavium, ſublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exſolvenda remaneat; anathema ſit.

DECRETA
ALIORUM CONCILIORUM.

Concil. Lateranenſe IV. An. 1215. *Can.* 21. *ſtatuit:* Omnis utriusque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua peccata confiteatur fideliter, ſaltem in anno, proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam ſtudeat pro viribus implere, - - ſi quis autem alieno Sacerdoti voluerit juſta de cauſa ſua peccata confiteri, licentiam prius

postulet, & obtineat a proprio Sacerdote, cum aliter ille ipse non possit absolvere vel ligare.

Ibidem sub finem: Caveat Sacerdos, ne verbo aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem: *dein violati sigilli reum jubet a Sacerdotali officio deponi, & in arctum Monasterium ad perpetuam agendam pœnitentiam detrudi.*

Constantiense Sess. 8. An. 1415. 4. Maji, inter alios Wicleffi, 45. Articulos, hos etiam damnavit: Sacerdos non potest peccatorem confessum & contritum absolvere. *Item:* si homo deb'te fuerit contritus, omnis confessio exterior est superflua & inutilis. *Item:* laicus, si vir frugi fuerit, Clavium potestatem a Christo accepit.

Florentinum in Decr. pro Arm. §. de Pœnitentia. Quartum, *inquit*, Sacramentum est pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes: quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero; secunda est oris confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integraliter; tertia, satisfactio pro peccato secundum arbitrium Sacerdotis, quæ quidem fit præcipue per orationem, jejunium & eleemosynam.

Idem in Decr. eod. Forma hujus Sacramenti sunt verba absolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit: ego te absolvo &c.

Idem ibidem: Minister Sacramenti Pœnitentiæ est Sacerdos habens auctoritatem absolvendi ordinariam, vel ex commissione Superioris.

PRO-

PROPOSITIONES DAMNATÆ

Ab Alexandro VII.

Propof. XI. Peccata in Confeffione omiffa, feu ob inftans periculum vitæ, aut ob aliam caufam, non tenemur in fequenti Confeffione exprimere.

XIII. Satisfacit præcepto annuæ Confeffionis: qui confitetur Regulari, Epifcopo præfentato, fed ab eo injufte reprobato.

XIV. Qui facit Confeffionem voluntarie nullam, fatisfacit præcepto Ecclefiæ.

XV. Pœnitens propria auctoritate fubftituere fibi alium poteft, qui loco ipfius pœnitentiam adimpleat.

Ab Innocentio XI.

Propof. LVII. Probabile eft, fufficere attritionem naturalem, modo honeftam.

LVIII. Non tenemur Confeffario interroganti fateri peccati alicujus confuetudinem.

LIX. Licet facramentaliter abfolvere dimidiate tantum confeffos, ratione magni concurfus pœnitentium, qualis v. g. poteft contingere in die magno alicujus feftivitatis, aut indulgentiæ.

LX. Pœnitenti habenti confuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclefiæ, etfi emendationis fpes nulla appareat, nec eft neganda, nec differenda abfolutio; dummodo ore proferat, fe dolere & proponere emendationem.

LXI. Poteft aliquando abfolvi, qui in proxima occafione peccandi verfatur, quam poteft, & non vult omittere; quin imo directe, & ex propofito quærit, aut ei fe ingerit.

LXIV. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem, nesciat Mysterium SS. Trinitatis & Incarnationis Domini N. I. C.

Ab Alexandro VIII.

Propos. IX. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.

X. Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

XIV. Timor gehennæ non est supernaturalis.

XV. Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

XVI. Ordinem præmittendi Satisfactionem absolutioni induxit non Politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei id ipsum quodam modo dictante.

XVII. Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus.

DISSERTATIO I.

DE NATURA, EXISTENTIA, ET INSTITUTIONE SACRAMENTI POENITENTIÆ.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Pœnitentia?

QUod Latinis est *Pœnitentia*, Græci μετάνοιαν dicunt, a verbo scilicet μετανοεῖν, quod idem est, ac *post cogitare*; unde, specta-

ſpectato vocis etymo *μετάνοια* eſt *mentis mutatio*, ſeu *reſipiſcentia.* Vocabulum autem *Pœnitentiæ* Latinorum omnium ſententia ducit originem a *pœna* vel *punitione*: ut adeo *pœnitere* idem ſit, ac *pœnam tenere*, ſe ipſum *punire.* Inde Iſidorus Hiſpal. L. 6. Origin. & in Exhort. ad pœniten. *Pœnitentia*, inquit, *nomen accepit*, *quaſi punitentia aut pœnæ-tenentia*, *per quam ſcilicet homo pœnitendo punit*, *quod male admiſit peccando.* Ex hoc autem ultro conſequitur, quod cum in Scriptura Gen. 6. item 1. Reg. C. 15. & alibi legitur, Deum pœnituiſſe, iſtud ſenſu duntaxat improprio accipi oportere: pro eo videlicet, quod Deus conſtituerit aliquid mutare, ſicut homines ea, quorum eos pœnitet, mutare conſueverunt, ut exponit Catech. Concilii Trident. Par. 2. de Sacram. Pœnit. Nobis deinceps ſermo erit de ſola Pœnitentia proprie tali; quæ quia ſpectari poteſt vel ut Virtus, vel ut Sacramentum eſt, utriusque ante omnia definitionem dabimus.

Definitio Virtutis Pœnitentiæ.

Virtus Pœnitentiæ eſt habitus inclinans ad dolorem & deteſtationem peccati commiſſi, ad emendationis item propoſitum, & voluntatem Deo ſatisfaciendi pro injuria illi per peccatum illata.

Hæc omnia clara ſunt, ut adeo explicatione opus non I
habeant; ſatis fuerit igitur aliqua ad uberiorem notitiam hinc deducere. Et quidem

I. Cum habitus Pœnitentiæ inclinet ad deteſtationem peccati, emendationem, & ſatisfactionem, qui actus ſunt honeſti, quibusque Exech. 18. Deus promittit vitam æternam, dubitari nequit, Pœnitentiam eſſe Virtutem proprie talem. Eadem vero cum ad hos actus inclinare poſſit ex motivo cujuslibet virtutis, e. g. charitatis, ſpei &c. atque ſic pertinere ad quamlibet virtutem, hoc ſenſu dicitur *Virtus generalis.*

Est nihilominus etiam *Virtus specialis*: nam stricte sumpta speciale motivum habet, honestatem scilicet relucentem in placando Deo & compensanda divina injuria; quod motivum nulli virtuti alteri est proprium. Neque interim ista officiunt, quo minus dicatur simul esse quædam *justitia specialis*, eademque latiore quodam sensu reducatur ad speciem *justitiæ commutativæ*. Ratio 1mi est: quia sicut peccata sunt contra jus Dei, ita Pœnitentia, per quam illud reparatur, est quædam hominis ad Deum justitia, longe proin superior illa, quæ est hominis ad hominem. Ratio 2di: tametsi enim plerique ad justitiam commutativam requirant æqualitatem inter injuriam & satisfactionem, hæcque in præsenti non habeatur; cum nihilominus Pœnitentia stricte sumpta ex mente D. Thomæ sit compensatio pro offensa, eadem simul est quædam pro offensa commutatio, præsertim cum fiat secundum voluntatem Dei offensi: id quod sufficit ad justitiam commutativam latiore sensu acceptam.

II. Objectum materiale virtutis Pœnitentiæ, seu materia circa quam versatur, est omne peccatum personale præteritum & proprium; hoc enim solum cadit sub detestationem retractativam & emendationis propositum. Objectum autem formale, seu motivum Pœnitentiæ consistit in honestate speciali, quæ habetur in placatione Dei & reparatione divinæ offensæ. Finis ejusdem est ipsa hæc Dei placatio & offensæ reparatio, seu compensatio. Demum actus Virtutis Pœnitentiæ proprii sunt: dolor de peccato, ejus retractatio, satisfactio, & propositum emendationis; atque hi actus veniunt nomine Pœnitentiæ actualis.

De his omnibus minutim ac copiose Theologi disputant speciatim in Præliminari Tractatu ad Sacram. Pœnitentiæ; quia interim horum præcipua ipsi etiam Sacramento Pœnitentiæ sunt propria, præsertim cum Virtus Pœnitentiæ secundum

dum suos actus sumpta sit partialis materia hujus Sacramenti, a methodo communi consulto recedimus: opinamurque nos ad propositum Theologi facturos, si ea, quæ ad Virtutis Pœnitentiæ notitiam pertinent, sparsim per hujus L. decursum exequamur. Fiet vero istud potissimum Differt. II. & III.

Definitio Sacramenti Pœnitentiæ.

P*Oenitentia sub ratione Sacramenti accepta est ritus quidam externus, quo ex institutione Christi per Sacerdotis absolutionem homini contrito & confesso peccata post Baptismum commissa remittuntur.*

Definitione hac exponitur tota Sacramenti Pœnitentiæ natura: materia quidem per *contritionem & confessionem*; forma per *Sacerdotis absolutionem*; effectus per *remissionem peccati post Baptismum admissi*; demum additur *ex institutione Christi*, sine qua Sacramenti novæ Legis ratio non habetur. Sed nempe hæc ipsa pluribus deinceps explananda erunt. 2

Nunc notasse suffecerit, ex hac ipsa definitione patere discrimen, quod Virtutem inter & Sacramentum Pœnitentiæ intercedit. Nimirum, cum illa in actibus pœnitentis tota consistat, hoc præterea Sacerdotis absolutione perficitur. Sed nec eadem est utriusque quoad necessitatem ratio: etenim Virtus Pœnitentiæ quovis tempore peccatori fuit necessaria; contra Sacramenti Pœnitentiæ necessitas primum cœpit cum Lege nova: quin & in hac aliquando a peccatore potest obtineri salus sine Sacramento, non item etiam sine virtute Pœnitentiæ. Hæc demum cum Catechismo Rom. Par. 2. Tit. de Pœnit. *interior* Pœnitentia dici potest, cum solis actibus internis peragi queat: illud vero *exterior*, cum sine actu externo confessionis & absolutionis nunquam perficiatur.

§. II.

§. II.

An detur verum novæ Legis Pœnitentiæ Sacramentum? & quando sit a Christo institutum?

POst Sacramenti Pœnitentiæ definitionem asserenda est ejus existentia; quia vero hæc haberi nequit sine Christi institutione, de hac pariter, ejusque nominatim tempore dicendum erit. Uti autem Sectarii complures in iis, quæ Virtutem Pœnitentiæ spectant, ab Ecclesiæ doctrina dissident, ut Dissert. II. & III. insinuabimus; ita non desunt, qui Sacramentum Pœnitentiæ omnino sublatum velint: ac de his nunc ante Assertionem compendio agemus.

Sectarii Sacramentum Pœnitentiæ negantes.

3 I. SUnt quidam, qui ad hanc Sectariorum classem referant Montanistas, Valdenses & Wicleffitas; at, mea quidem opinione, errarunt hi circa Pœnitentiæ Sacramentum, illud attamen penitus sublatum noluerunt.

Certe Montanistæ, tametsi graviora quædam crimina, idololatriam videlicet, homicidium, & mœchiam a solo Deo, nullatenus autem ab Ecclesia remitti posse assererent: agnoverunt nihilominus datam esse Ecclesiæ potestatem reliqua peccata post Baptismum commissa remittendi, ut constat ex Tertulliano L. de Pudicit. C. 18. non negarunt proinde Pœnitentiæ Sacramentum.

Valdenses etiam, cum (Reynero teste) de Sacr. Pœnit. C. 5. docuerint, *quod nullus possit absolvi a malo Sacerdote; item quod bonus laicus habeat potestatem absolvendi: item, quod confitendum sit potius bono laico, quam malo Sacerdoti &c.* circa Mini-

strum

ſtrum Sacramenti omnino errarunt, ipſam nihilomninus Pœnitentiam e numero Sacramentorum non expungebant. Pluribus iſtud perſequitur erud. Boſſuet Ep. Meld. L. 2. in Hiſtor. Variation. ubi probat, Valdenſes ſeptenarium Sacramentorum numerum conſtanter retinuiſſe usque ad Sec. XVI. hocque primum a Calvinianis inductos, ut duo tantum Sacramenta cum ipſis profiterentur.

Wicleffitarum demum circa Sacram. Pœnitentiæ error idem plane fuit, qui Valdenſium, ut rurſum eggregie oſtendit Boſſuetus in laud. Hiſt. L. 11. Quid quod Wicleffus L. 4. Trial. C. 10. 14. & aliis diſerte doceat, in Eccleſia Clavium poteſtatem reſidere: eam attamen a ſolis Sacerdotibus probis, imo probis etiam laicis exerceri poſſe.

II. Qui proinde in hanc Sectariorum claſſem ex merito 4 veniunt, ſunt: Novatianus, Lutherus, Zwinglius & Calvinus.

Ac. Novatianus quidem, licet principio ſolum idololatriæ crimen ab Eccleſia remitti non poſſe doceret: progreſſu tamen temporis non eſt veritus aſſerere, nullam Eccleſiæ poteſtatem eſſe ad ullum omnino peccatum remittendum, ut ex Ambroſio mox citando patebit: quo utique & Clavium poteſtatem, & ipſum Pœnitentiæ Sacramentum Eccleſiæ ſufferebat. Nec defuerunt ex diſcipulis ejus complures, qui teſte Euſebio L. 6. Hiſt. C. 43. & Epiphanio Hæreſi 59. eumdem ſequerentur errorem; tametſi ii, qui ſe Catharos dicebant, cum Montaniſtis profiterentur, habere Eccleſiam poteſtatem remittendi peccata poſt Baptiſmum commiſſa, exceptis idololatria, homicidio, & mæchia, ut conſtat ex Ambroſio L. 1. de Pœnit. C. 1. *Ajunt* (inquit ille hoc loco) *Novatiani ſe exceptis gravioribus criminibus relaxare veniam erroris. - - Non hoc quidem auctor veſtri erroris. In eo igitur Patrem veſtrum propria damnatis ſententia, qui diſtinctionem peccatorum facitis:*

quæ solvenda a nobis putetis, & quæ sine remedio esse arbitremini. Quo autem remedio? utique ab Ecclesia ministrando; eod. enim Cap. subjicit: *ajunt se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum* (graviorum scilicet) *potestatem reservant.* Quæ quidem manifestum faciunt, Novatianum cum quibusdam sui sectatoribus Sacramentum Pœnitentiæ negasse: erroris proinde hujus originem a Seculo III. esse repetendam. Inde assentiri non possum opinioni Cl. Auctoris Rei Sacram. qui L. 6. Quæst. 2. §. 1. & 2. contendit, ante Seculum XVI. a nemine Christiano Sacramentum Pœnitentiæ esse negatum: primosque fuisse Lutheranos, Zwinglianos & Calvinistas, qui errorem hunc invexerint.

Illud interim etiam indubitatum est, sepultum cum Novatianis errorem Lutherum omnino primum resuscitasse. Quamvis enim L. de Capt. Babil. sub principium, negatis septem Sacramentis, dicat: *tantum tria pro tempore ponenda, Baptismum videlicet, Pœnitentiam & Panem;* in fine attamen ejus *L. si rigide,* inquit, *loqui velimus, tantum duo sunt in Ecclesia Sacramenta, nempe Baptismus & Panis, - - nam Pœnitentiæ Sacramentum, quod ego his duobus accensui, signo visibili & divinitus instituto caret; & aliud non esse dixi, quam viam ac reditum ad Baptismum.* Vertigine eadem agebatur Melanchthon, Lutheri assecla: in Apol. enim Confessionis August. Pœnitentiam Sacramentis accenset, in Locis autem Commun. An. 1522. editis eamdem e numero illorum expungit. Quod ad modernos Lutheranos attinet, quidam ex iis cum Melanchthone nunc cit. & Kemnitio in Exam. Concilii Trident. ad Can. 10. de Bapt. item Can. 1. de Pœnit. negant Pœnitentiam esse Sacramentum: admittere contra videntur alii. Et quidem primum illi, qui utuntur parvo Lutheri Catechismo, in quo (ut refert Bossuet L. 3. Hist. Variat. C. 48.) post auditam peccatorum Confessionem super Pœnitentem hæc verba Minister

pro-

pronuntiare jubetur : *ego ex Christi mandato remitto tibi peccata tua in nomine Patris &c.* item illi, qui jurant in Confessionis Augustanæ Apologiam, in hac enim diserte dicitur: *vere igitur sunt Sacramenta, Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, quæ est Sacramentum Pœnitentiæ.* Constat denique id ipsum ex multorum praxi: ut enim novimus, quibusdam locis Lutherani Ministelli peculiaribus cathedris utuntur, in quibus considentes suorum Confessionem excipiunt, & quidem nonnulli etiam auricularem. Hi ipsi interim circa hujus Sacramenti doctrinam in multis diffident a nobis: non enim requirunt singillatim omnium peccatorum Confessionem ; ipsam etiam Ministri absolutionem dicunt esse declaratoriam duntaxat, non judicialem: solaque Baptismi memoria & fide obtineri remissionem, modo quis credat se esse absolutum.

Zwinglius & Calvinus multo apertius, & constanter quidem, negarunt Pœnitentiam esse peculiare Sacramentum : ille L. de vera & falsa Relig. hic autem L. 4. Instit. C. 15. Utriusque nimirum sententia Pœnitentiæ Sacramentum est ipse Baptismus, hujusque sola memoria remittuntur quælibet peccata post Baptismum commissa. Ex qua doctrina Calvinus cit. L. C. 19. hæc deducit : confessionem peccatorum esse solum legis humanæ, ejusque ante Innocentium III. incognitæ; Sacerdotem non habere potestatem absolvendi a peccatis ; eadem facilitate deleri peccata post Baptismum admissa, atque illa, quæ Baptismum antecesserunt; nulla opus esse Satisfactione, irritarique illa potius quam placari Deum, ut quæ injuria sit Baptismi & mortis Christi efficaciæ. Atque hæc doctrina hodie etiam communiter recepta est apud Zwinglianos & Calvinianos ; qua quidem ad omne scelerum genus januam aperiri, quis non videat ? Ita nimirum præclari hi (si superis placet) Ecclesiæ reformatores patentem & expeditam

ad Cœlum voluerunt esse viam, quam tamen arctam esse, nec nisi a violentis rapi Cœlum, Christi oraculo docemur.

Contra omnes hos Sectariorum errores per decursum hujus L. suis locis singillatim disputabimus; isthic contra eosdem asserenda est duntaxat veri Pœnitentiæ Sacramenti existentia.

ASSERTIO I.

Datur in Ecclesia verum novæ Legis Pœnitentiæ Sacramentum a Christo institutum.

5 PRob. I. ex S. Literis & definitione hujus Sacramenti. Nimirum Pœnitentiæ Sacramenti nomine intelligitur ritus quidam Ecclesiæ externus & judicialis, cui ex institutione Christi adnexa sit gratia sanctificans, peccati post Baptismum admissi remissiva in ordine ad fideles contritos & confessos; id genus autem ritum dari comprobant illa Christi ad Apostolos verba Joan. 20. *accipite Spiritum Sanctum :.quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Etenim 1*mo*, verba illa, *quorum remiseritis & retinueritis*, indicant potestatem judicialem remittendi peccata Apostolis & eorum Successoribus a Christo concessam, ut patet vel ex modo loquendi. 2*do*, eamdem potestatem Christus exerceri voluit utique modo hominibus accommodato, externo proinde ritu aliquo, ut fit in humanis judiciis. 3*tio*, cum universim in hac providentiæ lege non remittantur unquam peccata sine dolore & retractatione : cum item sine pænitentis confessione Sacerdos habere nequeat causæ notitiam, quæ ad omne judicium prærequiritur, certum fit, potestatem hanc judicialem exerceri non posse nisi in contritos & confessos.

fos. *4to*, cum Christus eodem plane post resurrectionem tempore (ut colligitur ex Matth. 28. & Marci 16.) per verba, *euntes docete - - baptizantes &c.* dederit Apostolis potestatem Baptismi remedium applicandi ad delendam culpam originalem & peccata Baptismum præcedentia, ultro consequitur, hoc Joannis C. factam illis potestatem remittendi peccata post Baptismum admissa. *5to* demum, ritui huic judiciali adnexam esse gratiam sanctificantem peccati remissivam, indicant illa verba, *remittuntur eis:* neque enim in hoc providentiæ ordine peccata remittuntur unquam, nisi per sanctificantem gratiam.

Prob. II. ex Traditione. Hanc vero primum habemus 6 ex consensu Patrum, Tertulliani, Cypriani, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, & aliorum apud Bellarm. L. 1. de Pœnit. C. 10. quorum verba hoc L. sparsim recitabimus. Nunc pro omnibus sit Cyprianus Serm. de lapsis, ubi ait: *confiteantur singuli - - delictum suum, dum adhuc, qui deliquit, in seculo est, dum admitti ejus confessio potest, dum Satisfactio & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est.* Item Augustinus L. 2. de adulterin. Conjug. C. 16. *si homicidium*, inquit, *a Catechumeno factum sit, Baptismo abluitur; si autem a baptizato, Pœnitentia & reconciliatione sanatur.* Quali autem Pœnitentia? ea utique, quæ sit Sacramentum: nam eod. L. C. 28. ait: *quæ Baptismatis, eadem est reconciliationis causa;* & Ep. 180. ad Honorat. referens, ab aliis in Ecclesia flagitari Baptismum, ab aliis Pœnitentiæ actionem, his ait peti *Sacramentorum confectionem & erogationem.*

Pro eadem Traditione faciunt Concilia pro fronte L. citata, Lateranense IV. Constantiense, Florentinum; ac cumprimis constans praxis Ecclesiæ Sacramentum hoc ministrantis; tum & perpetua tam Latinæ quam Græcæ Ecclesiæ, etiam post ejus Schisma, consensio, ut videre est apud Ar-

cud. L. 4. C. 1. & Auct. Perpet. Fid. Tom. 5. L. 3. a C. 1. usque ad 7. Inde jure factum, ut Trident. Sess. 14. Can. 1. anathema diceret negantibus, Pœnitentiam esse verum Sacramentum, pro fidelibus post Baptismum in peccata lapsis a Christo institutum.

Ex his porro, præsertim Probat. I. certum fit, Pœnitentiæ Sacramenti auctorem esse ipsum immediate Christum; solum igitur jam ejus institutionis tempus definiendum est.

ASSERTIO II.

Sacramentum Pœnitentiæ tum præcipue fuit a Christo institutum, dum post resurrectionem suam Joan. 20. Apostolis dixit: accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis &c.

7 AD quod enim tempus aliud institutio hæc referenda est, nisi illud, quo Christus Ecclesiæ contulit potestatem a peccatis absolvendi ritu huic Sacramento proprio? istud vero Christum præstitisse hoc præcipue Joannis loco constat ex N. 5. igitur Sacramentum hoc tum præcipue instituit, dum post resurrectionem Apostolis dixit, *accipite Spiritum S. &c.* Estque hæc doctrina ipsius Concilii Trident. Sess. 6. Cap. 14. ubi ait: *pro iis, qui post Baptismum in peccata labuntur, Christus JESUS Sacramentum instituit Pœnitentiæ, cum dixit: accipite &c.* Idem pluribus declarat Sess. 14. Cap. 1. *Dominus autem*, inquit, *Sacram Pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens: accipite Spir. S. quorum remiseritis &c. Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis potestatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit.*

Con-

Consulto autem in Assertione addita est cum Concilio Trident. particula, *præcipue:* fatendum enim est, Christum Sacram. Pœnitentiæ institutionem inchoasse jam ante mortem, seu cum Matth. 16. promitteret se daturum Petro Claves regni Cœlorum, ac eamdem promissionem apud eumd. Matth. C. 18. confirmaret; seu cum in ultima cœna Apostolos in Sacerdotes ordinavit illis verbis, *hoc facite &c.* character quippe Sacerdotalis est inchoata potestas absolvendi a peccatis. Hanc ipsam interim institutionem non nisi a mortuis resurgens Joan. 20. perfecit, cum tunc completam absolvendi potestatem contulerit. Atque hoc omnino sensu particula illa, *præcipue*, est accipienda.

Respondetur Sectariis.

OPponitur directe contra Assertionem I. Ad Hebr. 6. dicitur, *impossibile est eos, qui semel sunt illuminati* (hoc est, baptizati) - - *& prolapsi sunt, rursus renovari ad Pœnitentiam &c.* & ibid. C. 10. *voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis* (intellige, fidei in Baptismo) *jam non relinquitur pro peccatis hostia.* Igitur, testante Apostolo, post Baptismum lapsis non conceditur amplius venia; quodque hinc consequitur, non datur Pœnitentiæ Sacramentum, quod sit in remissionem peccati a baptizato commissi. 8

Resp. N. Illation. primam; proinde & altera est illegitima. Quomodo enim post Baptismum lapsis nulla sit amplius spes veniæ? quando Ezech. 33. V. 14. & 15. universim dicit Deus, si impius *egerit pœnitentiam a peccato suo - - vita vivet &c.* Christus vero similiter generatim ad Apostolos Joan. 20. *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ac profecto, si nulla est post Baptismum lapsis remissio, cur Petrus Act. 8. Simoni Mago post acceptam Baptismi gratiam delinquenti præ-

præcepit, *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua?* Neque obest ibid. subdi: *roga Deum, si forte remittatur tibi;* nam in S. Literis vox *forte* non semper significat incertitudinem, ut patet ex illo Proverb. 24. *in ruina ejus* (inimici) *ne exultet cor tuum, ne forte videat Dominus, & displiceat ei.* Sæpe igitur significat libertatem vel rei difficultatem, uti Jerem. 26. *noli subtrahere verbum, si forte audiant & convertantur &c.* quæ ipsa est & Act. 8. particulæ *forte* significatio. Ex his autem patet, nisi Scripturas invicem pugnantes dicas, verba ex Apostolo objecta alio, quam Sectarius velit, sensu accipienda esse.

Ac revera ad Hebr. 6. agitur solum de renovatione ad pœnitentiam per Baptismum obtinenda, quæ omnino impossibilis est jam semel baptizatis, cum Baptismus iterari nequeat. Nec arbitrarie istud asseritur: hæc quippe est omnium fere veterum hujus loci expositio; ex eo enim probant Baptismum repeti non posse. Id ipsum colligitur ex contextu capitis, & fine ab Apostolo intento: satagit quippe eximere errorem Hebræis, qui in Judaismo repetitis baptismis, seu ablutionibus, uti soliti, etiam Christiani facti putabant iteratione Sacramenti Baptismatis peccata expiari posse. Satis denique istud indicat verbo *renovari*, quod Baptismo peculiariter convenit ex sensu Apostoli, cum illum ad Tit. C. 3. vocet *lavacrum regenerationis & renovationis.* Non diffiteor interim esse alios, qui hoc loco putent agi de Pœnitentia generatim; horum autem sententia τὸ *impossibile* significat impotentiam moralem, quasi nempe dicat Apostolus; baptizatos, qui *gustaverunt* (ut ibidem loquitur) *donum cæleste, - - bonum Dei verbum, virtutesque seculi venturi,* hoc est, qui post Baptismum multas gratias acceperunt, prolapsi sunt nihilominus, non nisi difficultate magna Pœnitentiam agere. Et omnino certum est, pluribus Scripturæ locis τὸ *impossibile* significare hanc

mora-

moralem impotentiam, ut cum Lucæ 17. dicitur: *impossibile est, ut non veniant scandala.*

Quod autem ad Hebr. 10. vult Apostolus, id unum est: voluntarie peccantibus per defectionem a fide nullam superesse hostiam, qua peccata expient in hoc ipso apostasiæ statu perseverantes; cum sine fide in Christum haberi nequeat vera pro peccatis hostia, seu pœnitentia. Ita exponendi cit. verba fundamentum præbet ipse contextus, & propositum Apostoli a V. 19. in eo elaborantis, ut Hebræos a malo apostasiæ absterreat, & in fide Christiana confirmet. Rursum attamen & isthic aliqui existimant, eum loqui de difficultate duntaxat Pœnitentiæ comparate ad illos, qui *post acceptam notitiam veritatis*, seu fidei, ab ea *voluntarie* deficiunt. Verum

Instari potest I. Dici saltem nequit baptizatis peccata 9
remitti per Sacerdotis absolutionem: nam jam ante hanc peccatorem per ipsum immediate Deum ad vitam gratiæ revocari docent PP. ac nominatim Augustin. Tract. 49. in Joan. & Gregorius Mag. Hom. 26. in Evang. ubi uterque in hanc rem utitur exemplò Lazari prius a Christo suscitati, quam a Discipulis solveretur; ergo id genus Pœnitentiæ Sacramentum frustra statuitur, quo Sacerdotis ministerio fiat remissio peccati. Quid quod istud afferere, injurium sit Deo, *quis enim potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Mar. 2. injurium item Christo, qui *una* sui per mortem *oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos* ad Hebr. 10.

Resp. N. assertum. Exemplum certe Lazari pro nobis facit: sicut enim is a Discipulis vere fuit solutus institis, quibus adhuc erat ligatus; ita peccatores a Sacerdotibus vere solvuntur a vinculo peccati. Sed nec laud. Patribus aliud erat propositum, quam ut exemplo Lazari ostenderent: quod sicut ille prius fuit a Christo ad vitam excitatus, quam a

Diſcipulis ſolveretur: ita non poſſe peccatorem a Sacerdote vinculis peccatorum exolvi, niſi prius a Deo ad vitam excitetur per gratias actuales, quibus moveatur ad veros pœnitentiæ actus, quibusque jam prævie ad abſolutionem incipiat Deo vivere, non quidem vita animæ perfecta, ſed inchoata duntaxat. Hujus omnino ſententiæ fuiſſe laud. Patres, ipſa eorum declarant verba, quæ cit. locis ſubjiciunt. Ita Auguſtinus, *Lazarus*, inquit, *proceſſit: ſed adhuc ligatus eſt; tamen jam foras proceſſit &c. Quando confiteris, procedis; quid eſt enim procedere, niſi ab occultis velut exeundo manifeſtari? ſed, ut confitearis, Deus facit magna voce vocando, id eſt magna gratia vocando. Ideo cum proceſſiſſet mortuus adhuc ligatus, confitens & adhuc reus, ut ſolverentur peccata ejus, miniſtris dixit Dominus: ſolvite illum & ſinite abire.* Et Gregorius propterea eſſe ait Sacerdotis abſolutionem, *ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat, illos Paſtoris ſententia abſolvat.*

Neque abſolutio hæc injuria eſt Deo, aut Chriſto. Non Deo: fatemur quippe ſolum Deum (qui unus eſt cit. ex Marco loci ſenſus) peccata poſſe dimittere poteſtate principali: eam vero, quæ Sacerdoti convenit, eſſe miniſterialem duntaxat, hancque ipſam a Deo conceſſam. Non etiam Chriſto: tametſi enim ejus paſſio & mors ex ſe ſit ſufficiens ad noſtri ſanctificationem, quo tamen re ipſa & *in actu ſecundo* (ut Scholæ ajunt) nos ſanctificet, atque a peccatis emundet, ipſo volente Chriſto peculiariter nobis applicari debet; hæc vero applicatio, inter alia, ſit per Sacramentum Pœnitentiæ, quod ipſum non aliter, quam in virtute Paſſionis & meritorum Chriſti, gratiam ſanctificantem peccati remiſſivam operatur.

10 Inſtabis II. Quamvis forte per Pœnitentiæ ritum in Eccleſia uſitatum fiat peccati remiſſio, qui attamen ille ſit verum novæ Legis Sacramentum? cum totus perficiatur ſine

uſu

usu cujuspiam elementi, quod tamen ad Sacramentum requiritur ex sensu Augustini Tract. 80. in Joan. dicentis: *accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.*

Resp. Pœnitentiæ ritum jure dici Sacramentum, cum (ut ex N. 2. & 5. constat) *sit signum sensibile ex institutione Christi causans gratiam*, in quo novæ Legis Sacramenti natura consistit, seu dein signum hoc sit elementum, seu res externa alia. Augustin. autem loco cit. solum de Baptismo loquitur, ut certum est ex ipso textu, quem L. 1. N. 31. integre recitavimus. Multi interim hæc ipsa S. Doctoris verba aliis etiam Sacramentis latiore quodam sensu accommodant: elementi videlicet nomine intelligentes rem quamvis sensibilem, quæ accedentibus verbis sacramentalibus fiat Sacramentum. At istud nos non urget.

Impugnatur jam ipsa ejusd. Assertionis Probatio, & quidem nominatim prima; quasi nempe falso asseratur, Apostolis Joan. 20. datam esse a Christo potestatem peccata remittendi per Sacramentum Pœnitentiæ. Ita autem Sectarii arguunt: hoc loco data est Apostolis potestas in Pœnitentiam illam, quam Prophetæ in suis de Lege Evangelica vaticiniis prænuntiarunt: quamque dein prædicarunt Apostoli, simul potestatem sibi collatam exercentes; at Prophetæ non prænuntiarunt Pœnitentiam, quæ esset Sacramentum: neque talem prædicarunt Apostoli, minus autem ministrarunt; igitur Joan. 20. non est data Apostolis potestas remittendi peccata per Sacramentum Pœnitentiæ. Maj. propos. non controvertitur; Min. autem fundatur in silentio Scripturæ: neque enim ullum est in ea horum vestigium. 11

Resp. C. Maj. N. Min. quæ quia duabus constat partibus, de singulis speciatim dicendum erit.

De *1ma* autem notasse suffecerit: tametsi Prophetæ Sacramentum Pœnitentiæ expressis verbis & explicite non præ-

dixerint; at implicite ſaltem prædixerunt omnibus iis locis, quibus prænuntiarunt Chriſtum Salvatorem, & Legis gratiæ, ſuæque Eccleſiæ auctorem. Cæterum expreſſas etiam hujus nominatim Sacramenti figuras vetus Teſtamentum exhibet; an non enim expiationes & purgationes Moſaicæ, ſaltem aliquæ, jure dici poſſint figura Sacramenti Pœnitentiæ: ſicut vetera baptiſmata erant typus Sacram. Baptiſmi?

Quod ad 2*dam* ejusd. Min. partem attinet: fateor, nullum in S. Literis reperiri locum, quo aperte ſignificentur Apoſtoli Pœnitentiæ Sacramentum prædicaſſe, aut etiam miniſtraſſe. Cum enim Act. 2. 5. 17. & 26. leguntur annuntiaſſe Pœnitentiam, ac etiam de agenda illa cohortationes inſtituiſſe, ſermo illis erat ad Gentiles aut Judæos, Sacramenti Pœnitentiæ nondum capaces; quibus proinde virtutem duntaxat Pœnitentiæ, aut Baptiſmum in pœnitentiam prædicare oportebat. Cæterum & prædicaſſe & miniſtraſſe illos Sacramentum Pœnitentiæ, ſatis evincit id unum, quod Sacramentum hoc fuerit a Chriſto inſtitutum, ut probatum eſt. Ita nuſpiam leguntur Apoſtoli Baptiſmum contuliſſe cum invocatione Trinitatis; ut tamen eos ſic contuliſſe credamus, ſufficienti argumento nobis eſt, voluiſſe Chriſtum Matth. 28. eos docere *baptizantes in nomine Patris &c.* Sunt interim, qui exiſtiment, haud obſcure indicari prædicatum a Petro Pœnitentiæ Sacramentum illis ad Simonem Magum verbis Act. 8. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua &c.* item a Joanne in Ep. 1. C. 1. ubi ait: *ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus Deus, ut remittat nobis peccata &c.* miniſtratum autem a Paulo 2. Cor. 2. cum fornicarium Corinthium, cujus 1. Cor. 5. fit mentio, in gratiam recepit; ita enim de hac ejus reconciliatione loquitur: *ego, quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti.*

Ut ut interim iſtud ſe habeat, Sacramenti Pœnitentiæ veritatem a nobis comprobatam Scripturæ in præſenti ſilentium.

tium, quodcumque demum fit illud, non elidit: conftat quippe non effe fcripta minutim omnia, quæ egerunt Apoftoli, ut vel exemplum de Baptifmi forma allatum fatis docet. Quod autem Baptifmi, Confirmationis, & Euchariftiæ miniftratio ab Apoftolis facta nominatim notetur in Act. Apoft. non item etiam Sacramenti Pœnitentiæ, caufa a congruo in promptu eft: eorum quippe Sacramentorum nafcente Ecclefia frequentior & magis neceffarius fuit ufus, feu ad initiandos fideles, feu ad confirmandos in fide, & corroborandos in gratia; cum ex adverfo rara admodum fuerit Sacramenti Pœnitentiæ neceffitas ob fingularem illam primorum fidelium innocentiam & fanctitatem, quæ in L. Act. Apoft. magnificis elogiis fæpe commendatur.

Si Inftet Sectarius: non eft faltem data Apoftolis poteftas 12
ritu aliquo externo, eoque facramentali, dimittendi peccata; eod. enim Joan. 20. Cap. Chriftus ad Apoftolos dixit: *ficut mifit me Pater, & ego mitto vos;* ficut igitur Chriftus remifit peccata fine ritu externo, fine Sacramento: fic & Apoftolis dedit poteftatem.

Refp. futilem effe argutationem: quando univerfim conftat, non eamdem per omnia fuiffe Chrifti & Apoftolorum miffionem; ut adeo controverti nequeat, τὸ *ficut* in cit. Chrifti verbis non fignificare omnimodam æqualitatem. Ac fane conveniens erat, ut gratiæ divinæ aliter a Domino, aliter a miniftris difpenfarentur.

Contra Affertion. II. argui folet ex illis Matth. 18. ver- 13
bis, quæ Chriftus ante mortem fuam ad Apoftolos dixit: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis fuper terram, erunt ligata & in Cœlo; & quæcunque folveritis fuper terram, erunt foluta & in cœlo.* Hæc nimirum verba prorfus fimilia funt illis Joan. 20. *quorum remiferitis &c.* cur igitur dici nequeat, jam ante mortem fuam Chriftum inftituiffe Sacram. Pœnitentiæ?

 tiæ?

tiæ? Quo & illud facit, quod Thomas non adfuerit, cum Christus post resurrectionem Joan. 20. dixit: *accipite Spiritum S. quorum remiseritis &c.* certum nihilominus est, eum perinde, atque Apostolos alios, habuisse potestatem Clavium.

Resp. in definiendo institutionis hujus tempore niti me potissimum auctoritate Concilii Tridentini, cujus sensum, ac etiam particulæ *præcipue* ab eo adjectæ explanationem N. 7. retulimus. Congrue interim etiam cum D. Thoma dixeris: cit. Matth. loco non agi de potestate Clavium ad remittenda peccata; cum Christus non præmiserit illud, *accipite Spiritum Sanctum;* verum de potestate tantum ferendi sententiam in foro externo per censuras Ecclesiasticas, quod S. Doctor ex contextu probat. Postquam enim isthic Christus præcepit certum in fraterna correctione servandum ordinem, addit: *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus,* hoc est, separatus a communione Ecclesiæ. Quo autem pateret hujus potestatis Ecclesiasticæ efficacia, subjunxit: *amen dico vobis, quæcumque alligaveritis &c.* ubi S. Thomas, *sic dicitur*, inquit, *alligare*, *quia non solvit*, *vel quia excommunicat.* In eumdem demum Matthæi locum recte observat Platellius: Apostolos tum nondum fuisse Sacerdotes, cum tamen potestas Clavium ad dimittenda peccata pro foro interno supponat Sacerdotium.

At Thomas Apostolus, inquies, absens erat Joan. 20. quomodo ergo tum & ipse accepit potestatem Clavium? absentem etiam ajo accepisse vi verborum Christi; cur enim eam summa sua potestate Christus absenti conferre non poterat? Ac revera non Thomæ tantum, sed & reliquis absentibus discipulis collatam docet S. Cyrillus apud Bosco hic Sect. 1. N. 54. Neque tamen propterea etiamnum absentes ordinari posse inferas: tametsi enim istud poterat Christus potestate excellentiæ sibi propria, aliter tamen statuit pro Ecclesia, uti ex ejusdem sensu docemur.

§. III.

§. III.

An Sacramentum Pœnitentiæ sit diversum a Baptismo, ejusque memoria?

JUxta Lutheranos quosdam, & Calvinianos omnes reconciliationis remedium pro baptizato non aliud est, quam ipse Baptismus, vel potius repetita ejus memoria: atque adeo in eorum sententia diversum ab his non est Pœnitentiæ Sacramentum, ut colligitur ex supra dictis N. 4. Idcirco Tridentinum Seff. 14. ad peculiarem hunc Novatorum errorem convellendum, oppositam Ecclesiæ doctrinam pluribus declaravit Cap. 2. ac dein Can. 2. aliter sentientibus anathema dixit, Cum quo & nobis sit peculiaris

ASSERTIO.

Sacramentum Pœnitentiæ a Baptismo & ejus memoria est omnino diversum.

DIversitas hæc I. deducitur ex S. Literis. Numquid enim 14
Christus ipse distinctum dedit mandatum Baptismi & Pœnitentiæ? Baptismi quidem illis Matth. 28. verbis, *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* Pœnitentiæ vero Joan. 20. dicens: *accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata &c.* Et Petrus Act. 8. Simoni Mago, ad obtinendam peccati veniam, non commendat memoriam Baptismi, sed monet nominatim de Pœnitentia, *Pœnitentiam*, inquit, *age ab hac nequitia tua.* Joannes etiam in 1. Ep. C. 1. agens cum baptizatis de remedio peccati, nulla Baptismi mentione facta, *si confiteamur*, inquit, *peccata nostra, fidelis est & justus Deus, ut remittat*

tat nobis. His profecto locis memoratur Pœnitentia, ceu aliud a Baptismo remedium pro baptizatis peccatoribus.

15 Eadem diversitas II. certa est ex sensu Ecclesiæ, quem habemus ex Patribus inter Baptismum & Pœnitentiam distinguentibus. Ita Tertullian. L. de Pœnit. C. 7. præter Baptismum, qui repeti non potest, de alio peccati remedio providisse Deum referens, *intinctionis* (Baptismi) *sera obstructa*, inquit, *aliquid adhuc patere permisit; collocavit in vestibulo Pœnitentiam secundam &c.* quam ipsam ibid. vocat *secundam spem*, & jam antea C. 4. *secundam post naufragium tabulam* dixerat. Et Augustinus Ep. 98. alias 23. ad Bonifacium de peccatis a parvulo baptizato ætatis accessu commissis loquens addit, *quæ non regeneratione auferuntur, sed alia curatione sanantur.* Eamdem distinctionem facit in Enchirid. ad Laurent. C. 46. & omnium clarissime L. 2. de adulter. Conjug. C. 16. jam supra a nobis cit. N. 6. ubi vide & Cyprianum laudatum.

Huc item faciunt omnes PP. per decursum commemorandi, qui post Baptismum lapsos admonent de labore Pœnitentiæ & Clavium Ecclesiæ potestate, non autem Baptismi memoria; ac demum Græcorum & Latinorum in hoc dogma consensio: uti etiam pro fronte hujus L. cit. Decreta Concil. Lateranensis, Constantiensis & Florentini; cumprimis vero Tridentini, quod simul Sess. 14. Cap. 2. multis rationibus ostendit hoc Sacramentum a Baptismo differre. Nempe (ut ibid. arguit) alia est Baptismi, alia Pœnitentiæ materia & forma; idem est de Ministro, subjecto, effectu &c. quidni igitur ipsa etiam Sacramenta diversa esse oporteat?

Satisfit Objectionibus.

16 OBjicitur autem I. Baptismus Luc. 3. vocatur *Baptismus Pœnitentiæ in remissionem peccatorum;* eidem ad Eph. 5. V. 26.

V. 26. attribuitur perfecta mundatio, & Marci ult. salus promittitur: non est igitur, cur Pœnitentia dicatur peculiare, & a Baptismo distinctum Sacramentum.

II. Cum præterea Baptismus non deleatur unquam: cur non perinde deinceps, sicut principio, utilis esse possit ad emundationem & deletionem peccati?

III. Nec alia fuit sententia Patrum, quorum complures cum Fulgentio L. de Fide ad Petrum C. 30. Baptismum vocant Sacramentum Pœnitentiæ. Quin Augustin. L. 1. de Nupt. & Concup. C. 33. & alibi docet, omnia peccata, etiam a baptizato commissa, per ipsum Baptismum remitti; quomodo autem per Baptismum, qui jam præteriit? non utique aliter, quam prout idem in memoriam revocatur.

Resp. ad I. C. Ant. N. Illationem; hanc vero non recte fer' patebit ex eorum explanatione, in quibus argumentum fundant Novatores. Nimirum Lucæ 3. agitur de Joannis Baptismo, qui uti non erat Legis Evangelicæ Sacramentum, ita tota ejus omnino ad remissionem peccatorum efficacia habebatur ex virtute Pœnitentiæ; hinc ab eo ad ipsum Baptismi Sacramentum argui nequit. Vide dicta de Joannis Baptismo L. 2. Differt. II. §. IV. Cum autem Apostolus ad Ephes. scribens perfectam emundationem attribuit Baptismo, loquitur de emundatione peccatorum Baptismum antecedentium; non nego interim, etiam ad ea, quæ a baptizatis committuntur, emundanda aliquid Baptismum conferre in sensu quo Augustini verba in Resp. III. exponemus. Relata demum apud Marcum salutis promissio intelligenda est ex hypothesi: si nimirum gratia per Baptismum accepta non amittatur; vel certe amissa alio remedio recuperetur. Sane, si promissio hæc absoluta foret, cum ibid. dicatur: *qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*, sola fide & Baptismo perveniri posset ad salutem; istud vero sustineri nequit, cum aliis Scripturæ lo-

cis præterea requiratur mandatorum observatio, perseverantia in bono, aut Pœnitentia post lapsum: uti hæc aliunde certa sunt contra Novatores.

Resp. ad II. Baptismum non deleri in sensu orthodoxo non aliud est, quam quod ejus character permaneat, quodque in virtute Baptismi semel suscepti Christiani esse perseveremus; at quod fundamentum est dicendi, hoc titulo competere Baptismo efficaciam peccati post illum commissi remissivam? Sed nec istud volunt Novatores; totum quippe, quod in præsenti urgent, repetunt a sola Baptismi memoria, qua excitari ajunt fidem, hacque dein immediate deleri peccata. At hæc rursum perperam ab eis asseri ex dictis constat; nominatim autem fidem solam non habere vim justificandi, L. I. de Sacr. in Gen. N. 75. jam comprobatum est.

Resp. ad III. Baptismum a Patribus vocari Sacramentum Pœnitentiæ relate ad infideles adultos tantum; neque enim his prodest Baptismus sine prævia pro peccatis Pœnitentia, ut cit. loco testatur Fulgentius. Augustinus autem peccatorum a baptizatis commissorum remissionem eo duntaxat sensu Baptismo attribuit, quod is ad illam virtute Clavium Ecclesiæ per Sacram. Pœnitentiæ obtinendam necessario prærequiratur; hinc eod. C. *quid enim*, inquit, *prodesset vel ante Baptismum Pœnitentia, nisi Baptismus sequeretur: vel postea, nisi præcederet?* Constat præterea ex N. 6. & 15. Augustinum inter Baptismi & Pœnitentiæ Sacramenta disertis verbis discrimen fecisse.

Differ-

DISSERTATIO II.

DE MATERIA ET FORMA SACRAM. POENITENTIÆ.

§. I.

Quibus tanquam materia & forma perficiatur Pœnitentiæ Sacramentum?

QUæſtio hæc in re nobis idem eſt, ac ſi quæras: quæ illa ſint, quæ requiruntur ad id, ut revera habeatur Pœnitentiæ Sacramentum?

Orthodoxorum doctrina, & Novatorum error.

AD hoc quæſitum DD. Catholici conſentientibus omnino 17
reſpondent ſuffragiis: requiri videlicet contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem pœnitentis; tum & Sacerdotis abſolutionem. Inde lis tota, quæ inter eos eſt, in eo duntaxat definiendo verſatur: quidnam horum habeat rationem partis intrinſece conſtituentis Sacramentum? quæ, ut vides, controverſia fori eſt Metaphyſici: unitatem proinde doctrinæ Theologicæ non diſtrahit, ut videre eſt apud Pallavic. L. 12. Hiſt. Conc. Trid. C. 10. & 12. ubi teſtatur, nullam in præſenti DD. Orthodoxorum opinionem Concilium perſtringere voluiſſe. Aliter ſe habet diſſidium Novatorum: qui, uti in definienda hujus Sacramenti veritate, ita in iis, quæ ad illud perficiendum requiruntur, a nobis diſſentiunt. Luthero quippe ad id ſufficiunt *terrores conſcientiæ, & fides ex Evangelio vel abſolutione concepta de remiſſione peccati:* Calvino autem

 morti-

mortificatio vitiorum & *vivificatio*, seu pium bene vivendi studium, de quibus consule Bellarm. L. I. de Pœnit. C. 18. 19. & 20. ubi simul errores hos singillatim confutat.

Idem ut nos contra Novatores generatim præstemus, satis fuerit ad mentem Conciliorum doctrinam orthodoxam stabilire, definiendo scilicet: quæ ad perficiendum Pœnitentiæ Sacramentum requirantur; quid item horum sit tanquam materia & tanquam forma ejusdem Sacramenti.

ASSERTIO.

Sacramentum Pœnitentiæ perficitur pœnitentis contritione, confessione, & satisfactione tanquam materia proxima: Sacerdotis autem absolutione tanquam forma.

Ac hæc quidem ad perficiendum Pœnitentiæ Sacramen-
18 tum requiri, vel id argumento est: quod illud Christus ad modum judicii instituerit; in hoc vero, quis nesciat? præter sententiam judicis, adesse oportere notitiam delicti, & pro eodem satisfactionem, ut reus absolvatur. Contritio autem (contra quam in humano judicio) propterea nominatim est necessaria: quia ex lege hujus providentiæ non fit unquam peccati remissio sine prævia ejus retractatione. Ex his porro pœnitentis contritionem, confessionem, & satisfactionem esse instar materiæ, absolutionem vero Sacerdotis instar formæ illud evincit: quod per hanc memorati actus, qui ex se indifferentes sunt ad rationem Sacramenti, ad eamdem determinentur.

Doctrinam hanc expressis verbis tradit Concil. Tridentinum, dum Sess. 14. Cap. 3. dicit: *sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio*, quod ipsum Can. 4. definit; eodemque Cap. statim principio docet, *Sacramenti Pœnitentiæ formam, in*

qua

qua præcipue ipsius vis sita est, *in illis Ministri verbis positam esse : ego te absolvo &c.* Ubi observandum : non dici *totam*, sed *præcipuam* vim sitam esse in absolutionis forma ; vis igitur hujus Sacramenti sita est in alio etiam præterea, in materia videlicet, seu in actibus pœnitentis. Præcipue interim sita est in absolutionis forma, quia hæc determinat actus pœnitentis ad rationem Sacramenti. Quibus plane congruit sententia D. Thomæ hic qu. 86. Art. 6. ac etiam Eugenii IV. in Concil. Florent. peculiare Decretum pro Arm. cujus verba sub init. hujus L. retulimus.

Veritas Assertionis amplius innotescet ex Responsis ad Objecta : cumprimis autem ex iis, quæ seqq. §§. de actibus pœnitentis, & absolutione sacramentali copiose differemus. Hic, ad plenius intelligendam Assertionem, prævie animadvertisse juverit

I. Cum Confessio (idem deducitur ex contritione & satisfactione, ac etiam absolutione) ad Sacram. Pœnitentiæ requiratur instar materiæ proximæ, ultro consequitur, ejusdem Sacramenti remotam materiam esse peccata ab homine baptizato commissa ; hæc quippe sunt id, circa quod prædicti actus versantur. Dictum autem est, *peccata a baptizato commissa :* quia Sacramentum Pœnitentiæ non est institutum in remedium peccati originalis, aut etiam actualium Baptisma antecedentium. Id quod constat tum sensu & praxi Ecclesiæ eorum Confessionem non admittentis : tum ex Tridentino Sess. 6. Cap. 14. ubi *pro iis*, inquit, *qui post Baptismum in peccata labuntur*, *Christus Sacramentum instituit Pœnitentiæ ;* quod ipsum Sess. 14. Cap. 1. repetit. Quid quod Sacramentum hoc rationem judicii habeat, *Ecclesia autem* (ut ait Trident. Sess. 14. C. 2.) *in neminem judicium exercet*, *qui non prius in ipsam* 19

 per

per Baptismi januam fuerit ingressus ; quid enim mihi, inquit Apostolus, de iis, qui foris sunt, judicare ?

Inter ipsa interim peccata post Baptismum admissa discrimen faciendum est. Quamvis enim omnia sint hujus Sacramenti materia remota sufficiens : non tamen etiam perinde necessaria. Et peccata quidem mortalia necessariam esse materiam, certum est ; neque enim remitti possunt sine hoc Sacramento in re vel in voto suscepto ; unde ea in Confessione aperire oportet, ut constat ex Trident. Sess. 14. Cap. 5. ac propterea Sacram. Pœnitentiæ vocatur *Sacramentum reconciliationis.* Contra, cum peccata venialia nec teneamur confiteri, eademque aliis remediis expiari possint juxta Trident. cit. Cap. 5. non sunt materia hujus Sacramenti necessaria.

20 II. Quamvis satisfactio habeat rationem materiæ in Pœnit. Sacramento, nón est tamen ad illud absolute necessaria, nec *essentialiter* (ut dicitur) requisita : nam & suus Sacramento huic, in aliquibus saltem casibus, valor constare potest, quin ulla injungatur satisfactio, e. g. cum absolvitur moribundus jam sensibus destitutus, omnisque propterea satisfactionis implendæ incapax ; & universim præcipuus Sacramenti Pœnitentiæ fructus, culpæ videlicet remissio, ante satisfactionem re ipsa exhibitam obtinetur. Pro quo plenius intelligendo juverit notasse duplicem hujus Sacramenti acceptionem. Sumitur nimirum primo *essentialiter*, seu prout est signum practicum remissionis culpæ ; sicque sumptum non includit necessario satisfactionem ex rationibus jam dictis. Sumitur item *integraliter*, prout nempe, spectata Sacramenti integritate, est simul signum practicum tam culpæ quam pœnæ temporalis remissivum ; atque sub hac acceptione requirit etiam satisfactionem, quæ propterea dicitur ejus *materia* vel *pars integralis*, seu ad Sacramenti integritatem requisita.

Sol-

Solvuntur Objectiones.

OBjicitur I. generatim contra *1mam* Assertionis partem. 21
Id, quo tanquam materia proxima Sacramentum aliquod perficitur, est partialis causa ex opere operato efficiens gratiam Sacramento propriam; at memorati actus pœnitentis causa ejusmodi esse nequeunt gratiæ Pœnit. Sacramento propriæ; nequit igitur illis tanquam materia proxima Sacram. Pœnitentiæ perfici. Maj. certa est tam ab exemplo Sacramentorum aliorum; quam etiam ex eo, quod materia & forma sint ipsum Sacramentum: sicut igitur hoc, ita & illa, ejusmodi causam esse oportet. Pro Min. autem facit *1mo*, quod actus pœnitentis sint prævia dispositio ad sacramentalem Pœnitentiæ gratiam; *2do*, quod iidem, saltem omnes, non existant tum, dum Sacerdote sacramentaliter absolvente hæc gratia causatur; *3tio*, quia alias recte diceretur, ipsum pœnitentem sibi remittere peccata: sicut Sacerdos non alia causa dicitur illa remittere, quam quod per actum absolutionis a se positum causet gratiam peccati remissivam.

Resp. C. Maj. N. Min. Nec urgent ejus probationes. Non *1ma:* nam pœnitentis actus non sunt mera dispositio ad Pœnitentiæ Sacramentum, verum (in quo nihil est repugnantiæ) simul ejus materia & partes, ut constat ex Trident. Sess. 14. Cap. 3. Non *2da:* tametsi enim hi actus non physice, at moraliter saltem cum ipsa absolutione conjunguntur vel ideo, quod ad eam referantur; qua ipsa causa in judiciis accusatio rei cum sententia judicis uniri dicitur. Hæc vero moralis conjunctio in præsenti cur non sufficiat? quando universim Sacramenta solum moraliter causant gratiam. Non *3tia* denique: quia Sacerdos idcirco recte dicitur remittere peccata, quod gratiam eorum remissivam causet nominatim per actionem judici propriam; actus autem a pœnitente positi

positi non sunt judicis, sed rei. Fundatur autem istud in eo, quod Pœnit. Sacramentum ad modum judicii sit institutum; is igitur solum in eo remittit peccata, qui causat gratiam per actionem judicialem, quod soli Sacerdoti convenit.

22 Instabis: si actus pœnitentis sint materia hujus Sacramenti, cur non etiam manus impositio? Certe e Patribus quidam cum Augustino L. 5. de Bapt. C. 20. & 23. Sacramentum Pœnitentiæ vocant *manuum impositionem;* & Concil. Carthaginense IV. Can. 78. ait: *Pœnitentes, qui in infirmitate Viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si convalescant.* Igitur manus impositione perinde ac pœnitentis actibus hoc Sacramentum perficitur; at non tanquam ex forma, cum ex se sit ad rationem Sacramenti indifferens; ergo tanquam materia, quæ videlicet per Sacerdotis absolutionem evadat Sacramentalis. Aut si denique hæc dici nequeat Sacramenti Pœnitentiæ materia: pari jure prærogativa eadem neganda erit actibus pœnitentis.

Resp. Fuisse omnino Theologos, qui manus impositionem contenderent esse materiam proximam, eamque essentialem hujus Sacramenti: ut nominatim Marianus Victorius L. de Sacram. Confess. C. 13. & quidam ætate S. Thomæ, quos Opusc. 22. C. 4. refellit. At sententia hæc omni caret probabilitate; nec recte arguitur ab actibus pœnitentis. Etenim 1*mo*, Florent. & Trident. Concilia minutim enumerant ea, quæ partium instar & materiæ ad hoc Sacramentum requiruntur, atque inter hæc referunt actus pœnitentis: manus autem impositionis ne meminerunt quidem. 2*do*, usu & praxi Ecclesiæ constat, sine pœnitentis actibus non ministrari Pœnit. Sacramentum: ministrari contra sine manuum impositione. Adhibebatur illa quidem primis Ecclesiæ Seculis, at (ut in Baptismo) non nisi per modum cæremoniæ accidentalis: quia interim eadem cum absolutione sacramentali con-

conjungebatur: ipsum Pœnitentiæ Sacramentum *manus impositionis* nomine PP. quidam cum Augustino compellarunt.

Sciendum est porro, hanc manuum impositionem olim fuisse duplicem; una fiebat in ipsa Pœnit. Sacramenti administratione; extra illam altera, eaque tantum super publicos pœnitentes. Universim autem illam non fuisse sacramentalem vel inde patet: quod teste Cypriano Ep. 10. & 12. non Presbyteri tantum, sed & inferiores Clerici manus imponerent; eademque cæremonia etiam post perceptam a pœnitentibus Eucharistiam adhiberetur, ut constat ex laud. Concilio Carthaginensi. Inde cum in eo dicitur, *pœnitentes non esse absolutos sine manus impositione, si convalescant*, sensus Canonis est: eos pœnitentes publicos, qui nondum expleta pœnitentia, ob periculum mortis, a Sacerdote sacramentaliter absoluti remissionem culpæ obtinuerunt, ac propterea etiam sacro Eucharistiæ viatico refecti sunt, restituta sanitate, oportere pœnitentiam publicam continuare, & cum pœnitentibus reliquis accipere manus impositionem, quæ durante Pœnitentiæ tempore sæpius repetebatur juxta ejusd. Concilii Carthag. Can. 80. At de hoc manuum impositionis ritu per decursum adhuc recurret sermo, præsertim Dissert. V.

Objicitur II. speciatim adversus Contritionem. Univer- 23
sim materiam Sacramenti oportet esse sensibilem; cum ergo contritio, quæ in actu interno consistit, sensibilitate careat, nequit esse materia hujus Sacramenti.

Resp. ad rationem materiæ satis esse, seu ea sit per se, seu per aliud sensibilis; contritio autem actu interno peracta sufficienter redditur sensibilis per confessionem, aut quodvis aliud signum externum. Certe & Corpus Christi in Eucharistia per species duntaxat est sensibile: ex Theologorum sententia nihilominus est materia Sacramenti Eucharistiæ jam existentis.

24 Objic. III. contra Confessionem. Cum juxta Concil. Florentinum Sacramenta perficiantur *rebus*, *tanquam materia*, & *verbis*, *tanquam forma*, Confessio autem peragatur verbis, videtur ea potius habere rationem formæ, quam materiæ.

Resp. Ex mente Florentini Sacramenta *verbis tanquam forma* perfici dicuntur propterea, quod sine verbis proprie talibus non habeatur Sacramentorum forma, nisi forte Matrimonium excipias; quanquam & hujus formam multi in solis verbis reponant. Jam vero Confessio, etsi ut plurimum fiat per verba, eadem nihilominus etiam aliis signis peragi potest, ut fit a mutis, vel moribundis linguæ usu destitutis. Præterea in Sacramentis universim nomine materiæ venit illud sensibile signum, quod ex se indifferens est ad rationem Sacramenti; dubitari autem nequit, Confessionem ita esse indifferentem, neque eam reddi sacramentalem nisi per absolutionis verba; vero igitur sensu dici potest hujus Sacramenti materia. Verum

25 Instabis: generatim saltem dici non potest, Confessionem peccatorum a baptizato admissorum esse materiam proximam Sacram. Pœnitentiæ; nam nec finalis impœnitentia baptizati est materia remota hujus Sacramenti: non etiam peccatum ipso Baptismi actualis tempore commissum, cum juxta Trident. Sess. 6. C. 14. Sacramentum hoc institutum sit *pro iis, qui post Baptismum in peccata labuntur*, hoc vero peccatum (ut casus fert) non esset hominis *post Baptismum lapsi*; quomodo igitur confessio eorum sit materia proxima?

Resp. N. Assertum. Quod enim impœnitentia finalis sacramentali confessione expiari nequeat, propterea duntaxat est, quod ut talis importet exclusionem temporis ad agendam Pœnitentiam requisiti. Quod vero ad alterum attinet, dicendum existimo: peccatum eo ipso temporis momento, quo complete perficitur Baptismus, admissum, omnino esse mate-

riam

riam remotam Sacramenti Pœnitentiæ. Etenim peccata *a fidelibus Christi commissa* sunt id genus materia, cum aperte doceat Tridentin. Sess. 14. Cap. 5. *Christum - - Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquisse, tanquam præsides & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderunt*; at peccatum hoc temporis momento admissum esset utique *Christi fidelis*, quia nunc baptizati, ergo &c. Ac vel ideo verba ex ejusd. Tridentini Sess. 6. objecta sensu (ut dicimus) *positivo* duntaxat, non autem *exclusivo* accipienda sunt. Aliis videtur hoc loco assignari tantum materia certa, uti sunt peccata post Baptismum commissa: relinqui autem Theologorum disceptationi, num & peccata, in quæ quis sub actuali susceptione Baptismi labitur, subjecta sint Clavibus Ecclesiæ.

Objicitur IV. contra Satisfactionem. Si Satisfactio sit materia Sacramenti Pœnitentiæ, sequitur: eam non integralem tantum, sed essentialem illius esse materiam, atque ad ipsum ejus præcipuum fructum, remissionem videlicet culpæ, omnino necessariam. Nisi enim istud ita se habeat, cur Trident. Sess. 14. Cap. 8. declarat, Sacerdotes teneri Satisfactionem imponere? cur item PP. dicunt Satisfactione purgari peccata? cur denique ex ritu veteris Ecclesiæ satisfactio a Sacerdote injuncta præmittebatur absolutioni? Quid quod Sacramentum hoc ex institutione Christi sit judicium vindicativum, quod ex genere suo satisfactionem includit. 26

Resp. N. Illation. Quod autem imponi debeat Satisfactio, in causa est Sacramenti integritas, quæ a Sacerdote (cum fieri potest) procurari debet; non habetur autem sine satisfactione. Absque illa nihilominus ratum esse quoad substantiam Pœnitentiæ Sacramentum, constat ex N. 20. Ex mente dein Patrum per Satisfactionem purgantur solum peccata venialia quoad culpam: mortalia autem quoad reliquias,

 seu

ſeu pœnam temporalem, inclinationes pravas ex illis relictas &c. aut certe ipſa etiam mortalia quoad culpam, ſi ſatisfactio cum perfecta contritione conjungatur. Quod autem de veteris Eccleſiæ ritu adfertur, ſpectato Hiſtoriæ Eccl. & Conciliorum teſtimonio, diſtinctione opus habet. Quamvis enim veteres abſolutionem a gravioribus peccatis publicis, ante expletam pœnitentiam fere non concederent pro foro externo: ac etiam nonnunquam pro interno, quod & nunc in certis caſibus ad cautelam & probationem pœnitentis uſitatum novimus; ut plurimum attamen eam pro foro interno concedebant, quin moribundis etiam pro externo, cum eos ſacri Euchariſtiæ viatici participes reddiderint, ut certum eſt ex ſupra laud. Concil. Carthaginenſi, patebitque amplius ex hujus Diſſert. §. IV. & Diſſert. V. Demum (quod poſtremo opponitur) Sacram. Pœnitentiæ ſolum quoad integritatem ſpectatum habet judicii vindicativi rationem: quoad ſubſtantiam autem & eſſentiam eſt reconciliationis duntaxat judicium, quod ſine ſatisfactione peragi poteſt.

27 At ex adverſo forte argues: cum Sacramenti Pœnitentiæ ſubſtantia ſine ſatisfactione haberi, hæcque illam conſequi poſſit: videtur ſatisfactionem ne integralem quidem materiam eſſe hujus Sacramenti. Numquid enim quælibet Sacramenti materia partialiter ſaltem, ſignificare & cauſare debet effectum ſacramentalem? numquid eadem per formam determinanda eſt ad rationem Sacramenti? in hac autem ſententia neutrum horum ſatisfactioni convenire poteſt, ergo &c.

Reſp. Cur, & quo ſenſu ſatisfactio ſit materia integralis, ſatis conſtat ex jam dictis N. 20. quæ ipſa proinde ad expediendam Adverſarii dubitationem ſuffecerint. Nimirum, cum Sacramento Pœnitentiæ ſuus quoad ſubſtantiam conſtet valor ſine ſatisfactione, abſque hac illud perfecte ſignificat & cauſat effectum Sacramenti præcipuum, hoc eſt, remiſſionem culpæ

culpæ & pœnæ æternæ; at cum idem sine satisfactione integritatem suam non habeat; nec sit proinde signum practicum, perfecte significans & causans etiam pœnæ temporalis remissionem, plane consequitur, ipsam etiam Satisfactionem in partem venire hujus sacramentalis significationis & efficientiæ. Nec magis urget alterum vel ideo, quod Sacramentum Pœnitentiæ ad modum judicii sit institutum. An non enim in humano judicio vindicativo vindicta, quamvis sequatur judicis sententiam, per hanc tamen sensu morali sufficienter determinatur ad rationem vindictæ judiciariæ? cur non igitur perinde satisfactio per absolutionem moraliter determinetur ad id, ut sacramentalis evadat? præsertim, cum Sacerdos, ceu Judex, absolutionem impertiat cum respectu ad satisfactionem cum tempore implendam, imo & præsens ejus implendæ propositum. Moralis porro hæc determinatio in præsenti sufficit, cum & ipsum Pœnit. Sacramentum sit morale duntaxat compositum: quin & satisfactio, licet re ipsa absolutionem consequatur, eamdem nihilominus etiam moraliter antecedit, in ipso videlicet satisfaciendi proposito.

Objicitur V. contra *2dam* Assertionis partem. Sola Sa- 28
cerdotis absolutio causat gratiam Sacramento Pœnitentiæ propriam; sola igitur illa perficitur totum Sacramentum: quodque hinc consequitur, non forma duntaxat, sed & materia est hujus Sacramenti. Est autem Asserti ratio triplex. *1mo*, nam sola absolutio significat gratiam peccati remissivam, ut patet ex ejus verbis, *absolvo te a peccatis*; universim autem in Sacramentis id, quod significat, etiam causat gratiam, cum sint signa practica gratiæ. *2do*, quia in Sacramento Pœnitentiæ solus Sacerdos est judex; at in omni judicio sola judicis sententia significat & causat liberationem rei a delicto; ergo etiam in hoc sacramentali judicio. *3tio*,

ſolus enim Sacerdos conficit Sacramentum Pœnitentiæ; atqui is non aliud ponit, quam abſolutionem; hæc igitur ſola eſt Sacramentum: ſola proinde etiam cauſat gratiam.

Reſp. N. Ant. Ad rationem 1*mam* dicendum: ſolam quidem abſolutionem ſpectata hominum inſtitutione ſignificare memoratam gratiam, cum voces illæ, *abſolvo te a peccatis*, ab hominibus inſtitutæ ſint ad ſignificandam peccati remiſſionem; ex inſtitutione attamen Chriſti, qui actus pœnitentis ad rationem Sacramenti evexit, his etiam practica ejusdem remiſſionis ſignificatio convenit. Reſponſio hæc fundatur in Tridentini verbis ſupra N. 18. Verſu *Doctrinam hanc &c.* relatis, præſertim in addita ibid. a Concilio particula *præcipue*. Ad rationem 2*dam*, D. Maj. ſolus Sacerdos eſt judex, ſic tamen, ut Chriſtus ſimul actus pœnitentis eſſe voluerit ſignum practicum gratiæ ſacramentalis C. ſecus N. admiſſa dein Min. negatur Illatio. Nimirum, quamvis Pœnitentiæ Sacramentum ad modum judicii ſit inſtitutum: non eadem attamen eſt ejus in omnibus, quæ humani, ratio. Ad 3*tiam* ration. admiſſa Maj. Diſt. Min. Sacerdos ponit ſolum abſolutionem, per hanc ipſam attamen actus pœnitentis determinat ad rationem materiæ ſacramentalis C. ſecus N. Min. cum Illat. Atque hinc patet, cur ſolus Sacerdos conficiat Sacramentum: univerſim enim is cauſare cenſetur compoſitum, qui forma in ejus materiam inducta determinat compoſiti ſpeciem. Obvia in hanc rem ſe offerunt vel in artefactis exempla.

§. II.

§. II.

Quæ contritio sit sufficiens ad Sacramentum Pœnitentiæ?

ANtequam de proposita quæstione statuamus, compendio præmittemus ea, quæ pertinent ad contritionis naturam, efficaciam, conditiones, & Doctorum in præsenti controversia opiniones.

Definitio & divisio contritionis.

I. COntritio generatim sumpta ex mente Tridentini Sess. 14. C. 4. *est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero*; eademque ibid. dividitur in *perfectam & imperfectam*. Perfecta, quæ simpliciter vocatur *Contritio*, est dolor ex motivo charitatis procedens; cum juxta Trident. sit *charitate perfecta*. Talis porro ut sit, non requiritur dolorem conjungi cum expresso Dei amore: verum satis est eum procedere ex charitatis motivo, propter offensum videlicet Deum, in se bonum; hoc solo enim actus ejusmodi pertinet ad Virtutem Charitatis, fitque charitate perfectus. Imperfecta contritio, seu *Attritio*, ex eod. Trid. est, quæ *vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, cum spe veniæ*, ita ut *voluntatem peccandi excludat*. Hinc vero ultro consequitur, cum turpitudo peccati elucescat ex ejusdem oppositione cum virtute, dolorem, ex cujuslibet etiam moralis virtutis motivo conceptum, esse veram attritionem. Præterea, cum loco cit. *gehennæ & pœnarum* nominatim meminerit Concilium, quidni ex sensu illius vera sit attritio, quæ vel ex metu temporalis 29

alicu-

alicujus pœnæ procedat: modo attamen hic ipse metus referatur ad pœnam, prout a Deo malorum vindice infligendam. Est nimirum attritioni (de qua agimus) necessaria quædam ad Deum relatio; tum quod per eam detestari oporteat peccatum theologice acceptum, seu, ut est legis divinæ trangressio; tum quod per eamdem creatura convertatur ad Deum, conversio autem hujusmodi sine aliqua ad Deum relatione haberi nequeat.

30 II. Quamvis de attritionis, ex turpitudinis peccati consideratione procedentis, honestate facile consentiant omnes: eamdem nihilominus quidam abjudicant attritioni ex pœnarum metu conceptæ; quin Lutherus, Baius, Jansenius, ac post hos Carolus ab Assumptione in suo sub nomine *Germani Philalethis* Opusculo de Contrit. C. 1. §. 4. docent, ex solo pœnæ timore operari, esse peccatum hypocrisis. Ego non diffiteor, converti ad Deum ex timore pœnæ, esse timorem *servilem*: uti ex adverso *filialis* est, cum conversio fit ex timore culpæ. At enim cum D. Thoma 2. 2. qu. 19. Art. 4. inter ipsum servilem metum discrimen faciendum est.

Alius quippe est (ut dicitur) *serviliter servilis*; cum videlicet quis de peccato dolet ex solo pœnæ metu in sensu exclusivo ita, ut implicite saltem hoc modo tendat: *doleo me peccasse, quia Deus peccatum punit; non dolerem, nec peccare desinerem, si non puniret.* Atque hic dolor omnino non est honestus, ut qui affectum ad peccatum includit sub ea conditione, quæ peccati malitiam non removet.

Alius timor dicitur *non serviliter servilis*; ut si de peccato, abstracta nunc quidem ab aliis motivis mente, ex pœnæ metu doleas, nec tamen alia motiva excludas, huncque fere tendendi modum attritio habeat: *doleo me peccasse, nec deinceps peccabo, quia Deus peccatum punit.* Hanc jam vero attritionem actum esse honestum ajo, quin & salutarem, si moti-

motivum ejus per lumen supernaturale cognoscatur. Nimirum, attritionis hujusmodi motivum est timor Dei, ut malorum vindicis, idemque omnem peccandi voluntatem excludens: sicut igitur hic rectæ rationi conformis est, proinde honestus, sic & actus ex eo procedens. Ac revera nisi istud ita se habeat, qui fieri poterat, ut S. Literæ & SS. PP. sæpe sola pœnarum comminatione ad bene operandum nos excitarent? *Omnis arbor*, ait Christus Matth. 7. *quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Similia legere est Gen. 2. Matth. 10. Luc. 13. & alibi. Ex Patribus autem vel Augustinum audire suffecerit. *Timor* (inquit ille Serm. 13. de verb. Apost.) *servus est, charitas libera est; & ut sic dicamus, timor est servus charitatis. Ne possideat diabolus cor tuum, præcedat servus in corde tuo, & servet Dominæ venturæ locum. Fac vel timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ.* Atque inde est, quod Trid. cit. C. 4. attritionem hujusmodi declaret, *non solum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem: verum etiam donum Dei esse, & Spiritus S. impulsum;* imo etiam contrarium sentientes anathemate feriat tam Sess. 6. Can. 8. quam Sess. 14. Can. 5. Huc faciunt etiam ab Alex. VIII. damnatæ Propos. 14. & 15.

Efficacia contritionis extra Sacramentum.

I. CErta est contra Bajum sententia, vi contritionis perfectæ, extra ipsum Sacramentum, remitti peccata etiam gravia. Contritio hæc videlicet includit charitatem, hæc vero *operit multitudinem peccatorum* 1. Pet. 4. & universim dicit Deus, *ego diligentes me diligo.* Prov. 8. unde Augustinus Tract. 5. in Epist. Joan. *per hanc*, inquit, *dilectionem peccata solvuntur.* Plura in hanc rem tam Scripturæ quam Patrum testi- 31

testimonia passim apud alios leges; nobis præcipuum momentum sit Tridentin. quod Seff. 14. C. 4. docet, contritionem charitate perfectam *hominem Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum* (Pœnitentiæ) *actu suscipiat: ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.* Inde contraria doctrina a Pio V. & Gregorio XIII. damnata est in Baji Propof. 31. 32. 66. & 68.

At, quæres fortasse, num contritio perfecta quælibet hac efficacia polleat? quælibet omnino, modo ea sit *appretiative* summa, hoc est ejusmodi, vi cujus contritus peccatum detestetur super omnia alia mala, deque illo admisso super omnia doleat, atque ita comparatus sit, ut quodvis malum aliud pati velit potius, quam peccare. Fundatur hæc doctrina in pluribus Scripturæ locis, quibus videlicet ad justificationem peccatoris requiritur conversio ad Deum ex toto corde & anima tota, ut Deut. 4. *Cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Eadem habentnr 3. Reg. 8. item Joel 2. & alibi. Id interim universim verum est: si contritio charitate perfecta sit, eam hoc ipso esse *appretiative* summam. Fieri etenim nequit, ut Deus (quod contritionis perfectæ est) diligatur super omnia: nec tamen quibuslibet creaturis præferatur; quod si fiat, necesse est contritionem esse *appretiative* summam. Ex his autem ultro colligitur, ad hunc remissionis obtinendum effectum, non requiri in contritione certum aliquem intensionis gradum, aut longiorem ejus durationem. Quod enim hæc exigendi fundamentum? neutrum certe Scriptura aut PP. commemorant, cum contritioni peccatoris reconciliationem attribuunt.

32 II. Quod attinet ad efficaciam Attritionis, tametsi per eam extra Sacramentum non fiat culparum mortalium remissio, fit nihilominus venialium. Eruitur autem istud ex Trident.

dent. quod Seff. 14. Cap. 5. docet, *venialia in Confessione citra culpam taceri, multisque aliis remediis expiari posse;* non igitur sola contritio est hujusmodi remedium, sed & attritio a justo elicita. Quomodo enim alias plura forent remedia? hæc inter profecto censeri non possunt bona opera justi secundum se spectata; cum enim in hac providentiæ lege nusquam fiat peccati remissio sine pœnitentia, cum hac utique conjungi necesse est ipsum opus bonum, quo remissionis efficaciam habeat. Aut si denique ex se ipso opus bonum justi hac efficacia polleat, potiori jure eadem attritioni attribuenda erit.

Si porro quæras: num attritio quælibet sufficiat ad remissionem venialium? affirmandum censeo relate ad eas veniales culpas, ad quas vi motivi sui attritio se extendit. Quo enim fundamento prærogativa hæc attritioni concedatur uni, negetur contra alteri? At enim, inquies, hinc consequi 1*mo*, quamvis attritionem habere vim remissivam venialium æqualem cum contritione perfecta; 2*do*, venialia per Sacramentum Pœnitentiæ nunquam expiari, cum id jam antea præstet attritio Sacramento præmissa. Neutrum ajo consequi. Non 1*mum*: nam contritio perfecta est venialium remissiva etiam tum, dum ea cum mortalibus conjungitur, quod attritioni non convenit. Non etiam 2*dum*: quamvis enim in Confessione, qua justus se accusat de solis venialibus, hæc omnino vi attritionis præmissæ jam ante sacramentalem absolutionem condonentur: at eadem remitti virtute Sacramenti tum saltem certum est, dum ab homine attrito simul cum mortalibus subjiciuntur Clavibus Ecclesiæ.

Conditiones contritionis Sacramentalis.

I. Contritionem, seu demum *perfecta* seu *imperfecta* sit, dum ea cum Pœnitentiæ Sacramento conjungitur, certis 33

 con-

conditionibus inſtructam eſſe oportet. Sunt vero illæ ex communiore Theologorum ſententia ſequentes.

1mo, Ut præcedat aut ſaltem concomitetur abſolutionem; ſequi certe eam non ſufficit, cum indignus ſit abſolvi a peccatis, qui ea nondum deteſtatus eſt. Eadem nihilominus contritio ſufficiens videtur ad Pœnitentiæ Sacramentum, tametſi Confeſſionem non antecedat, modo illam ſubſequatur, ipſaque confeſſio ad abſolutionem ordinetur; id quod vel ſenſus fidelium & praxis Confeſſariorum ſatis docet. Expedit interim, ac omnino in praxi curandum eſt, ut dolor ipſi etiam confeſſioni præmittatur; periculum quippe eſt in mora illa modica, quæ confeſſionem inter & abſolutionem intercedit, ne pœnitens doloris obliviſcatur; aut non doleat ſerio.

2do, Ut contritio ſit dolor *formalis*; unde non ſufficit *virtualis*, is videlicet, qui includitur in actu charitatis, aut alio pio motu voluntatem peccandi excludente. Nimirum Florent. & Trident. jam alias cit. pro materia hujus Sacramenti requirunt contritionem; hoc nomine autem abſolute prolato intelligitur dolor *formalis*: eumque nominatim intellexiſſe laud. Concilia patet ex contextu, in quo expreſſis verbis dicitur, ad contritionem hanc pertinere, *ut doleat de peccato*, eam eſſe *dolorem ac deteſtationem*, *&c.*

3tio, Ut hic dolor ſit re ipſa talis, ac etiam ſupernaturalis. Quod ſi enim exiſtimatus duntaxat ſit dolor, exiſtimatio hæc quidem excuſat pœnitentem a peccato: non ſupplet attamen defectum materiæ ad Sacramentum neceſſario requiſitæ, hoc eſt, veræ contritionis. Hæc eadem ſi mere naturalis ſit, uti conducere nequit ad vitam æternam, ſic nec ad juſtificationem per Sacramentum obtinendam. Inde Trident Seſſ. 6. Can. 3. anathema pronuntiat in eos, *qui dixerint, ſine Spiritus S. inſpiratione atque ejus adjutorio hominem poſſe pœnitere, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur.*

4to

4to demum, Contritionem oportet esse universalem hoc sensu, ut ad omnia mortalia se extendat; cum enim unum mortale non remittatur sine alio, nec ullum vi hujus Sacramenti sine dolore, ultro consequitur, contritionem cum Sacramento Pœnitentiæ conjunctam extendi debere ad omnia mortalia saltem nondum remissa. Mortalia inquam: de venialibus enim res aliter se habet; cum unum veniale sine altero remitti possit.

II. Quod si jam vero contritio his conditionibus instru- 34
cta sit, fieri nequit, ut eadem non conjungatur cum emendandæ vitæ proposito, eoque efficaci & universali, sine quo pariter hujus Sacramenti valor constare non potest. At num propositum hoc perinde, ac de dolore dictum est, *formale* esse oporteat? inter DD. controvertitur. Mihi cum Suarez probabilius videtur sufficere propositum *virtuale*, inclusum videlicet in efficaci peccatorum detestatione ac dolore. Evenire nimirum potest, ut quis detestationi peccatorum ita sit intentus, ut nihil omnino cogitet de futura vitæ emendatione; quod si jam vero hic serio ac efficaciter de peccatis doleat, hocque suo dolore excludat omnem peccandi voluntatem, cur non possit per Pœnitentiæ Sacramentum justificationis gratiam obtinere? Sane virtuale hoc propositum sufficit ad explicandum Concilium Trident. indefinite requirens emendationis propositum; neque ullo argumento certo probari potest propositi formalis necessitas.

Doctorum Opiniones de Contritione ad Pœnit. Sacramentum sufficiente.

QUod §. hoc ex proposito discutiendum suscepimus, argu- 35
mentum est hodie etiam inter DD. orthodoxos controver-

sum,

ſum, ac in eo verſatur : quæ nominatim contritio ſufficiat ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ ? an eam videlicet ex motivo charitatis procedere, ac proinde *perfectam* eſſe oporteat? an potius *imperfectā* etiam, ſeu attritio ſufficiat? Varias de hoc ſententias legere eſt apud Viva in Propoſ. 15. ab Alexandro VII. damnatam, quas omnes ad quatuor claſſes commode reduxeris.

1ma eſt antiquorum quorundam, cum Magiſtro ſent. S. Bonaventura, & Occamo ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem requirentium contritionem perfectam. Atque hi (ut obſervat Suarez) exiſtimabant, per abſolutionem Sacerdotis non remitti peccata, verum declarari duntaxat jam antea per contritionem remiſſa. At enim iſtud jam poſt Trident. ſuſtineri nequit; inde veterum horum auctoritate fruſtra ſibi blandiuntur Recentiores, qui pariter contritionem perfectam requirunt.

2da cum Sotto & Navarro requirit contritionem ſaltem exiſtimatam ; horum proin opinione in eo ſolum pœnitente attritio ſufficit, qui bona fide ſe putat eſſe contritum.

3tia admittit quidem contritionem perfectam non eſſe neceſſariam, ipſamque etiam attritionem ſufficere: at eam ſolum, quæ conjuncta ſit cum aliqua benevolentiæ Dei dilectione, quæ nimirum cum Sacramento tantum, non vero extra illud, ſit ſufficiens ad juſtificationem. In hac ipſa interim benevolentiæ Dei dilectione explicanda mirum variant opiniones: aliqui eam volunt eſſe initialem Dei amorem, quo videlicet peccator Deum, tanquam omnis juſtitiæ fontem, diligere incipiat; alii dicunt eſſe dilectionem debilem, nec ex toto corde profectam, quæ proinde ſine adjuncto metus gehennæ motivo conſiſtere nequeat; alii in alio conſtituunt. Nec pauci ſunt, qui hanc propugnant ſententiam; pro ea (præter Eſthium, Molan. & Janſenium) lau-

laudantur e Thomistis Cajetanus, Victoria, Contenson. Auct. Rei sacramentariæ: e Schola Societatis Toletus, Comitolus, & Pallavicinus: e DD. Lovaniensibus Lupus, Farfaquez, ac ex modernis complures.

4ta sententia docet attritionem (secluso quovis charitatis theologicæ motivo, etiam existimato) ad Pœnit. Sacramentum sufficere: modo ea cum proposito non peccandi & spe veniæ conjungatur. Atque hæc sententia post Trident. communiter a Doctoribus recepta est, ut testatur Viva, Gormaz, & Platellius in Synop. Cursus Theol. de Pœnit. C. 6. §. 2. N. 654. cum quibus & nobis erit

ASSERTIO.

AD valorem & fructum Sacramenti Pœnitentiæ non requiritur contritio perfecta: non etiam Dei dilectio, quæ diversa sit a spe obtinendæ veniæ; sufficit proinde attritio, etiam ut talis cognita.

Pro Parte I. Assertionis pugnat *1mo* auctoritas Tridentini. Ut enim jam alias commemoravimus, Concilium hoc Sess. 14. Cap. 3. generatim dicit contritionem esse quasi materiam & partem Pœnit. Sacramenti, dein vero Cap. 4. contritionem dividit in *perfectam*, quæ concipitur ex motivo charitatis, & in *imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur;* ex mente igitur Concilii utraque contritio est materia & pars hujus Sacramenti: quod enim convenit generi, speciei pariter convenire necesse est. Præterea eod. Cap. docet, *contritionem charitate perfectam Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur:* attritio autem (ut ibid. additur) *quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem peccatorem perducere nequeat, tamen* 36

men

men eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. Qua vero dispositione? proxima certe, & non mere remota, ut volunt Adversarii. Etenim hæc Concilii verba cohærenter debent accipi ad præsentem antithesim de contritione perfecta, quæ non tantum remote, sed & proxime reconciliat extra Sacramentum; ergo cum id præstet attritio intra Sacramentum, quod contritio extra illud, etiam attritio cum Sacramento proxime disponit ad justificationem: secus attritioni non attribueretur major vis intra, quam extra Sacramentum, cum extra hoc etiam remote disponat ad justificationis gratiam.

Quid jam autem his conficitur? istud: ex mente Tridentini attritio est materia & pars Pœnit. Sacramenti: eadem proxime disponit ad gratiam in Sacramento obtinendam; ergo ad valorem & fructum Sacramenti Pœnit. non requiritur speciatim contritio perfecta. Ac revera nisi istud dicamus, fatendum erit, Tridentinum eo ipso loco, quo ex proposito dolorem ad Sacramentum Pœnitentiæ requisitum designare & explicare volebat, haud satis illum designasse: nec tam se in re adeo necessaria explicuisse, quam potius ejus notitiam implicatis suis verbis obscurare voluisse.

37 Pugnat 2*do* Patrum auctoritas. Certe Augustin. Ep. 180. salutem morientium ita quandoque a Sacerdotis absolutione pendere ait, *ut propter ejus defectum damnentur.* Et Julius Papa Can. *si Presbyter.* Cau. 26. Qu. 6. *si Presbyter*, inquit, *Pœnitentiam morientibus abnegaverit, reus erit animarum;* ibidemque Cœlestinus Papa Can. sequ. *agnovimus Pœnitentiam morientibus denegari &c. Quid hoc, rogo, aliud est? quam morienti mortem addere, ejusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere.* Qui autem hæc ita se habeant, si ad Sacramentum Pœnit. necessaria sit perfecta contritio? Aut enim eam moriens habet, aut caret illa; si primum, etiam sine sacra-

cra-

cramentali absolutione salutem consequitur, cum contritio perfecta extra ipsum Sacramentum juxta N. 31. justificet; si alterum, inutilis erit absolutio, ut quæ destituitur dispositione ad valorem & fructum Sacramenti necessaria. Dicere autem, ad justificationem extra Sacramentum requiri certam contritionis intensionem, prorsus arbitrarium est assertum, cujus omnino nullum fundamentum certum proferri potest, ut eod. N. 31. insinuavimus.

Addat his momentum auctoritas D. Thomæ in 4. dist. 22. qu. 2. Ar. 1. quæstiunc. 4. in ⊙. dicentis: *quando aliquis accedit ad Confessionem attritus, non plene* (hoc est imperfecte) *contritus, si obicem non ponat, in ipsa Confessione & absolutione sibi gratia & remissio peccatorum datur.* Idem jam antea ibid. dist. 6. qu. 1. Ar. 3. quæstiunc. 1. ad 1. *ad hoc*, inquit, *quod præparet se homo ad gratiam in Baptismo percipiendam, præexigitur fides, sed non charitas, quia sufficit attritio præcedens*; cum igitur Pœnitentia sit perinde mortuorum Sacramentum ac Baptismus, uti ad hunc, ita & ad Pœnitentiæ Sacramentum cum fructu percipiendum. ex mente D. Thomæ sufficiet attritio. Ac sane nisi hæc sententia obtineat, jure quis dixerit: in Lege gratiæ multo difficiliorem esse salutis viam, atque eadem fuerit in Lege naturæ; in hac quippe sola contritione perfecta obtineri potuit justificatio, cum ex adverso in illa præcipiatur præterea peccatorum Confessio.

Pugnat denique 3*tio* praxis & sensus fidelium communis. Constat nimirum fideles, sola quandoque attritione præmissa, 38
sacrum Pœnitentiæ tribunal accedere, ac in eo a Confessariis absolvi; istud autem tuto fieri, docent omnes sententiæ hujus Patroni. Qui vero hi & quales? videre est apud Gormaz Part. 1. de Pœnit. N. 446. ubi adductis nominibus, locis, & verbis plures quam 140 laudat AA. & quidem nominatim eos, qui post Concil. Tridentinum floruerunt atque inter

hos Gregorium XIII. & XV. SS. PP. dein 7. Cardinales, 6. Episcopos, ipsumque etiam S. Carolum Borromæum, 6. Concilia particularia, 6. diversos Catechismos pro Parochorum & fidelium instructione, publica auctoritate editos, unam Inquisitionem Gener. Hispanicam, Definitionem Sorbonicam &c. nihil ut dicam de gravissimis aliis variarum nationum & statuum Theologis. Quis jam autem credat, Ecclesiam permissuram fuisse, ut sententia hæc, si ea falsa sit, cum tot animarum damno impune invalescat? præsertim cum eadem repetitis vicibus S. Sedi fuerit exhibita, ac etiam a nonnullis postulatum, ut anathemati subjiceretur; quod tamen obtineri neutiquam potuit, ne quidem sub Alexandro VII. & Innocentio XI. tametsi hi ad tollendas opiniones noxias summa cura evigilarent.

39 Pro Parte II. Assertionis rursus arguo ex Tridentino. Etenim hoc supra laud. Cap. declarans, contritionem generatim esse necessariam ad hoc Sacramentum, non plus in ea requirit, quam ut conjuncta sit *cum fiducia divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua, quæ ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur:* & mox contritionem in perfectam & imperfectam dividens, hanc, seu attritionem, *si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ*, docet, *ad Dei gratiam, in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponere*, nulla omnino facta mentione peculiaris alterius dilectionis Dei. Quidni igitur inferre liceat? ex mente Tridentini non requiri dilectionem quandam, a spe veniæ, & voluntate se Deo per Pœnit. Sacramentum reconciliandi diversam; cum præsertim hæc ipsa spes & voluntas sit quædam inchoata Dei dilectio. Silentium porro hoc eo urget amplius, quod alias sequatur, Concilium egisse minus fideliter nobiscum, si rem tantopere (ut volunt Adversarii) necessariam reticuit, & quidem eo loco, quo cumprimis exponenda erat.

Quid

Quid quod ipſe Card. Pallavicinus, noſter in præſenti Adverſarius, in Hiſt. Trid. L. 12. C. 10. referat: poſt illa de attritione verba, *vel ex gehennæ & pœnarum metu concipitur*, principio quidem additum fuiſſe, *cum ſine aliquo dilectionis in Deum motu eſſe vix queat;* at, Petro Guerrero Patriarcha & Archiep. Granatenſi reclamante, ac proteſtante falſum eſſe, *quod dari vix poſſit vera attritio, ſine motu dilectionis in Deum*, auditis Theologorum ſententiis, adjecta illa verba deinde juſſu Concilii expuncta eſſe. An vero expungi illa voluiſſet, ſi agnoviſſet hanc nominatim etiam dilectionem ad Pœnit. Sacramentum eſſe neceſſariam?

Haud ignoro equidem, ipſos etiam adverſarios ad laud. 40
Hiſtoriam provocare. Narrat nimirum Emin. Scriptor loco cit. Decretum de attritione primitus conceptum fuiſſe in hunc modum: *Illam contritionem, quam Theologi attritionem vocant, quod imperfecta ſit, & ſolum vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu, qui dicitur ſervilis timor, concipiatur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, - - ſufficere ad Sacramenti hujus conſtitutionem, ac donum Dei eſſe &c.* Subinde attamen (ut proſequitur Pallavic.) judicio Patrum unanimi eraſa ſunt ſequentia: primum quidem particula *ſolum;* deinde, *qui dicitur ſervilis timor;* demum verba illa, *ſufficere ad Sacramenti hujus conſtitutionem.*

At enim nihil in his eſt, quod nos premat, ſi cauſæ mutati Decreti attendantur. Eraſa nimirum eſt primum particula *ſolum:* nam attritio aliis etiam motivis niti poteſt; item verba, *qui dicitur ſervilis &c.* quia timor ſervilis ſæpe ſumitur pro *ſerviliter ſervili*, habente videlicet adnexum affectum ad peccatum: ad hunc proinde excludendum ſatis erat relinqui verba, *ſi voluntatem peccandi excludat.* Poſtrema demum verba, *ſufficere &c.* expuncta eſſe cenſeo, vel ob impropriam eorum acceptionem, cum univerſim pars non dicatur pro-

prie ſufficere ad conſtitutionem totius, aut ne videatur Concilium perſtringere quoſdam DD. cum Scoto totam hujus Sacramenti ſubſtantiam conſtituentes in ſola Sacerdotis abſolutione, ita ut pœnitentis actus præviæ inſtar dumtaxat diſpoſitionis requirantur. Neque obeſt, mutationem hanc factam Joanne Æmiliano Ep. Tudet. intercedente, & Concilium admonente de variantibus Doctorum ſententiis circa attritionis ſufficientiam: iſtud enim evincit id unum, quod a Concilio nihil expreſſis verbis ſit definitum de attritionis ſufficientia; quod & nos ultro concedimus.

41 Aſſertionis Pars III. ſpeciatim probari non debet, cum veritas ejus ex hactenus dictis conſequatur, ut cuique, momenta jam adducta invicem conferenti, patebit. Conſulto autem additum eſt, *etiam ut talis cognita:* quo videlicet indicaremus: perperam a quibusdam exigi vel *exiſtimatæ contritionis* neceſſitatem. Ac omnino, quid tandem illa contritionis exiſtimatio prodeſſe poſſit ad valorem Sacramenti? nihil certe prodeſſe illam, ſi attritio ex ſe ſufficiat, clarum eſt; quod ſi autem attritio ex ſe non ſit ſufficiens, perinde ſufficiens non erit, accedente etiam exiſtimatione, quando hæc attritionis naturam non mutat. Ex præcepto attamen, inquies, requiri contritionis exiſtimationem; verum quod hujus præcepti fundamentum? imo præceptum hoc, ajo, fore contra Pœnit. Sacramenti inſtitutionem; cum enim Sacramentum hoc ſit mortuorum, ad conferendam proinde primam gratiam inſtitutum, exigi nequit a pœnitente, ut accedens illud ſe eſſe in gratia exiſtimet: id quod attamen exigeretur, ſi abſolutioni ſacramentali præmittenda eſſet contritio, quæ perfecta exiſtimetur.

Reſpon-

Respondetur Adversariis.

QUo contritionem perfectam ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ esse necessariam, nec attritionem sufficere solam comprobent Adversarii, toti in eo sunt, ut evincant: sine charitate obtineri non posse justificationis gratiam. Arguunt vero istud 42

I. Ex S. Literis. Jam enim in Lege veteri Deut. 4. dictum est, *cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris*; ex Joel. 2. cohortans Deus ad pœnitentiam, *convertimini*, inquit, *ad me in toto corde vestro.* Quid autem est *toto corde* quærere Deum, & ad eum converti, nisi per charitatem eidem conjungi? Id ipsum clarius indicatur 1 Joan. 3. *qui non diligit, manet in morte*; item 1 Cor. 13. *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest:* ac rursus ibid. C. 16. *Si quis non amat Dom. N. J. Christum, anathema sit.*

II. Ex Patribus. Chrysost. Hom. 4. in 2. ad Cor. Ep. monet: *ingemisce, non quod pœnas daturus sis; nihil enim hoc est, sed quod Dominum tuum offenderis, tam benignum &c.* Augustin. L. 1. contra Crescon. C. 12. cum charitate ait omnia recte fieri, *si autem illa desit, omnia frustra fiunt.* Item serm. 7. de Temp. *Pœnitentiam*, inquit, *certam non facit nisi odium peccati, & amor Dei.* Demum L. de vera & falsa Pœnit. C. 17. *sine amore Dei nemo unquam gratiam invenit.* Huc facit & D. Thom. 3. p. qu. 84. Art. 10. in ⊙ dicens: *Cum ad veram pœnitentiam charitas requiratur, sine qua non delentur peccata &c.* & in 4. dist. 17. qu. 3. Art. 4. quæstiunc. 1. *Confessio non valet sine charitate.* His non absimilia legere est apud Gregorium M. L. 1. Moral. C. 27. Petrum Chrysol. serm. 94. Bernardum de Dilect. Dei C. 12.

III. Ex Tridentino, quod Seſſ. 6. Cap. 6. agens de *Modo præparationis* ad juſtificationem, tum ait juſtificari peccatores, dum a juſtitiæ divinæ timore utiliter concuſſi *in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propitium fore, illumque, tanquam omnis juſtitiæ fontem, diligere incipiunt &c.* ubi vides præter ſpem requiri dilectionem. Ac rurſum ibid. Cap. 7. ſtatim principio declarat, juſtificationem eſſe renovationem interioris hominis, *per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum;* dein ſub medium, in juſtificatione fidem, ſpem, & charitatem infundi docens, addit: *nam fides, niſi ad eam ſpes accedat & charitas, neque unit perfecte cum Chriſto &c.* Quod ſi autem ad juſtificationem requiratur voluntaria ſuſceptio gratiæ, utique peccator velle debet gratiam, ſeu amicitiam Dei: hoc ipſum autem quid aliud eſt, niſi amare Deum? Quod ſi item unio perfecta cum Chriſto haberi nequeat ſine charitate, non igitur etiam juſtificatio. Denique Seſſ. 14. C. 4. attritionem, quam ait ad Dei gratiam in Sacramento Pœnit. impetrandam diſponere, comparat cum Ninivitarum pœnitentia: *hoc enim,* inquit, *timore utiliter concuſſi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & miſericordiam a Domino impetrarunt;* at hæc in Lege veteri impetrari non potuit ſine charitate, cum hac igitur conjunctus fuit Ninivitarum timor, atque etiamnum univerſim apud pœnitentes conjungi debet, quo juſtificationis gratiam in ipſo etiam Pœnitentiæ Sacramento conſequantur.

Reſp. I. generatim. Quod contendunt adverſarii, univerſim videlicet peccatorem juſtificari non poſſe ſine charitate perfecta, id omnino ſuſtineri nequit, ut a N. 36. jam comprobatum eſt. Inde cum Scriptura, Patres, & Concilium Tridentinum ad obtinendum juſtificationis effectum requirunt charitatem, dicendum eſt: vel agi de charitate extra Sacramentum juſtificante; vel de charitate, odio contrarie oppoſi-

posita, seu absentia odii: vel de charitate, quæ sit inchoata aliqua Dei dilectio, qualem in ipsa etiam attritione includi haud inficiamur. Sed nimirum, objecta nobis Scripturæ & Patrum ac Concilii loca speciatim explicanda sunt. Itaque

Resp. II. In particulari, & quidem ad I. verba hæc: *Quærere Deum, & ad eum converti ex toto corde*, non significare ex se charitatem perfectam; congrue enim sumuntur pro conversione vera, qua videlicet quis sincere detestatur peccata cum proposito, ea deinceps non admittendi: qualis conversio est etiam attritio. Dixi, *non significare ex se:* nam in cit. locis apud Joel. & in Deut. ultro concedo significari conversionem cum charitate conjunctam, cum in veteri Lege nulla alia pœnitentia fuerit sufficiens, ad gratiam justificationis obtinendam. At istud nos non urget, cum in Lege gratiæ aliud praeterea etiam sit remedium, nempe Sacramentum Pœnitentiæ.

Sed nec reliqui textus quidquam conficiunt. Etenim D. Joannes cit. Cap. agit de dilectione fraterna, ac τὸ *non diligit*, sumit contrarie hoc sensu: *qui odit fratrem suum, manet in morte;* continuo enim subjungit: *omnis qui odit fratrem suum, homicida est &c.* Idem est de verbis Apostoli ex C. 13. relatis; ut enim ex prioribus Capitibus clarum est, dehortatur Corinthios a schismate & dissensionibus. Præterea eod. Cap. charitatem quandoque accipit pro habitu charitatis, nam in fine concludit: *nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc; major autem horum est charitas.* Quocumque autem horum sensu loquatur, ad rem præsentem non facit. Quod demum C. 16. anathema dicat non amanti Christum, id solum ex eo consequitur: maledictum esse, qui Christum opere non amat, hoc est, Legem ejus & præcepta non sequitur; vel quod per vitam aliquando actus charitatis in Christum eliciendus sit, præsertim cum præceptum urget. Reliquum igitur habet Adversarius, ut præceptum hujusmodi dari comprobet etiam

etiam pro eo casu, quo per Sacramentum Pœnitentiæ expiari volumus.

Resp. ad II. Chrysostomus in laud. Hom. hortatur ad id, quod est perfectius, quodque etiam extra Sacramentum justificet: verum de dolore, qui ad Sacramentum requiritur, nullam mentionem injicit. Augustinus autem, contra Cresconium Donatistam scribens, agit de charitate habituali: in contextu enim se explicans eam charitatem dicit, *quæ diffusa est in cordibus nostris*, & *quæ schisma excludit ab Ecclesia*, a qua Donatistæ per suum schisma se separarunt. In reliquis demum duobus locis, vel loquitur de justificatione extra Sacramentum consequenda: vel intelligit amorem inchoatum, qui includitur in proposito implendi omnia Dei præcepta, quale propositum non deest vere attritis. Præterea, L. de vera & falsa Pœnit. non est Augustini, sed Auctoris alterius incogniti, ut probat Bellarm. L. de Script. Eccl.

Quod attinet ad D. Thomam, ejusdem nobiscum eum esse opinionis patet ex N. 37. unde in adductis in Object. locis nec sibi, nec nobis adversatur. Non in 1*mo*; agit enim illic de charitate habituali, idque unum vult: quod per veram pœnitentiam hæc charitas causetur, per quam, utpote cum gratia conjunctam, remittuntur peccata. Certum istud fit ex contextu: cum Doct. Ang. cit. Art. in ⊙ pugnet contra eos, qui *credebant*, *quod charitas semel habita non possit amitti*, & *per consequens pœnitentia si sit vera*, *nunquam per peccatum tollatur*, *ut sic sit necesse eam iterari.* Nec adversatur in 2*do*: nam & hic charitatis nomine intelligit charitatem habitualem, sine qua (nisi ea videlicet in Pœnitentiæ Sacramento pœnitenti cum gratia infundatur) dicit Confessionem non valere ad obtinendam gloriam, ut rursum contextus docet.

Resp. ad III. Fateri & nos (quod Trid. docet cit. C. 6.) peccatores ad justificationis gratiam præparari, *cum in spem eri-*

eriguntur, & *Deum diligere incipiunt*; at enim cum ipsum Trident. non dicat *diligunt*, sed tantum *diligere incipiunt*, ex mente Concilii ad præparationem hanc sufficit initium dilectionis, seu amor inchoatus & initialis. Id genus porro amorem etiam cum contritione imperfecta conjungi contendimus. Ac primum quidem includitur is in proposito non peccandi de cætero, atque adeo servandi præcepta Dei, inter quæ est etiam præceptum charitatis; hinc propositum istud jure dixeris esse *dilectionem in causa*, seu initium & principium dilectionis. Includitur item in pœnitentis voluntate, qua intendit reconciliari Deo, ac in ejus gratiam & amicitiam redire. Demum includitur in ipsa spe: dum enim per hanc desideramus Deum ut nobis bonum, proxime disponimur ad amorem benevolentiæ, quo Deus, ut in se super omnia bonus est, amatur.

Ac hæc quidem ad occurrendum positæ Objectioni sufficiunt. Quod si interim in eandem rem plura velis, non incongrue dici potest cum Haunoldo: nomine dilectionis isthic intelligi ipsam etiam attritionem, aut quemvis alium virtutis actum, quo peccandi voluntas excluditur; nam juxta S. Thom. in 3. dist. 26. qu. 2. *omnes aliæ virtutes participant aliquid a charitate, scilicet desiderium summi boni, propter quod operantur*; & Eccli. 25. dicitur: *Timor Dei dilectionis ejus initium*, ubi timorem servilem intelligit Doct. Ang. 2. 2. qu. 19. Art. 8. ad 1. inquiens: *Timor, qui est initium dilectionis, est timor servilis*. Quin & cum Viva dici potest: attritionem vocari amorem Dei propterea, quod attritio non tantum pœnæ reatum detestetur, verum etiam offensam, quæ est malum Dei, quod ipsum est aliqua ratione amare Deum; etenim nolle alteri malum, æquivalenter est illi velle bonum, saltem negativum: velle autem bonum, est amare. Ex his porro pronum est conjicere, cur Trident. hoc loco spem a dilectione Dei dividere videatur; nimirum vel ut explicet

proprietatem ſpei, nominatim inchoatam charitatem in ſe includentis; vel ut indicet, præter ſpem requiri aliud, quod ipſum ſit hæc charitas inchoata, uti eſt voluntas reconciliationis, propoſitum non pecandi &c. Certe autem illis, *diligere incipiunt*, non ſignificari charitatem perfectam, ſatis probat vel adjectum verbum, *incipiunt;* tum etiam colligitur ex ſubjectis ibid. pro confirmanda tradita doctrina Scripturæ textibus, quorum omnino nullus eſt, qui ad perfectam charitatem pertineat.

De altero, quod ex ejusdem Seſſ. 6. Cap. 7. objicitur, id habe: voluntariam ſuſceptionem gratiæ, proinde & voluntatem obtinendæ Dei amicitiæ, niti poſſe non tantum charitatis, ſed & cujuslibet virtutis alterius motivo; hinc etiam attritus vult gratiam & amicitiam Dei, non quidem ut Deo bonam, cum ex charitatis motivo non operetur: verum ut ſibi bonam & neceſſariam ad evitandas pœnas, ex quarum metu in præſenti poſitive deteſtatur peccatum. Sub medium autem ejuſd. Cap. ubi ad perfectam cum Chriſto unionem requiritur charitas, intelligenda eſt habitualis, ut colligitur ex contextu, præſertim ex præcedentibus verbis illis: *In juſtificatione - - hæc omnia ſimul infuſa accipit homo - - fidem, ſpem, & charitatem.*

Ad ultimum denique ex Seſſ. 14. Tridentini locum dico: attritionem ſacramentalem cum Ninivitarum pœnitentia comparari ſolum in eo: quod ſicut Ninivitæ plenam terroribus pœnitentiam agentes a Domino miſericordiam impetrarunt, ne juxta prædictionem Jonæ ſubverteretur Ninive; ita per attritionem in Sacramento Pœnitentiæ impetretur gratia Dei reatus culpæ & pœnæ remiſſiva. Non eſt igitur illic ſermo de Ninivitarum pœnitentia ad eorum juſtificationem ſufficiente; quis enim credat Ninivitas omnes juſtitiæ gratiam fuiſſe conſecutos? quod ſi tamen illorum aliqui eam conſecuti ſunt,

ſunt, indubie hi ab actu timoris & attritionis ad charitatem perfectam processerunt; hanc interim cit. loco Trident. non requirit ad justificationem in Sacramento obtinendam, cum de illa attritione loquatur, quæ *ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat.*

Urgeri poteſt Argumentum ratione theologica. Nimirum I. Peccati malitia eſt in eo, quod peccator præ Deo amet creaturam; quo igitur rite pœniteat, ſeque in ſtatum gratiæ reponat, malitia hæc ſufferenda eſt per actum contrarium, quo Deum amet præ creaturis. 43

II. Hoc providentiæ ſtatu non conferuntur habitus fidei & ſpei ſine præviis harum virtutum actibus; ergo nec habitus charitatis, & cum eo ſemper conjuncta juſtificans gratia, niſi actus charitatis præcedat.

III. In Lege veteri ad obtinendam juſtificationis gratiam ſemper neceſſaria fuit contritio; potiori igitur jure in Lege nova. Quis enim ſibi perſuadeat, in Lege timoris requiſitum fuiſſe amorem, non autem in Lege amoris? cum tamen juxta S. Auguſtinum contra Donat. differentia Legis & Evangelii, ſit timor & amor; & Legis Evangelicæ ſuavitas non conſiſtat in præceptorum imminutione, ſed in abundantia gratiæ, quæ ſuavia & facilia reddit præcepta.

Reſp. ad I. Conc. Ant. & N. Illat. ſi ſermo ſit generatim de pœnitentia & juſtificatione, etiam ea videlicet, quæ fit in & per Sacramentum; cujus ratio ex jam dictis petenda eſt. Quid quod memorata peccati malitia ſufficienter revera tollatur per affectus illius pravi ceſſationem, ejuſdemque deteſtationem vel ex motivo attritionis conceptam; tametſi verum ſit, id præſtari longe perfectius per dolorem cum charitate conjunctum.

Reſp. ad II. Conc. Ant. ac rurſum N. Illat. In iis nimirum, quæ a libera Dei voluntate dependent, attendendus eſt

providentiæ ordo ab eo constitutus; hoc jam autem rerum statu non voluisse Deum ulli conferre (quamquam id velle & facere potuerit) spei & fidei habitus sine præviis harum virtutum actibus, isthic aliunde suppono: non perinde autem rem se habere de charitatis habitu, qui in moderna providentiæ lege a gratia nunquam sejungitur, hoc ipsum illud est, quod toto hoc §. contendimus.

Resp. ad III. Conc. Ant. N. Illat. rursumque ad liberum Dei ita volentis ac disponentis arbitrium provoco. Quin si ipsa Legis utriusque conditio attendatur, plane congruum erat, ut in gratiæ Lege (cum in ea expeditior sit salutis via) etiam per solam attritionem cum Sacramento conjunctam obtineretur justificatio. Atque hinc patet, cur in Lege amoris, seu Evangelica, non semper requiratur amor ad justificationem: cum interim necessarius fuerit in Lege timoris, seu antiqui Testamenti. Non officit attamen istud, quo minus Lex nova dicatur Lex amoris: in hac quippe Deus per Christum pro salute nostra missum, & instituta ab eo Sacramenta, præbet se nobis magis amabilem, magisque propitium; reddit præterea salutis viam expeditiorem per ejusdem Christi gratiam, exempla, doctrinam &c. quæ omnia quid sunt, nisi immensi in nos divini amoris argumenta?

Quod autem ex Augustino additur: in Lege Evangelii non esse imminuta præcepta vetera; id non est accipiendum eo sensu, quasi re ipsa nullum eorum sublatum foret. Certe multa esse abolita constat, ac ipse August. Serm. 9. de Verb. Dom. ait, *quod homo antiquata Lege veteri sit exoneratus sarcinis innumerarum observationum.* Non sunt itaque imminuta hoc sensu: quod Legis veteris præcepta, quæ fuerunt figura præceptorum Evangelicorum, in his, ceu re præfigurata impleantur: uti universim Lex vetus impletur in Lege nova. Ita rursum Augustinus L. 18. contra Faust. *ea Christia-*

ſtiani, inquit, *ex Lege & Prophetis non faciunt, quibus ſignificata ſunt iſta, quæ faciunt; illa quippe erant figuræ futurorum, quas, rebus ipſis per Chriſtum revelatis & præſentatis, auferri oportebat: ut eo quoque ipſo, quo hæc ablata ſunt, Lex & Prophetæ implerentur.*

Corollarium

De Sententiæ hujus ſecuritate in praxi.

I. SOlemne eſt noſtris in præſenti Adverſariis illud nobis 44
oggerere: ſententiam, quam tuemur, eo fere tantum pertinere, ut ſcholaſticæ contentioni ſit locus; tota interim contentione hac nihil ad uſum & praxim fidelium conferri. Nimirum (ut illi quidem volunt) ſententia, quæ ad Pœnit. Sacramentum attritionem ſufficere aſſerit, eſt mere probabilis: ſua proinde etiam eſt probabilitas oppoſitæ hanc attritionis ſufficientiam neganti, quæ ipſa præterea eſt tutior; in iis autem, quæ ad Sacramenti valorem ſpectant, non licet uti opinione probabili, relicta tutiore, ut conſtat ex Propoſ. 1. ab Innocentio XI. damnata.

Ac omnino tutiorem eſſe ſententiam oppoſitam, dubitari nequit; eamdem vero ſimul eſſe probabilem, arguitur tam ex multorum Doctorum, etiam poſt Trident. illam propugnantium, authoritate: quam ex Alexandri VII. Decreto 5. Maji An. 1667. edito, quo partes, circa attritionis ſufficientiam diſſidentes, prohibentur ſe invicem cenſuris, aut alterius injuriæ, vel contumeliæ nota laceſſere. Verba Decreti huc facientia ita habent: *Sanctitas ſua enixe cupiens pacis vinculum inter fideles ſervari, omnemque fomitem ſciſſuræ extingui, - - in virtute S. Obedientiæ & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ huic S. Sedi reſervatæ - - præcipit cunctis & ſingulis - - ut ſi deinceps de materia attritionis præfatæ ſcribent, vel libros*

aut scripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, - - non audeant alicujus theologicæ censuræ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alterutram sententiam, seu negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter scholasticos communior videtur: seu asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec ab hac S. Sede fuerit aliquid in hac re definitum. Hactenus pro se Adversarii.

45 II. At nobis alia mens, propositum aliud est in præsensenti hac, eaque longius producta disceptatione. Non ita quippe addicti sumus contentioni scholasticæ, ut uni huic litandum putemus; eo universim omnis lucubratio nostra spectat, ut vel fidei doctrinam contra Sectarios affirmemus: vel morum disciplinam pro informandis fidelibus explanemus. Et hanc proinde de attritionis in Pœnit. Sacramento sufficientia sententiam ita propugnamus, ut eandem simul in praxi tutam asseramus. Est nimirum ea non mere probabilis, quod volunt Adversarii: sed moraliter certa, aut saltem inter probabiles probabilissima; qui proinde eam sequuntur, non exponunt Sacramentum morali periculo frustrationis: si quod autem est remotum periculum, hoc universim conformiter ad prop. 3. ab Alexandro VIII. damnatam in actionibus humanis cavere non obligamur, imo nec possumus. Hanc porro probabilitatem summam, aut etiam moralem certitudinem satis (opinor) evincunt momenta ex sensu Tridentini deducta, & doctrina Theologorum communior fatente ipso Alexandro VII. in Decret. supra laud. nihil ut dicam de rationibus aliis sparsim insinuatis.

46 III. Sed nimirum paradoxum hoc videtur adversariis. Quomodo enim (inquiunt) sententia hæc moraliter certa, si opposita etiamnum sit probabilis? probabilem autem esse comprobat multorum DD. etiam post Trident. eam docentium auctoritas: tum Alexandri cit. Decretum, quo prohibet illam affi-

affici censura, aut injuria, vel contumelia. Verum hæc non sunt ejusmodi, ut nos compellant fateri sententiæ nobis oppositæ *solidam* (ut dicimus) probabilitatem. Certe non desunt, qui his non obstantibus existiment eam dici posse improbabilem. Ego ne in Adversarios minus officiosus videar, aliquam (quæ per omnes componi potest cum oppositæ sententiæ morali certitudine) *tenuem* probabilitatem illi concedo, eamque non tam *intrinsecam*, quæ videlicet rationum momentis nitatur: quam *extrinsecam* potius ob quorumdam Theologorum illi faventium auctoritatem; verum eandem esse *solide* probabilem, etiam atque etiam pernego.

Neque urget laud. Theologorum auctoritas: ad *solidam* quippe alicujus opinionis probabilitatem, quæ sententiæ alterius moralem elidat certitudinem, præter hoc, quod a non nullis AA. doceatur, requiritur insuper *solida* ratio *intrinseca*, qualem ab Adversariis adhucdum expectamus.

Nec urget Alexandri Decretum: dicere enim opinionem aliquam esse *tenuiter* duntaxat probabilem, non est *theologica censura, aut injuria, vel contumelia* afficere; quod tum solum fit, cum dicitur *in fide proxime erronea*, *scandalosa*, *temeraria &c.* Quid quod (ut observat Cardenas) Alexander hoc suo Decreto non declaraverit sententiam nobis oppositam *esse stricte loquendo probabilem, sed solum non esse aperte falsam;* censuras autem prohibuit, quod cuperet *inter fideles - - omnem fomitem scissuræ extingui*, ut habent verba Decreti. Recte item notat Marin: non præcipi ab Alexandro, ne censura afficiatur opinio, docens *contritionem perfectam* esse necessariam; agit enim solum de sententia, *aliqualis dilectionis Dei in attritione, ex metu gehennæ concepta, necessitatem asserente vel negante;* Decretum proindè hoc uti *contritionem perfectam* requirentes a censura non eximit; ita nos vel ideo minus premit, quod in ipsa attritione *aliqualem Dei dilectionem*, hoc est,

in

in sensu jam alias exposito *inchoatam*: includi ultro admittamus.

47 IV. Ex his jam porro consequitur; sententiam a nobis propugnatam Scholis tuto eggredi, suamque illi etiam pro sacro Pœnitentiæ tribunali securitatem esse; ut adeo eam pœnitentibus & Confessariis in praxi sequi liceat, quin admittant quidquam contra Decretum Innocentii XI. Prop. 1. damnantis. Hocque ipsum intelligi velim etiam pro articulo mortis, quantum quidem ad Pœnit. Sacramentum attinet; nam instante mortis periculo charitatis perfectæ actum in Sacramento aut extra illud eliciendum esse non nego vi peculiaris præcepti alterius, ut est contra Lugo hic Disp. 7. N. 262. communior sententia. Præterea (quod monet La Croix N. 881. de Attrit.) consultum esse fateor, ut, quoad fert tempus & occasio, Confessarii adnitantur in pœnitentibus procurare contritionem; cum id & pro valore Sacramenti sit securius, & pœnitenti utilius.

§. III.

Qualis Confessio requiratur ad Pœnit. Sacramentum?

Confessionem pœnitentis esse *quasi materiam* hujus Sacramenti, jam alias dictum est; nunc definiendum habemus: qualem esse oporteat, ut illa perficiatur Sacramentum? ac nominatim: num secreta, & quovis signo sensibili expressa sufficiat? quid item ad ejus integritatem requiratur? Sed enim prius in memoriam revocanda est ipsius Confessionis sacramentalis notio, de ea item Novatorum sensa, tum Ecclesiæ disciplina.

Confessionis Sacramentalis definitio & varietas.

48 Confessio Sacramentalis est accusatio externa de peccatis propriis Sacerdoti facta, ad obtinendam ab eo virtute Cla-

Clavium Ecclesiæ absolutionem. Fieri eam debere aliquo signo externo & sensibili, indubitatum est: tum quod sit materia hujus Sacramenti; tum quia a Sacerdote intelligi debet. Signum porro hoc sensibile haberi potest quidem etiam per Scripturam, gestum, aut nutum: ad certius tamen & distinctius explicanda animi sensa accomodatissimum est vox, seu oris locutio.

Quocumque interim signo peragatur, esse potest vel *publica*, si nempe fiat coram pluribus: vel *secreta*, si fiat soli Sacerdoti sine ullo teste, quæ etiam passim *auricularis* dicitur. Utraque præterea, si spectetur Confessionis materia, dividitur in *materialiter* integram, & *formaliter* integram. Materialiter integra dicitur, dum pœnitens omnia peccata mortalia, nondum Clavibus subjecta, quoad speciem & numerum ita cônfitetur, ut nullum omnino omittat, ne quidem per ignorantiam aut oblivionem inculpabilem. Contra formaliter integra, si modo pœnitens confiteatur ea omnia mortalia nondum confessa, quæ post diligens examen occurrunt: aut saltem ea, quæ in his circumstantiis detegere obligatur; tametsi interim omittat aliquod ex ignorantia, vel oblivione inculpabili: aut tale, quod nunc ex legitima causa confiteri non tenetur.

Novatorum sensa, de Confessione auriculari, voce expressa; ejusque integritate.

Luthero & Calvino non satis erat Sacramentum Pœnitentiæ sublatum ire; errorem hunc suum ultro protulerunt, ipsam Confessionem, qualis ad Sacramentum a nobis requiritur, mirum cavillantes. Lapis porro, ad quem cumprimis 49

offenderunt, est: Confessionis secretum, seu Confessio auricularis; quod eamdem item nominatim voce fieri, ac potissimum quod integrum esse oporteat.

Certe Lutherus (ut constat ex ejus Articulis Tridentino oblatis, teste Pallavic. in Hist. Trid. L. 12. C. 10.) ausus docere : *Confessionem secretam non esse juris divini ; ante Concil. Lateranense nullum fuisse ejus usum, sed solum publicæ pœnitentiæ ; enumerationem peccatorum non esse necessariam, imo esse impossibilem &c.* Calvinus autem in Antid. Concilii Trid. ait : *nullum fuisse per annos mille in Ecclesia Confessionis usum, donec Innocent. III. laqueum hunc populo Christiano induxit, quem Tridentini Patres adstringunt.* Fateor equidem, in his sibi neuter constat: nam & Lutherus L. de Capt. Bab. C. de Pœnit. *occultam Confessionem sibi placere, esse utilem, imo necessariam* ait; & Calvinus L. 3. Instit. C. 4. fatetur, *antiquum esse auricularis confessionis usum.* At prior sensus denique apud utrumque prævaluit; inde illa in Confessionem, qualem Catholici requirimus, scommata; cum eam videlicet nunc *carnificinam, & conscientiæ laqueum*, alias *tyrannidem, traditionem humanam, tormentum Innocentianum* compellant, ut passim videre est in eorum Libris. Hæc eadem declamitari non raro audias a quibusdam eorum sectatoribus; quibus aut ea solum probatur confessio, qua quis coram Deo peccatum suum agnoscit: aut ea tandem, qua pœnitens in cætu fidelium communiter cum reliquis, vel (ut quidam concedunt) etiam coram solo Ministro generatim se peccatorem profitetur, idque seu voce, seu quocumque tandem signo alio.

Ac nos quidem, ut horum præcipuo errori occurramus, confessionem sacramentalem esse juris divini ex proposito Dissert. III. §. III. comprobabimus; isthic, ad reliquos Novatorum errores & cavillos convellendos, satis fuerit ex veteris Ecclesiæ disciplina ostendere: Confessionis, qualis nunc

a no-

a nobis fit, nempe Sacerdoti in aurem, voce, & cum integra peccatorum enumeratione, uſum non eſſe novitium, ſed antiquum, & primævis etiam fidelibus uſitatum.

Vetus Eccleſiæ diſciplina de eadem Confeſſione.

I. **N**On nego veteris Eccleſiæ morem fuiſſe, ut peccato- 50
res delicta ſua quandoque palam in cætu fidelium etiam confiterentur, & publicam agerent pœnitentiam, de quo ritu ſpeciatim Diſſert. V. agemus: at præterea auricularem confeſſionem, ſoli videlicet Sacerdoti, & quidem ſecreto factam in uſu fuiſſe contendo.

Momentum in hanc rem primum eſt ex iis Patribus, qui docent, ſecretam Confeſſionem Sacerdotibus deſerviiſſe pro regula imponendæ peccatoribus pœnitentiæ, ſeu privatæ, ſeu publicæ. Audiatur ante alios Origenes, qui tam II. quam III. Seculo floruit. Ita autem is Hom. 2. in Pſal. 37. *Circumſpice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius Medicum, cui debeas cauſam languoris exponere: - - ſi quid ille dixerit, - - ſi quid conſilii dederit, facias & ſequaris. Si intellexerit & præviderit talem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat & curari, ex quo fortaſſe & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facile ſanari: multa hoc deliberatione, ſatis perito Medici illius conſilio procurandum eſt.* Adde Auguſtinum, qui Serm. 351. alias Hom. 50. Cap. 4. poſtquam dixit, peccatori veniendum eſſe ad Sacramentorum Præpoſitum pro accipienda ab eo pœnitentia, ita ſermonem proſequitur: *id agat, quod non ſolum illi proſit ad recipiendam ſalutem, ſed etiam cæteris ad exemplum; ut ſi peccatum ejus non ſolum in gravi ejus malo, ſed etiam in tanto ſcandalo eſt aliorum, atque hoc expedire utilitati Eccleſiæ videtur Antiſtiti, in notitia multorum, vel etiam totius*

tius plebis agere pœnitentiam non recuset &c. Non agebatur itaque pœnitentia publica, nisi ad arbitrium Sacerdotis, cui prius secreto detegebantur peccata.

Alterum momentum suggerunt ea Patrum loca, quibus agitur de Sacerdotum sacramentali silentio: aut expressis verbis dicitur sufficere confessio secreta. Pro 1*mo* habe Basilium in Ep. Can. ad Amphiloch. Can. 34. ubi ait: *adulterio pollutas mulieres, & confitentes, - - publicare quidem Patres nostri prohibuerunt, ne convictis mortis causam præbeamus.* Et Gregor. Nyssen. Homil. in eos, qui alios judicant, de Ministro Ecclesiæ loquens, *audacter*, inquit, *ostende illi, quæ sunt recondita: ipse honoris tui* (utique silendo) *rationem habebit.* Atque id re ipsa fecit S. Ambrosius; ut enim in ejus Vita refert Paulinus Sec. V. Scriptor, *quotiescunque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut illum flere compelleret; - - causas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur.* Pro 2*do* autem satis fuerit nominasse Leonem M. Seculi V. Pontificem, qui Ep. 80. ad Epp. Camp. *reatus conscientiarum*, inquit, *sufficiat solis Sacerdotibus indicari confessione secreta;* & infra ibid. *sufficit illa confessio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, a quo pro delictis peccator pœnitentiam accipit.*

51 II. Hanc vero peccatorum coram Sacerdote accusationem, primis etiam Seculis, fuisse nominatim voce & verbis expressis factam, discimus vel ex eo, quod eam PP. passim *Confessionis* nomine compellent. Ex usu autem loquendi communiter recepto, quid est confiteri? nisi locutione ipsa animi sensum testari & explicare. Habes in hanc rem ex paulo ante laud. Patribus Basilium, Paulinum, Leonem M. imo pene omnes, qui de hoc argumento scripserunt. Cumprimis autem huc facit Hieronymus & Augustinus; ille quidem, cum in

in C. 16. Matth. dicit de Presbytero, *cum peccatorum audierit varietates, ſcit, qui ligandus ſit &c.* alter dum in Pſ. 66. exhortans ad Confeſſionem, *damnaberis tacitus*, inquit, *qui poſſes liberari confeſſus &c.* Quidni autem *auditio* ſupponat locutionem, eidemque *taciturnitas* opponatur? uterque igitur eam intelligit confeſſionem, quæ locutione peragitur. Multo adhuc certius hujus moris teſtimonium perhibent PP. ſequ. N. laudandi; quando exacta peccatorum enarratio verbis quidem commode fieri poteſt: at ex confeſſione, ſignis duntaxat aliis, e. g. geſtu vel nutu inſtituta, vix ac ne vix quidem ſperari poteſt.

III. Quod demum in Confeſſione ſacramentali offendit Novatores, eſt ejus integritas, ſeu exacta peccatorum, etiam occultorum, quoad ſpeciem & numerum enarratio. Hoc certe illud eſt, propter quod eam dicunt eſſe *impoſſibilem*, eſſe *carnificinam*, *tormentum &c.* At enim mitius (opinor) ſentient, aut ſentire ſaltem poterunt, ſi animum veri ſtudioſum ad ea advertant, quæ mox Aſſert. III. de Confeſſionis integritate ex ſenſu Catholicorum dicturi ſumus. Nunc, quo præjudiciis eorum occurramus, id agemus, ut pro comperto habeant Confeſſionis integritatem non eſſe rem novam in Eccleſia, verum jam inde a primis Seculis uſitatam. 52

Unde autem iſtud rurſum certius, atque ex Patribus antiquis, confici poteſt? Quid vero iſti? Tertullianus, qui Sec. II. & III. vixit, L. de Pœnit. C. 4. ait: *omnibus ergo delictis, ſeu carne, ſeu ſpiritu, ſeu voluntate commiſſis, qui pœnam per judicium deſtinavit, idem & veniam per pænitentiam ſpopondit;* hujus vero pœnitentiæ modum explicans C. 9. peccatorem dicit debere *Presbyteris advolvi*: quomodo autem? per confeſſionem, in qua nihil diſſimuletur; ut enim ibid. proſequitur: *tantum relaxat Confeſſio delictorum, quantum diſſimulatio exaggerat; Confeſſio enim ſatisfactionis Conſilium eſt, diſſimulatio contuma-*

tumaciæ &c. Origenes Hom. 3. in Levit. *etenim omni genere pronuntianda sunt, & in publicum proferenda cuncta, quæ gerimus: si quod in occulto gerimus, si quod in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri.* Cyprianus in Tract. de lapsis laudans sincere confitentes, *quanto*, inquit, *& fide majores, & timore meliores sunt, qui quamvis nullo Sacrficii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentes, exomologesim conscientiæ faciunt, - - scientes scriptum esse: Deus non irridetur.*

Infinitus sim, si singulorum testimonia proferre velim; consule Bellarminum L. 3. de Confess. a C. 6. usque ad 9. Multum autem certe his momenti accedit ex iis Patribus, qui (ut passim est legere) Confessionem Sacerdoti faciendam esse docent, non solum ad obtinendam veniam, sed ad congruam etiam imponendam pœnitentiam, & debitam peccatoris curationem. Quod si jam autem ex mente veterum Patrum confitenda erant peccata omnia, occulta, etiam tantum cogitata, nihil dissimulandum: si a Sacerdotibus imponenda satisfactio congrua, imo & curatio præstanda, quod utique præstari non potest, non cognito integre peccatoris statu: ultro utique (ut vides) consequitur, in veteri Ecclesia requisitam fuisse Confessionis integritatem. Ac sane illius complura etiam exempla habemus, notata a Scriptoribus Ecclesiasticis, ut Irenæo L. 1. C. 13. Cypriano in Tract. de lapsis, Eusebio Hist. Eccl. L. 6. C. 9. 34. & 43. Unum referre libet ex Socrate L. 5. C. 19. *Mulier quædam*, inquit, *nobilis ad Pœnitentiarium Presbyterum accedens, delicta post Baptismum a se perpetrata singillatim confessa erat;* quod ipsum narrans Sozomenus L. 7. C. 16. de eodem Presbytero, alios quoque audiente, addit:

addit: *ille vero pro cujusque delicto, quid aut facere singulos, aut luere oporteret, pœnæ loco indicens, absolvebat confitentes.*

Atque hæc (nisi fallor) satis superque sunt ad comprobandum, Confessionis sacramentalis, qualis hodie a nobis fit, morem fuisse etiam in veteri Ecclesia usitatum. Desinant proinde Sectarii novitatis labe illum aspergere: antiquumque esse, ac jam a primævis fidelibus receptum, fateantur oportet. Nobis id jam est reliquum, ut ad mentem Ecclesiæ explanemus, qualem nominatim hanc Confessionem esse necesse sit, quo suus constet Sacramento Pœnitentiæ valor. Istud vero tribus Assertionibus præstabimus.

ASSERTIO I.

Ad valide perficiendum Pœnitentiæ Sacramentum perinde est, seu Confessio sit secreta, seu publica; regulariter attamen secreta fieri debet.

Vel secretam Confessionem sufficere ex ipsa hujus Sa- 53
cramenti institutione docemur. Cum enim ad modum judicii institutum sit, quidni sufficiat ea confessio, ex qua Sacerdos de statu peccatoris recte judicare possit? potest autem certe ex sola Confessione secreta, ut clarum est. Quid quod sæpe nec pœnitenti nec aliis expediat publica Confessio, juxta mox dicenda; inde Leo M. in Ep. 80. supra cit. ad Epp. Campan. reprehendit eos, qui peccatores ad publice confitendum compellebant. Huc facit item constans Ecclesiæ traditio, & a veteri usus Confessionis secretæ, qui ex Patribus N. 50. laudatis nobis innotescit.

Aperta demum in hanc rem est doctrina Concilii Trident. Sess. 14. Cap. 5. ubi hæc habet. *Cæterum, quoad modum confitendi secreto apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum & sui humiliatio-*

liationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem delicta sua publice confiteri possit: non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta, publica essent Confessione aperienda. Unde cum a SS. & antiquissimis PP. magno unanimique consensu, Confessio sacramentalis, qua initio Ecclesia sancta usa est, & modo etiam utitur, fuerit semper commendata, manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam, & inventum humanum esse, atque a Patribus in Concilio Lateran. congregatis initium habuisse, docere non verentur. En! Concilii sensum pro Assertione, simulque ex eo pro illa tuenda rationes. Porro

Publicam etiam Confessionem sufficere, patet par im ex ratione supra adducta pro Confessione secreta: nam & ex publica Confessione status pœnitentis innotescere potest Sacerdoti; partim ex Ecclesiæ usu: cum fideles per interpretem confitentes, aut alias etiam, dum Confessio a circumstantibus exauditur, absolvantur; tum denique ex laud. Trident. quod diserte dicit, Christum non vetuisse publicam Confessionem. Interim,

Regulariter (ut in Assertione additur) secreto sunt confitenda peccata: quin sæpe nec convenit publicam eorum fieri accusationem. Quid enim, si ea publice fiat, pronius? quam ut quædam reticeantur peccata, atque ita sua desit Confessioni integritas; aut si ex adverso palam enarrentur omnia, sæpe evenire necesse est, ut in fidelibus enascatur scandalum, & gravia damna tam pœnitentem quam alios consequantur. Accedit, quod vel propter morem ab antiquo & communiter ubique in Ecclesia receptum usus, Confessionis publicæ illicitus sit redditus, absque gravi saltem causa & legitima facultate.

ASSER-

ASSERTIO II.

Rata ac valida est sacramentalis Confessio gestu, nutu, aut scripto facta, si loquendi moralis impotentia adsit; hæc contra si absit, voce fieri debet, idque adeo, ut, si secus fiat, Confessio evadat graviter illicita, proinde & invalida.

Ratio 1*mæ* partis est: nam etiam per hæc signa pœnitens potest facere peccatorum accusationem integram *formali* saltem integritate, quæ ad hoc Sacramentum sufficit, ut dicetur Assert. sequ. neque constat præterea de ullo seu divino seu Ecclesiastico præcepto, quo sola oris Confessio ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ requiratur. Imo solam hanc non esse necessariam docet Ecclesiæ praxis, secundum quam (monente ipso rituali Rom.) muti & moribundi per id genus signa confitentes absolvuntur; idem est de absolutione militum ante pugnam, ut & naufragorum. Inde certum est, urgente Confessionis præcepto eos, qui loqui non possunt, obligari ad confitendum scripto, vel aliis externis signis. 54

Ratio 2*dæ* partis petitur ex antiqua & recepta per Ecclesiam consuetudine: tametsi enim nullo divino aut humano præcepto adstringamur ad Confessionem voce faciendam, ipsa nihilominus hæc consuetudo graviter obligat; tum quia est in re gravi: utpote pertinens ad certius procurandam Confessionis integritatem, ac proinde ad modum convenientiorem perficiendi Sacramentum; tum quia hic est post D. Thomam communis Doctorum sensus. Quod si itaque aliquis, extra casum physicæ aut moralis impotentiæ confitendi per verba, aliter confiteatur, indubie peccat graviter: quodque hinc consequitur, ipsa Confessio est irrita. Pluribus ista hic Suarez, & Viva in Append. ad Propos. damn.

ASSERTIO. III.

Ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ necessaria est confessio saltem formaliter integra: eadem quandoque sufficit, ut adeo materialis integritas non semper requiratur.

55 Pars I. fundatur 1*mo* in Traditione, qua docemur omnia mortalia esse integre confitenda. Hæc autem Traditio habetur tam ex Patribus N. 52. citatis, aliisque apud Bellarm. L. 3. de Confess. a C. 6. quam œcumenicis Conciliis (præter particularia apud Bellarm. ibid. C. 5.) Lateranensi IV. & Florentino pro fronte hujus L. laudatis, ac etiam Tridentino, cujus verba mox recitabimus.

Fundatur 2*do* in sensu fidelium, agnoscentium universim obligationem aperiendi in confessione omnia quoad numerum & speciem peccata mortalia.

Fundatur 3*tio* in ipsa Sacramenti hujus institutione, secundum quam Confessarii munus est Judicis & Medici; neutrum enim rite exerceri potest, si desit confessionis integritas, ut rem expendenti patet.

Fundatur demum 4*to* in aperta Tridentini doctrina, quam Sess. 14. Cap. 5. ita proponit. *Christus - - Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tanquam præsides & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ciciderint &c. Constat enim Sacerdotes judicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque æquitatem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat & non potius in specie ac sigillatim, ipsi sua peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint &c.* Idem porro, quod hic declaravit, dein ejusd. Sess. Can. 7. sub anathemate definit, videlicet : *in Pœnitent. Sacramento ad remissionem peccato-*

rum

rum necessarium esse Jure Divino, confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, - - & circumstantias, quæ peccati speciem mutant.

His jam igitur fundamenti instar præmissis, certum est: ad Pœnit. Sacramenti valorem requiri confessionis integritatem; at semper non requiritur materialis, quod paulo post probabimus; ergo saltem formalis. Ex hoc autem, attenta simul confessionis *formaliter* integræ definitione N. 48. descripta, ultro consequitur: ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ omnino necessarium esse, ut pœnitens de omnibus mortalibus quoad numerum & speciem, quæ nondum directe subjecit Clavibus Ecclesiæ juxta Prop. 11. ab Alexandro VII. damnatam, & quæ ei post diligens examen occurrunt, se accuset: nisi tamen adsit causa legitima aliquod ex iis reticendi.

Pars II. Perinde certa est ex Trident. quod cit. Cap. 5. 56
constare ait, *nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam ut postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit; reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur &c.* Ex sensu Tridentini igitur confessio ex oblivione inculpabili diminuta, proinde tantum *formaliter* integra, non modo valida, sed utilis etiam est, atque adeo ad Pœnitent. Sacramentum sufficiens.

Quod vero isthic dictum de oblivione, idem intelligi velim de casu quovis, quo pœnitens peccatum aliquod mortale declarare omittit ex impotentia physica, aut etiam morali tantum. Nimirum confessionis integritas a Christo requisita pœnitenti debet esse possibilis; causa igitur quælibet, quæ materialem integritatem reddit impossibilem, simul efficit,

 ut

ut pro casu ejusmodi impotentiæ ea integritas non requiratur. Id genus porro causæ, præsertim quæ moralem impotentiam fundant, ex circumstantiis æstimandæ, & prudentis Confessarii judicio determinandæ sunt: notanda cum primis Prop. 59. ab Innocentio XI. damnata. Cæterum de his causis copiose ac singillatim agunt Theologi morales, qui proinde consulendi.

Resolvuntur Objecta.

57 Contra assertion. I. opponi potest I. de Confessione secreta: qui enim ea, inquies, sufficiat ad Pœnit. Sacramentum? cum hoc ad modum judicii sit institutum, judicium autem natura sua testes requirat; atque hinc est, quod olim confessionis publicæ usus fuerit, & quidem ex præcepto.

II. De Confessionis autem publicæ sufficientia controverti potest ex Concilio Lateranensi IV. quod cum Can. 21. his verbis statuat: *Omnis utriusque sexus fidelis, - - omnia sua solus peccata - - confiteatur proprio Sacerdoti &c.* per particulam *solus* satis declarat, præcipere se nominatim confessionem eam, quæ sine teste fiat, proinde secretam; igitur præcepto hoc excludit publicam.

Resp. ad I. universim a judicio fori externi non recte argui ad judicium Sacramenti Pœnitentiæ, cum spectata Christi institutione hoc inter & illud discriminis multum intercedat. Illud nimirum ad solum externum forum pertinet, finisque ejus præcipuus est punitio rei, non voluntarie, sed coacte judicium subeuntis; Sacramentum Pœnitentiæ contra ex fine suo principali est reconciliativum ad forum internum pertinens, & pœnitenti voluntarium, ut adeo idem sit reus, simulque sui accusator: quid igitur hic opus testibus & accusatoribus aliis? Fuit equidem olim in usu confessio publica, eaque non raro etiam præcipiebatur: at hæc non erat sacramentalis,

lis, verum pars duntaxat satisfactionis, quæ in præmissa jam ante confessione sacramentali in vindictam peccatorum pœnitenti a Sacerdote imponebatur. Id ipsum interim nec fiebat semper: neque unquam præceptum erat, ut omnia peccata integre, etiam occulta videlicet, palam enarrarentur. At de hoc plura Differt. V.

Resp. ad II. particulam *solus* in cit. Concilii exemplaribus omnibus non legi: imo in plurimis omissam reperies; inde & nos sine illa textum hujus Can. principio Libri recitavimus. Quod si interim a Concilio addita sit, id factum ajo propterea, ut declararetur: confessionem secretam sufficere, eamque etiam regulariter fieri oportere, nec pœnitentem cogendum esse ad publicam. Certe, non esse præceptam absolute & in sensu exclusivo confessionis publicæ, vel ex eo patet, quod certum sit, cum confessione per interpretem facta ratum esse Pœnit. Sacramentum.

Contra Assertion. II. opponitur I. de confessione, quæ 58
fit signo a verbis diverso: videtur nimirum hæc non esse sufficiens, cum Concil. Florent. in Decret. Instruct. pro Sacramenti Pœnit. materia nominatim *confessionem oris* assignet; ratum autem ac validum Sacramentum esse nequit sine materia necessario requisita, qualis est confessio.

II. De confessione oris controvertitur: num ea vel *regulariter*, extra casum videlicet impotentiæ physicæ aut moralis requiratur? Etenim valere videtur confessio, si pœnitens (tametsi omnia peccata possit voce explicare) Confessario exhibeat scriptum exactam peccatorum enumerationem continens, ac dein oretenus dicat: *accuso me de his, quæ in hoc scripto contenta legisti*; cur non igitur etiam perinde valeat, si verborum loco aliis æquivalentibus signis, ad hanc ipsam sui accusationem indicandam, utatur?

Resp. ad I. a Concilio isthic nominari id, quod regulariter est materia necessario requisita, uti omnino est Confessio oris. Loquitur itaque positive, non autem sensu exclusivo, excludente videlicet universim omnem confessionem aliam, quæ confessioni oris æquivaleat. Ita id. Concilium pro forma hujus Sacramenti assignat verba: *Ego te absolvo &c.* cum interim per omnes certum sit, his etiam æquivalentia sufficere.

Resp. ad II. N. Ant. nam hic confitendi modus extra casum impotentiæ physicæ aut moralis (quarum neutra adesse supponitur in præsenti) est contra Ecclesiæ consuetudinem, quam, tum ob ipsius rei gravitatem, tum ob auctoritatem Doctorum istud sentientium, fideles observare graviter obligantur. Ipsi certe, qui hic nobis adversantur, gravem ajunt esse obligationem hæc saltem verba ore proferendi, *accuso me &c.* & istud quidem propter Ecclesiæ consuetudinem; propter eandem igitur jure requirimus, ut omnia & singula peccata verbis expressis declarentur, cum non adest impotentia physica aut moralis. Ex proposito istud pluribus propugnat Viva in Append. ad propos. damn. ubi pro ead. sententia laudat D. Thomam Quodlib. 1. Art. 10. Cæterum etsi Ant. admitteretur, Illatio non esset legitima: prior quippe confessio esset vero sensu confessio oris, non item altera.

59 Contra Assertionis III. partem alteram pugnat duplex Theologica ratio. I. Concil. Tridentinum ad valorem & effectum Pœnit. Sacramenti requirit universim dolorem de peccatis perinde, ac eorum confessionem; at dolorem hunc semper necesse est esse materialiter integrum, hoc est, ad omnia mortalia se extendentem; igitur & confessionem semper oportet esse materialiter integram.

.II Si Sacramentum Pœnit. sit validum, per effectum gratiæ illi proprium omnia mortalia remittuntur; at in eo casu, quo confessio non est materialiter integra, omnia mortalia

lia non remittuntur; ergo, si confessio non sit materialiter integra, non est validum Pœnitent. Sacramentum. Min. prob. nam Sacramenti hujus virtute ea solum remittuntur peccata, quæ subjiciuntur Ecclesiæ Clavibus: quod si autem confessio non sit materialiter integra, omnia peccata Clavibus Ecclesiæ non subjiciuntur, ut clarum est; ergo nec remittuntur omnia.

Resp. ad I. N. Ant. propter particulam *perinde* adjectam. Etenim Trident. Sess. 14. Cap. 4. eam universim, nulla restrictione facta, requirit contritionem, quæ sit *animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero;* item, quæ *cessationem a peccato, vitæ novæ propositum & inchoationem, & veteris odium contineat juxta illud: projicite a vobis omnes iniquitates vestras &c.* hæc autem convenire nequeunt contritioni, nisi ea vi motivi sui, saltem implicite, extendatur ad omnia universim peccata gravia. Præterea: eam esse vult contritionem, *cujus motus quovis tempore* (proinde etiam ante institutum hoc Sacramentum) *fuit necessarius ad impetrandam veniam peccatorum;* certe autem ad effectum hunc obtinendum in Lege veteri necessaria fuit contritio universalis. Quid quod nisi talis sit, nec verus dolor esse possit: cum idem motivum, quod inclinat ad detestandum mortale unum, inclinet perinde ad detestationem reliquorum. Cæterum nec contritionem esse oportet *materialiter universalem* hoc sensu, quasi vero ea singillatim ac explicite attingere debeat quodvis peccatum mortale, quod jam alias dictum est §. super. N.33. Alia ex adverso doctrina est Concilii de confessionis integritate, ut constat ex N. 56. ubi recitatus ex Tridentino textus expressis verbis restrictionem continet.

Resp. ad II. D. Maj. Omnia remittuntur, vel directe, vel saltem indirecte C. Maj. semper directe N. Maj. Etiam Min. D. eo casu non remittuntur omnia directe C. nec indirecte N. Min.

Min. & Conf. Eadem Distinct. explicanda est probatio ulterior, nempe: ea solum in Sacramento remittuntur, quæ Clavibus subjiciuntur vel directe, vel saltem indirecte C. quæ subjiciuntur tantum directe N. Fatemur igitur in casu, quo Confessio non est materialiter integra, aliqua peccata non subjici directe Clavibus Ecclesiæ: omnia interim subjiciuntur partim directe, ea videlicet, quæ pœnitens explicite declarat; partim indirecte, qualia sunt, quæ ex impotentia physica aut morali reticentur, hæc ipsa enim Trident. Sess. 14. Cap. 5. docet *in universum eadem Confessione inclusa esse.* Confer hæc cum iis, quæ in simili diximus L. II. de Bap. N. 71.

Corollarium de Confessionis integritate quoad peccata dubia, circumstantias, & alieni peccati manifestationem.

INter Theologos controvertitur: num ad Confessionis sacramentalis integritatem nominatim requiratur, ut pœnitens se accuset de peccatis etiam dubiis? declaret item peccati circumstantias? ac denique illud etiam confiteatur peccatum, quod manifestare non potest, quin prodat alienum? Singula hæc gravis omnino controversiæ sunt argumentum: quod quia prolixius, ut res posceret, tractare non vacat, compendio saltem de propositis quæsitis ita sensum meum aperiam, ut hic ipse principii instar deservire possit ad uberiorem notitiam, quæ deinde ex citandis Auctoribus repetenda erit. Itaque

60 I. Cum de peccato esse possit dubium vel positivum vel negativum, ante omnia discernere oportet, ad quam dubii classem peccatum pertineat. Tum autem est peccatum *positive dubium*, dum habetur ratio probabilis judicandi peccatum

tum esse commissum, vel ex adverso non esse commissum. Si contra pro utraque parte adsint rationes probabiles, at tenues admodum, ac ita se mutuo elidentes, ut neutri parti prudens assensus præstari possit, necesse sit proinde suspendere judicium, dicitur peccatum *negative dubium*: nam si judicii suspensio proveniat ex eo, quod pro neutra parte habeatur probabilis ratio, non est dubium, sed ignorantia, quæ in quæstionem non vocatur.

Quod si jam igitur peccatum sit *positive dubium* hoc sensu, quod probabile sit non esse commissum, aut saltem non fuisse mortale, nec detur in oppositum solida probabilitas, censeo reticeri posse salva Confessionis integritate. Ratio est: quia pœnitens ex ratione probabili judicans se non peccasse, prudens dictamen practicum habet de non commisso peccato: unde, si se perinde gerat, ac si non peccasset, prudenter & honeste agit; eo ipso autem certe, salva Confessionis integritate, reticere potest id genus dubium peccatum: quo enim titulo obligetur ad confitendum peccatum, quod prudenter judicat se non admisisse, quodque non nisi imprudenter judicare potest esse admissum? Atque hinc ex adverso sequitur dari obligationem confitendi, cum peccatum ita est positive dubium, ut probabile sit esse commissum, nec in oppositum detur solida probabilitas: cum enim in moralibus raro admodum habeatur certitudo, tenemur nos conformare judicio probabili, seu prudenti; tale igitur in præsenti cum adsit de peccato commisso, judicium hoc habens gerere se debet pro peccatore, proinde & confiteri. Universim nimirum hujusmodi probabilitas, quæ videlicet excludit probabilitatem in oppositum, respectu operantis est quædam quasi moralis evidentia respectiva; hæc vero ad obligandum sufficit. Utrumque istud communem esse Theologorum sententiam testatur Viva in Cursu Theol. hic Disp. 4. qu. 3. N. 8. & 9.

Sed demus peccatum esse *negative dubium:* ad confitendum illud obligationem dari affirmant cum D. Thoma Dicastillo, Sanchez, Gormaz, & multi alii apud La Croix L. 6. de Pœnit. Parte 2. N. 606. negant ex adverso D. Antoninus, Paludanus, Lessius, Layman, Viva, compluresque alii apud eumd. La Croix N. cit. Mihi videtur sentiendum cum postremis. Etenim obligatio gravis adstruenda non est, nisi constet de illa, & lege eam imponente: quamdiu enim dubitatur de his, libertas est in possessione; at non constat de Lege & obligatione confitendi peccata negative dubia, cum eam tot DD. sapientia non minus quam vitæ integritate conspicui (tametsi re utrinque diligenter ac ex proposito discussa) non agnoscant; obligatio igitur hæc adstruenda non est. Quid quod, attenta Concilii Trident. doctrina, multo probabilius sit non dari id genus obligationem: Trident. quippe Sess. 14. Cap. 5. ex proposito agens de confitendi obligatione, *oportere*, ait, *a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum - - conscientiam habent, in Confessione recenseri*: & infra, *nihil aliud a pœnitentibus exigi, quam ut quisque - - ea peccata confiteatur, quibus se Dom. & Deum suum mortaliter offendisse meminerit;* ergo ex mente Tridentini solum datur obligatio ea confitendi peccata, quorum habetur *conscientia & memoria:* quæ voces absolute prolatæ (uti eas profert Trident.) in sensu proprio accipiendæ sunt, sic autem acceptæ significant aliquam scientiam vel saltem judicium prudens; cum igitur neutrum horum dubio negativo conveniat, ultro consequitur, peccata negative dubia obligatione hac non comprehendi. Non nego interim (quæ ipsa est communis Theologorum sententia) dari obligationem confitendi peccatum, quod quis scit se commisisse, ac solum dubitat, num illud sit confessus: idque tam pro eo casu, quo dubitat positive hoc sensu, quod probabiliter judicet se non esse confessum, nec habet solidam probabilitatem in oppositum; quam pro casu

casu dubii negativi, cum videlicet ob rationes utrinque probabiles se mutuo elidentes pro neutra parte prudens judicium ferri potest. Ratio hujus ex jam dictis facile colligitur, ac præcipue ex eo, quod in utroque hoc casu præceptum Confessionis sit in possessione.

II. Circumstantiæ peccati vel illius speciem mutant, vel 61
illud intra eamdem speciem solum notabiliter aggravant. Ita rei, quæ ad Ecclesiam pertineat, furto sublatæ circumstantia est *speciem mutans:* hæc quippe facit, ut jam furtum non justitiæ tantum, sed & religionis virtuti opponatur, atque sic duplex specie peccatum evadat. Circumstantia autem furti, quo major summa e. g. centum aurei sufferuntur, est tantum *notabiliter aggravans*, remanente eadem peccati specie, nempe solius furti contra justitiam admissi. Atque hujusmodi mere aggravantes circumstantiæ fere reducuntur ad has quatuor: longiorem videlicet actus durationem, actus intensionem, modum actionis peccaminosæ, & majorem damni illati quantitatem. Hoc jam facto discrimine,

Si quæstio sit de circumstantiis *speciem mutantibus:* certum est eas esse explicandas, quo sua sit Confessioni integritas, ut constat ex Trident. Sess. 14. Cap. 5. ubi expressis verbis dicitur, *etiam eas circumstantias in Confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant &c.* quod ipsum deinde ejusd. Sess. Can. 7. definitur, anathemate etiam in oppositum sentientes evibrato.

Aliter res habet quoad circumstantias *mere aggravantes.* Earum expositionem ad Confessionis integritatem requiri affirmant Alensis, Cajetanus, Major, Gonet cum plerisque RR. Thomistis, & e Schola Societ. Suarez, Thom. Sanchez, Henriquez &c. negant vero D. Thomas, Scotus, D. Antoninus, S. Bonaventura, Medina, Diana, Vasquez, Lessius, Moya &c. omnes hos, & his plures alios citatos reperies

ries apud Marin Tract. 22. de Sacram. Pœnit. Disp. 4. Sect. 1. ubi ipse negantibus accedit, quod & ego faciendum censeo. Ratio ita sentiendi est 1*mo*, quia non est imponenda gravis obligatio, nisi de ea certo constet, ut docet S. Thom. Quodlib. 9. qu. 7. Art. 5. de obligatione autem circumstantias mere aggravantes confitendi non constat certo: cum eam tot graves DD. non agnoscant. Ac vel ideo 2*do*, dubium est de hac obligatione; in dubio autem Legis in possessione est libertas. Imo 3*tio*, si non certo, saltem probabilius est ex Trident. non dari hujusmodi obligationem: nam Sess. 14. Cap. 5. nominatim agens de circumstantiis dicit, dari obligationem confitendi *circumstantias, quæ speciem peccati mutant*, nulla penitus facta mentione de mere aggravantibus; imo post recensita ea, de quibus ait esse obligationem confitendi, subjungit: *constat enim nihil aliud a pœnitentibus in Ecclesia exigi &c.* sicut igitur ex eo, quod Trident. ibid. doceat, dari obligationem confitendi *semel in anno*, recte infertur, non dari obligationem confitendi bis aut pluries in anno: ita etiam in præsenti recte arguitur, non dari obligationem explicandi circumstantias mere aggravantes. Demum 4*to*, ex opposita sentententia sequuntur multa inconvenientia, ac pene moraliter impossibilis redditur Confessionis integritas, uti hæc pluribus declarat laud. Marin loco cit. N. 11. & 12.

62 III. Peccatum, quod pœnitens manifestare nequeat, quin prodat alienum, in duplici classe collocari potest. Nempe

Primo esse potest peccatum ejusmodi, cujus alter sit complex, ut esset e. g. incestus cum matre. Ac de hoc certum est 1*mo*; si Confessio fiat apud Sacerdotem, cui complex sit ignotus, manifestandum esse peccatum; hoc casu enim non infamatur proximus. Certum item 2*do*: si pœnitens sine gravi incommodo confiteri possit Sacerdoti, qui complicem non noscat, apud hunc omnino Confessionem esse faciendam, nec

nec fieri eam posse apud alium, qui notitiam complicis habeat; secus vel sine necessitate infamaretur complex, vel absque justa causa reticeretur species peccati, quorum tamen neutrum licite fieri potest. Controvertitur igitur solum de eo casu, quo is tantum adest Confessarius, qui complicem novit; communior interim est cum D. Thoma & S. Bernardo, Ostiensi, Navarro, Valentia, & Bannezio, affirmantium DD. sententia. Nimirum, constat ex Trident. in Sacramento Pœnit. integram esse debere peccatorum, quoad speciem & numerum, Confessionem; non excusatur ergò pœnitens ab illa propter onus aliquod aut incommodum, quod ex natura Confessionis ad hoc Sacramentum requisitæ oritur; uti esset complicis infamia, quando ejus declaratio necessaria est ad speciem peccati explicandam. Pluribus hæc Platellius in Synop. Theol. C. 6. §. 6. a N. 779. & passim alii.

Potest item esse peccatum, cujus alter non sit complex; ut si quis e. g. occiderit sororem gravidam, quam Confessarius novit non fuisse conjugatam. In hoc jam casu non posse explicari integre peccatum, quin manifestetur fornicatio sororis, certum est: anigitur nihilominus manifestandum est hoc peccatum non complicis? Card. Lugo cum quibusdam affirmat; probabilius tamen negandum est cum Suarezio Disp. 34. de Sacr. Pœnit. dect. 2. Assert. 2. N. 14. ubi hunc inter & priorem casum Si discriminis assignat: quod complex, patrando simul crimen cum altero, videatur cessisse juri suo, ne infametur, cum nosset præceptam esse Confessionis integritatem: secus sentiendum est de non complice.

IV. E sententiis, quas in hoc Corollario amplectimur, 63
aliquæ sunt tantum probabiles, earumque oppositæ sunt præterea tutiores; quæres itaque fortassis: num eas propter Prop. 1. ab Innocentio XI. damnatam tuto in praxi sequi liceat? Ego vero indubitanter affirmo: quia nulla earum sen-

tentiarum impedire potest valorem Sacramenti. Certum quippe est ex Assert. III. ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ sufficere Confessionis formalem integritatem: hæc vero toties habetur, quoties pœnitens bona fide de omnibus mortalibus peccatis eo se accusat modo, quo prudenter judicat se esse obligatum; cum igitur ex rationibus, quibus hæ sententiæ nituntur, prudenter judicare possit se non obligari e. g. ad confitendum peccatum, positive vel negative dubium in sensu exposito, ad explicandas circumstantias mere aggravantes &c. hoc dictamen secutus satisfacit obligationi, tametsi nec has explicet, nec illud confiteatur: atque ita sicut sua erit Confessioni sacramentali integritas, sic & suus Sacramento valor. Consuli potest de hoc argumento Viva in Tract. Theol: ad Prop. I. ab Innoc. XI. damn. item in Cursu Theol. Disp. 4. Qu. 3. N. 6. & Cardenas in Crisi Theol. Dissert. 2. a N. 107.

§. IV.

An in Sacramento Pœnitentiæ imponi debeat Satisfactio, eademque a pœnitente impleri, & quando?

SAtisfactio isthic sumitur pro actione, per quam Deo pro peccatis satisfit: estque voluntaria sui ipsius punitio, ad illatam Deo per peccatum injuriam, quoad fieri potest, compensandam. Sicut autem in peccato est tam reatus culpæ, quam reatus pœnæ: ita pariter Satisfactio alia est pro culpa, alia pro pœna; & cum pœna peccato debita esse possit non æterna tantum, sed & temporalis: rursum alia est Satisfactio pro pœna æterna, alia pro temporali. Quia interim hac providentiæ lege pœna æterna semper remittitur cum culpa, indubium est, eodem contritionis & confessionis ope-

opere; quo satisfit pro culpa, simul satisfieri pro poena æterna. Atque hinc proposita quæstio procedit solum de satisfactione pro pœnis temporalibus præstanda: nec qualibet illa, verum ea duntaxat, quæ in Sacramento Pœnitentiæ a Sacerdote, tanquam Judice, pœnitenti injungitur, quamque hujus Sacramenti *materiam integralem* jam alias diximus.

ASSERTIO I.

Confessarius regulariter obligatur ad imponendam pœnitenti Satisfactionem, statui ejus convenientem.

VEritas Assertionis constat tum ex eo, quod Sacramentum 64
Pœnitentiæ habeat rationem judicii vindicativi, in quo a reo exigitur satisfactio; tum quod satisfactio pertineat ad ejusd. Sacramenti integritatem, quam ejus Minister (dum potest) ex officio procurare tenetur. Certum idem est ex constanti usu & praxi Ecclesiæ: ac ex clara Tridentini doctrina Seff. 14. Cap. 8. ubi ait: *debent ergo Sacerdotes Domini - - salutares & convenientes satisfactiones injungere &c.* Quanta interim hæc sit obligatio, non conveniunt DD. Quidam cum Diana & Lugo putant, non peccaturum graviter Sacerdotem, si pro venialibus aut mortalibus jam ante confessis pœnitentiam non imponat; quia (ut illi inquiunt) hoc casu levis duntaxat imponenda esset: obligatio autem procurandi integritatem Sacramenti non videtur esse universim tanta, ut parvitatem materiæ non admittat. Communius attamen existimant DD. hanc Confessarii obligationem esse gravem pro omni casu, quo pœnitenti satisfactio imponi potest; ac id omnino probant rationes pro Assertione allatæ.

Sunt autem in Assertione consulto addita duo. Primum, 65
regulariter: nam ex usu & praxi Ecclesiæ certum est, moribun-

bundum sensibus destitutum (si cætera absolutionis est capax) omnino absolvendum esse, tametsi in hoc statu nullam satisfactionem acceptare, minus exequi possit. Alterum, *statui convenientem*: quo significatur, pœnitentiam injungi oportere eam, quæ proportionem habeat ad peccata, sitque accomodata circumstantiis, in quibus versatur pœnitens. Nimirum (verba sunt Tridentini loco supra cit.) *debent Sacerdotes, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere; ne, si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.*

Quamvis autem aliquando in satisfactionem imponi possint opera mere interna, vel aliunde præcepta, ut e. g. moribundo, voce, non tamen sensu omni destituto, actus contritionis &c. regulariter attamen imponenda sunt opera externa, nec aliunde præcepta: cumprimis autem ea, quibus pœnitentis emendatio opportunius procuretur. Præclarum in rem hanc est Ritualis Rom. monitum ad Confessarium: *contrarias peccatis pœnitentias injungat, velut avaris eleemosynas, libidinosis jejunia vel alias carnis afflictiones &c.* In his (quod res docet ipsa, & innuit Trident.) spiritus discretione & prudentia singulari opus est; subsidio nihilominus etiam esse possunt ea, quæ de satisfactionibus imponendis adnotant DD. præsertim Tamburin. in Meth. exped. Conf. & Platell. in Synop. Theol. C. 6. §. 9. a N. 934.

ASSERTIO II.

Pœnitens injunctam sibi a Confessario satisfactionem tenetur acceptare, eamdemque implere.

66 Assertio hæc ex priore deducitur, pugnantque pro ea momenta complura. 1mo, quia universim reus tenetur obe-

obedire Judici justam sententiam ferenti. 2do, quia Sacerdos, ut Pœnit. Sacramenti Minister, potest pœnitentem ligare impositione satisfactionis, ut declarat Trident. Sess. 14. Cap. 8. ubi postquam dixit: *Sacerdotes debere satisfactiones injungere - - etiam ad præteritorum peccatorum vindictam*, pro causa id reddit: *nam Claves Sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui PP. & credunt & docent;* quomodo autem Sacerdos habebit potestatem ligandi per impositionem pœnitentiæ, si in pœnitentis arbitrio sit eam acceptare vel recusare? 3tio, nam Concil. Lateran. IV. Can. *Omnis.* aperte statuit, ut quisque fidelium *injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus implere.* De obligationis porro hujus quantitate, in casu pro venialibus impositæ levis pœnitentiæ, rursum variant Doctorum sententiæ; communior interim etiam hoc casu docet, gravem esse obligationem, proinde graviter peccaturum pœnitentem, si vel levem pœnitentiam voluntarie non impleat. Istud vero dicendi ratio est: quia si satisfactio sit levis, eo facilius impleri potest; ergo voluntaria ejus omissio conjungitur cum aliquo contemptu Sacramenti, quod per omissionem hanc necesse est deficere in integritate, quam pœnitens etiam procurare tenetur, cum potest. Jam vero

Ex Assertione ultro consequitur; pœnitentem auctoritate propria non posse injunctam sibi satisfactionem mutare in aliam, etiam salubriorem: minus facere, ut per alium suppleatur. Ratio 1mi est: quia universim non est fas subdito mutare superioris præceptum, aut reo judicis sententiam; satisfactio præterea ejusmodi non esset sacramentalis, ut clarum est. Quodsi attamen pœnitentia imponatur nimis gravis, nec circumstantiis & statui pœnitentis accomodata, eamque Confessarius nolit mutare aut minuere, licet ad alium recurrere. Ratio 2di: secus enim ageretur contra finem satisfactio- 67

nis præcipuum, qui eſt vindicta peccati; item ſatisfactio eſt hujus Sacramenti materia, ſaltem integralis: ex Tridentino autem Pœnit. Sacramenti materia ſunt actus ipſius pœnitentis; huc denique facit Prop. 15. ab Alexandro VII. damnata.

ASSERTIO III.

Ad valorem & fructum Pœnit. Sacramenti neceſſe non eſt, ut ſatisfactio impleatur ante abſolutionem.

68 QUi oppoſitum aliquando docuerunt, id pro fundamento ſuæ opinionis ſtatuebant, quod ſacramentalis abſolutio non ſit vero ſenſu remiſſiva peccati, ſed remiſſionis hujus legitima duntaxat declaratio: quod ſi ita ſe habeat, prius utique que opus eſt ſatisfactione, qua obtineatur remiſſio, dein per abſolutionem declaranda. Sed enim falſum iſtud eſſe vel ex jam alias dictis patet, patebitque ex §. ſequ. unde & doctrinæ hinc deductæ falſitas innoteſcit. Ac omnino falſam illam & erroneam, ſatis conſtat ex hac Petri Oxonien. Propoſ. a Sixto IV. damnata: *quod non ſunt abſolvendi pœnitentes, niſi peracta prius pænitentia eis injuncta;* item ex Propoſ. 16. 17. & 18. ab Alexandro VIII. proſcriptis. Porro

69 Momentum, cui Aſſertio innititur eſt: quia nec ratio Sacramenti poſtulat, ut ante abſolutionem impleatur ſatisfactio: cum enim ſit tantum pars integralis, utique ſine illa haberi poteſt ſubſtantia & valor Sacramenti; neque præterea conſtat de ullo Chriſti præcepto, quo is nominatim voluerit ſatisfactionem anticipari. Quin nullum eſſe hujusmodi præceptum, docemur ex uſu in Eccleſia recepto abſolvendi pœnitentes, ante peractam ſatisfactionem. Ac de moderno quidem uſu, qui ipſe diuturnus & a multis ſaltem ſeculis receptus eſt, dubitari nequit; quamvis autem forte (ut quidam volunt) in primæva Eccleſia ut plurimum abſolutioni præmit-

mittenda fuerit satisfactio, de quo nos Differt. V. ex proposito statuemus: certum tamen est etiam tum sæpe, ac aliquibus saltem casibus absolutos fuisse pœnitentes, ante impletam satisfactionem, quod ipsum ead. Differt. V. comprobabimus; universalis igitur Ecclesiæ sensus est, ratum esse Pœnit. Sacramentum, tametsi satisfactio absolutionem consequatur.

Ex his vero legitima consecutione infertur: ad valorem & fructum hujus Sacramenti perinde esse, seu satisfactio pœnitentis absolutionem consequatur, seu antecedat. Servanda interim est recepta Ecclesiæ praxis, ut regulariter imponatur pœnitentia primum post absolutionem implenda; fas attamen est Confessario, quin etiam conveniens aliquando, satisfactionem exigere ante absolutionem, cum nempe id ad pœnitentis correctionem necessarium aut proficuum esse censuerit, id quod præsertim quoad peccatores inveteratos observari potest, ut docet Suarez & Lugo hic Disp. 14. Sect. 10. At cautela in hoc magna & prudenti judicio opus: ne, cum vulneribus mederi cupimus, ea amplius exasperemus. 70

Haud leve isthic (fateor) Platellius obmovet dubium: an vel aliquando imponi possit satisfactio, ante absolutionem peragenda? ac ipse quidem C. 6. §. 9. de Satisf. Sacr. N. 950. omnino asserit, id fieri neutiquam posse propterea, quod id genus satisfactio non foret sacramentalis, destituendum proinde sua integritate Sacramentum. 71

Mihi attamen cum Suarezio & Lugone videtur oppositum dici oportere. Ac eo quidem casu, quo, durante ipsa Sacramenti ministratione, ante absolutionem perageretur satisfactio, ut esse posset e. g. moribundo imposita invocatio Nominis JEsu, vel alicujus virtutis actus &c. vix dubium esse potest futuram sacramentalem: imponitur quippe virtute Clavium Ecclesiæ, & quidem in ipso Sacramento. Sed & tum fore sacramentalem contendo, cum Sacerdos, audita pœnitentis Con-

fessione, injungit pœnitentiam in longius tempus producendam, ac absolutionem differt: nec eam impertit nisi post expletam satisfactionem reduci, observatis attamen iis, quæ in casu hujusmodi observanda novimus. Quid enim rursum satisfactioni huic deerit, quo minus sacramentalem dicamus? Certe (ut casus fert) imposita est in Pœnit. Sacramento saltem inchoative tali: & quidem a Ministro Sacramenti, proinde virtute Clavium Ecclesiæ: eademque tam Sacerdotis quam pœnitentis intentione, ordinatur ad absolutionem; cur igitur non sit vero sensu sacramentalis, seu pars Sacramenti? Id profecto non officit, quod absolutionem antecedat: secus enim nec contritio esse posset pars Sacramenti. Neque obest, satisfactionem esse partem tantum integralem: fieri enim potest, ut aliquid ad compositum pertinens prius existat, quam ejusdem compositi, substantia, hujus nihilominus integritatem deinde perficiat, ut clarum exemplum habes in composito domus, aliisque artefactis. Consultum interim est, ut hoc etiam casu pœnitenti reduci aliqua, levis saltem, imponatur pœnitentia, dein post absolutionem peragenda, quo videlicet praxis Ecclesiæ communiter recepta observetur.

Respondetur Adversariis.

72 CONtra Assertionem I. argui potest: superfluum ac omnino inutile esse in Sacramento Pœnitentiæ imponere satisfactionem; ad eam igitur imponendam obligari nequit Confessarius. Ant. prob. ex duplici capite. Etenim 1*mo*, universim culpa (quod in hoc Sacramento fit per absolutionem) remissa, nullum amplius luendæ pœnæ, etiam temporalis, debitum remanet juxta illud Ezech. 33. *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit.* Quin 2*do*, tametsi hoc debitum remaneat, pro eo sufficienter satisfit Deo per

per merita & mortem Christi, qui *peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum* 1 Petri 2. Quæ igitur satisfactionis in hoc Sacramento imponendæ utilitas? quis finis?

Resp. N. Assertum, una cum ratione utraque ad comprobandum illud allata, eademque ex schola Lutheri & Calvini petita. Nimirum,

Quod ad 1*mam* rationem attinet, dimissa culpa non semper remitti omnem pœnam temporalem, complura docent ex S. Literis exempla. Sit pro omnibus David, cui tametsi 2 Reg. 12. Nathan Propheta dixerit: *Dominus - - transtulit peccatum tuum*, adjecit nihilominus continuo: *verumtamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc filius, qui natus est tibi, morietur &c.* Idem fuit constans Ecclesiæ sensus: cur enim alias in Pœnit. Sacramento satisfactiones imponeret? idquod tamen eam semper fecisse docemur ex Patribus, Conciliis, libris Pœnitentialibus & Ritualibus. Atque hinc est, quod Concil. Trid. oppositum sentientibus anathema dixerit Sess. 6. Can. 30. ac rursum Sess. 14. Can. 12. Neque doctrinæ huic adversatur Scriptura, cum apud Ezech. & alibi dicitur, post conversionem impii non nocituram ei impietatem, non imputanda illi peccata &c. hæc quippe omnia de reatu pœnæ æternæ intelligenda esse colligitur, ex contextu, & collatis invicem aliis Scripturæ locis. Idem observandum est de Patrum verbis, quæ cum hac doctrina pugnare videntur. Ita cum Augustin. L. 2. de pecc. mer. & remiss. C. 34. dicit: hujus vitæ mala *ante remissionem esse supplicia peccatorum, post remissionem autem certamina & exercitationes justorum;* id solum vult, quod vitæ hujus mala, ante remissionem sint nobis, ordinatione divina, principaliter in supplicium: post remissionem vero, simul in exercitationem ad meritum. Hoc nempe sensu locutum fuisse S. Patrem declarat ejusdem locus alius, nam in Psalm. 50. ait: *Veritatem dilexisti, id est,*

impunita peccata etiam eorum, *quibus ignoscis*, *non reliquisti.* At hæc nos tantum per occasionem; pluribus hanc fidei veritatem contra Novatores affirmatam passim apud Theologos Polemicos reperies, præsertim Bellarminum L. 4. de Sacram. Pœnitent. C. 2.

Rationem 2*dam* esse futilem, vel ex alias dictis jam patet. Credimus equidem, Christum pro peccatis nostris plene satisfecisse, quantum nempe requiritur ad satisfactionem ex se, & (ut Scholæ dicunt) *in actu primo* sufficientem: hæc interim ipsa satisfactio non prodest ad remissionem culpæ & pœnæ, re ipsa obtinendam, nisi eam nobis applicemus; applicamus autem, inter alia, per opera pœnitentiæ ultro susceptæ, aut in hoc Sacramento injunctæ. Ac omnino nisi istud ita se habeat, cur Lucæ 3. monemur: *facite fructus dignos pœnitentiæ?* Cur ipse Apostolus de se, *adimpleo ea*, inquit, *quæ desunt Passionum Christi in carne mea?* Cur jam inde a primis seculis Ecclesia constanter imponit satisfactiones? Cur easdem PP. commendant, eisque pro effectu veniam peccati attribuunt? Audiatur vel Augustin. in Ps. 50. ita Deum alloquens: *Non*, *non erit impunitum peccatum meum; novi justitiam ejus*, *cujus quæro misericordiam: non impunitum erit; sed ideo nolo*, *ut tu me punias*, *quia ego peccatum meum punio. - - Ignoscis; sed se ipsum punienti; ita servatur misericordia & veritas.* Consuli potest rursum Bellarminus, prolixe admodum de hoc argumento disputans supra laud. L. a C. 3. usque ad 16.

73 Contra Assertionem II. opponitur I. Non est obligatio, in hac vita satisfaciendi pro pœna temporali, quæ peccato quoad culpam remisso adhuc debetur: remissio præterea pœnæ hujus per satisfactionem sacramentalem obtinenda est in favorem pœnitentis; potest igitur illi renuntiare, seque ultro resolvere ad pœnas purgatorii sustinendas, atque ita

ita liberum est acceptare vel recusare pœnitentiam, in sacro tribunali injunctam. Imo

II. Non videtur esse ullus finis, propter quem illa impleri debeat: quod enim Pœnit. Sacramentum ex opere operato efficit, id obtinetur totum per absolutionem sacramentalem; quod autem satisfactio in Sacramento injuncta præstare potest ex opere operantis, idem præstat quævis satisfactio alia ultro suscepta, vel usus indulgentiarum &c. nam & his pœnæ temporalis remissionem obtineri certum est.

Resp. ad I. Ut ut sit de hac obligatione, ac etiam de eo, quod memorata pœnæ temporalis remissio sit in favorem pœnitentis: obligari nihilominus illum ex alio capite ad satisfactionem in sacro Pœnitentiæ tribunali impositam, evincunt rationes pro Assertione allatæ, quæ isthic recolendæ sunt.

Resp. ad II. N. Assertum: falsum quippe est, totum effectum ex opere operato huic Sacramento respondentem haberi, per solam Sacerdotis absolutionem.

Fateor equidem controversum esse: num satisfactio sacramentalis ex opere operato, saltem partialiter, causet gratiam habitualem? Affirmant Cajetanus, Scotus, Suarezius, Gonnetus, & multi Thomistæ; negat ex adverso Præpositus, Vasquez, quin (teste Gormaz) pars Theologorum potior. Ac omnino negandum videtur: nam cum satisfactio sit pars tantum integralis, ante expletam illam habetur tota Sacramenti substantia, proinde & effectus gratiæ; estque etiam probabilius, gratiam sanctificantem non causari per sacramentum Pœnit. nisi ut est culpæ remissivum, satisfactio autem non culpæ, sed pœnæ duntaxat reatum eluit.

Non desunt interim alii effectus, qui satisfactioni sacramentali ex opere operato respondeant: gratiæ nimirum actuales tempore opportuno conferendæ ad cavendum relapsum, & remissio pœnæ temporalis peccato remisso adhuc debitæ. Ratio 1*mi* effectus est: quia satisfactio, ex institutio-

tione Christi, imponitur etiam in remedium contra relapsum; hinc Trident Sess. 14. Cap. 8. Sacerdotes monet, ut id genus satisfactiones imponant, quæ sint etiam *ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum:* ad id vero gratiis actualibus opus est. Ratio 2*di*: præterquam quod enim nunc laud. Cap. Tridentin. velit imponi satisfactiones, *ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem;* jam antea etiam Cap. 3. dixit contritionem, confessionem, & satisfactionem esse hujus Sacramenti partes, easdemque *ad plenam & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiri;* igitur ex mente Concilii tres hi pœnitentis actus, ceu Sacramenti partes, ex institutione Dei, proinde ex opere operato conferunt ad remissionem peccati: at satisfactio non causat remissionem hanc quoad culpam, ergo saltem quoad pœnam.

Contra Assertionem III. pugnatur ratione fundata in ipsa
74 Pœnit. Sacramenti natura, item Patrum sensis, ac demum veteris Ecclesiæ disciplina. Nimirum

I. Sacramentum Pœnit. ad modum judicii a Christo est institutum; quid ni vero ipsa judicii natura postulet, ut reus ante absolutionem satisfaciat? Id quod eo amplius in hoc sacramentali judicio necessarium videtur, quod in eo satisfactio habeat rationem materiæ, absolutio autem sit forma; at materia præmitti debet formæ, non illam consequi, ergo &c. Ac omnino

II. Hunc in sacro Pœnitentiæ tribunali ordinem servari voluerunt Patres. Certe Innocentius I. Ep. 1. ad Decent. *Sacerdotis est*, inquit, *judicare, ut attendat ad Confessionem pœnitentis, & ad fletus atque lachrymas corrigentis, ac tunc jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem.* Et Leo M. Ep. 91. docet, Præpositis Ecclesiæ eam esse a Christo datam potestatem, *ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eos-*

eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.

III. Patrum sensis consonat vetus Ecclesiæ disciplina. Constat enim ex Cypriani Ep. 52. ad Antonian. peccatores inveteratos, qui in articulo mortis expiari petebant, non fuisse admissos ad Pœnit. Sacramentum: quod ipsum a Concil. Arelat. I. Can. 22. statutum novimus de Apostatis, in fine vitæ ad gremium Ecclesiæ redire volentibus. Existimabat igitur vetus Ecclesia, sacramentalem absolutionem concedi non posse, nisi præmissa satisfactione, quæ in articulo mortis integre peragi non poterat.

IV. Ac licet hoc casu aliquando peccatores absolverentur, superato nihilominus mortis periculo & recepta valetudine, cogebantur ad implendam Satisfactionem publicam, hacque expleta rursum ab Episcopo cum aliis pœnitentibus absolvebantur; ergo veteres illi dubitarunt saltem de valore absolutionis, ante expletam Satisfactionem collatæ. Hocque ipsum dubium satis indicat Augustinus, cum Serm. 57. de Temp. ait: *Datur quidem in extremis pœnitentia, quia non potest denegari; sed auctores tamen esse non possumus, quod, qui sic petierit, mereatur absolvi. Pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma est: quæ a moriente tantum petitur, timeo, ne ipsa moriatur.*

Resp. ad I. Ut in hoc Sacramento natura judicii quoad substantiam salva persistat, satis est absolutioni præmitti Satisfactionem pro reatu culpæ & pœnæ, qui unus duntaxat per absolutionem tollitur; id genus autem Satisfactio habetur per confessionem & contritionem. Nec obest, Satisfactionem etiam pro pœna temporali esse materiam Pœnit. Sacramenti: est quippe tantum materia & pars integralis; cur vero hæc consequi non possit formam ad substantiam compositi pertinentem, præsertim cum ea ipsa Satisfactio ratione aliqua ab-

solutioni praeexistat, nempe in voto, hoc est, satisfaciendi proposito, quod contritio includit.

Resp. ad II. Neutrum e laud. Patribus contendere, ex Christi institutione eum requiri ordinem. Quod igitur volunt, id solum est: regulariter observandum esse ritum, ea aetate in compluribus Ecclesiis receptum, de non absolvendis poenitentibus publicis ante expletam satisfactionem. Dixi *regulariter*: uterque enim docet, aliquando saltem concedendam esse absolutionem, nondum peracta integre poenitentia. Ita Innocentius in cit. Ep. sermonem suum sic prosequitur: *sane, si quis in aegritudinem inciderit, atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschae relaxandum, ne de saeculo absque communione discedat.* Leo item in ead. sua Ep. *his autem*, inquit, *qui in tempore necessitatis, in periculi urgentis instantia praesidium poenitentiae, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda; quia misericordiae Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempus definire.*

Resp. ad III. & IV. Fuit is omnino in quibusdam Ecclesiis apud veteres disciplinae rigor, ut in mortis articulo poenitentiam exposcentibus reconciliationis remedium quandoque penitus negaretur: at id ea duntaxat factum causa, quod censerent recte praesumi, id genus conversionem seram non proficisci ex sincero dolore, & serio emendationis proposito. Saepe interim hujusmodi etiam peccatores non tantum ad Poenit. Sacramentum, sed & ad participationem Eucharistiae admissos, Ecclesiastica monumenta testantur. Quod autem illis, restituta valetudine, poenitentia publica integre persolvenda fuerit; istud non eo spectabat, quasi de absolutionis prius concessae valore dubitarent: sed ut observaretur tum receptus disciplinae rigor, quo cautum erat, ne quis e publicis poenitentibus publicam reconciliationem obtineret nisi

nisi pœnitentia integre peracta. Hinc ea absolutio publica, quæ illis rursum cum aliis publicis pœnitentibus ab Episcopo conferebatur, non erat amplius sacramentalis, verum mere cæremonialis; qua videlicet pro foro externo integre reconciliabantur, & plenæ fidelium communioni restituebantur ad eum fere modum, quo etiamnum publici quidam pœnitentes excommunicationis vinculo solemni cærimonia exolvuntur. Augustinus quidem (fateor) in cit. Serm. non agit de hac mere cæremoniali absolutione: at metus ejus ex eo duntaxat proficiscitur, quod jure dubitandum censuerit de sincera eorum pœnitentia, qui ad extremum vitæ illam differunt. Hanc ipsam nihilominus salutarem esse posse agnoscit Serm. 66. de Temp. ubi, *pœnitentia vera*, inquit, *non annorum numero censetur, sed amaritudine animi; - - pœnitentia, quamvis sit exigui temporis, si intima cordis amaritudine agitur, non despicitur apud Judicem justum Deum, qui cordis secreta considerat &c.* Singula hæc expressius dabuntur Dissert. V. ad quam rursus Lectorem studiosum remittimus.

§. V.

In quo consistat, & quæ sit nominatim Absolutionis forma in Pœnitentiæ Sacramento?

PRæsens §. multiplicis controversiæ argumentum complectitur. Ut enim ex hujus Dissert. §. II. certum sit Pœnit. Sacramenti formam esse Sacerdotis absolutionem, disceptatur nihilominus: num ea exprimi debeat verbis proprie talibus? hæc ipsa rursum an deprecatoria esse sufficiat, nec requirantur necessario indicativa? quæ demum nominatim sint illa, sine quibus Sacramenti valor non habeatur? Ac pro

his quidem resolvendis prorsus necessarium est præmittere doctrinam fidei de potestate Clavium Ecclesiæ; tum & utile fuerit notasse Doctorum Orthodoxorum varias de forma absolutionis opiniones: quo videlicet jam in ipso disceptationis hujus limine discrimen appareat inter eas, quas invicem Catholici agitant in præsenti controversias, & illam, quæ Novatoribus adversum Catholicos est propria.

Doctrina fidei de potestate Clavium a Christo Ecclesiæ concessa.

75 I. DE ea solum potestate Clavium, quam Ecclesia in Pœnit. Sacramento exercendam a Christo accepit, isthic nobis sermo est. Ac de illa quidem Novatorum sensum jam supra Differt. I. §. II. N. 4. insinuavimus. Nimirum, tametsi eorum aliqui Pœnitentiam in numero Sacramentorum reponant, nullus tamen est, qui ipsa sacramentali absolutione peccatorum remissionem conferri admittat. Inde, potestatem remittendi peccata cum prædicandi potestate confundentes, in universum docent: Clavium potestatem Ecclesiæ concessam consistere in nuda & mere concionali declaratione, qua Minister Ecclesiæ præconis instar annuntiet pœnitenti peccata ejus per fidem, qua sibi ea remitti credit, esse remissa. Quid jam vero de hac opinione sentiendum? erroneam & fidei orthodoxæ contrariam esse, satis evincunt vel Christi verba ad Apostolos Joan. 20. *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* quibus (nisi verborum sensum prorsus violente detorqueas) aperte significatur, Ecclesiæ datam potestatem, qua ejus Ministri peccata vere remittant, & quidem ceu Judices a Christo delegati: quando universim delicti condonatio est actus ad Judicis officium pertinens. Neque alia fuit unquam mens Patrum. Certe Chrysostom. L. 3. de Sacerd. C. 4.

C. 4. inter veteris & novæ Legis Sacerdotes discrimen faciens, *nostris Sacerdotibus*, inquit, *non corporis lepram, sed animæ sordes, non dico, purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.* Vide in eamdem sententiam loquentes Augustinum Ep. 180. Ambrosium L. 1. de Pœnit. C. 7. Hieronymum Ep. 1. ad Heliod. & passim alios. Inde a Pio V. & Gregorio XIII. merito proscripta est hæc Baji Propos: *peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed a solo Deo.* Sed nimirum

II. Multo apertius hanc eamdem fidei doctrinam tradit 76
Conc. Trident. Sess. 14. cum Cap. 1. recitatis Christi Joan. 20. verbis, subdit: *verbis tam perspicuis potestatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis & eorum legitimis Successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit.* Et infra: *verissimum hunc illorum verborum Domini sensum S. hæc Synodus probans & recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei, & Christi Evangelium annuntiandi, contra hujusmodi Sacramenti institutionem, falso detorquent.* Dein vero Cap. 6. *quamvis autem*, inquit, *absolutio Sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio; tamen non est solum nudum ministerium vel annunciandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata: sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso, velut a judice, sententia pronuntiatur &c.* Neque hic stitit S. Synodus; quo denique omnem dubitationem fidelibus eximeret, interposito anathemate ead. Sess. hæc ipsa expressis verbis definivit: & quidem Can. 3. verba illa, *quorum remiseritis &c.* intelligenda esse *de potestate remittendi & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit;* tum Can. 9. *absolutionem sacramentalem Sacerdotis esse actum judicialem, & non nudum ministerium pronuntiandi & declarandi, remissa esse peccata &c.* Est itaque

que indubitatum fidei dogma, Sacerdotis abſolutione peccata vere remitti, hancque ipſam abſolutionem eſſe actum judicialem.

77 III. Ex his porro pronum eſt conjicere, quo loco habenda ſit opinio quorumdam veterum, cum Mag. Sent. L. 4. diſt. 18. S. Bonavent. in 4. Art. 2. qu. 1. & Alenſi ibid. qu. 21. docentium: ad Pœnit. Sacramentum requiri contritionem perfectam, per quam ipſam peccata remittantur: atque adeo Sacerdotis abſolutionem non eſſe peccati remiſſivam, ſed meram remiſſionis hujus declarationem. Scio equidem, Doctorum complures hanc inter & Sectariorum opinionem diſcrimen facere: tum quod in illa prædicandi poteſtas non confundatur cum poteſtate ligandi & ſolvendi; nec Sacerdotes dicantur agere Præcones duntaxat, ſed Judices, peccata eſſe remiſſa juridice declarantes; quod item, ex ſenſu horum Theologorum, contritio cum Sacramento conjuncta non deleat peccata, niſi prout eadem ad Claves Eccleſiæ ordinatur; quod denique ipſi abſolutioni, tametſi non prima gratia, ejusdem tamen augmentum, ceu proprius effectus, attribuatur. Neque ignoro, multos Theologos, ac inter hos etiam Tridentinos, ſcilicet Andream Vega, Dominicum Soto, & Alphonſum Salmeron, contendere: ſententiam illam a Concilio Trident. non fuiſſe proſcriptam, cum Patres (quod ipſum notat Pallavic. Hiſt. Trid. L. 10. C. 12.) intenderint ſolum damnare Sectarios, qui aſſerebant, abſolutionem eſſe nudum miniſterium declarandi, peccata jam eſſe remiſſa. Ut ut interim ſit de his vindiciis; fatendum eſt nihilominus, memoratam ſententiam cum doctrina Tridentini non ſatis cohærere, eamdemque paſſim rejici, ac pro temeraria & erronea haberi: quamquam venia digni ſint veteres illi, ut qui ea ætate ſcripſerint, qua dogma hoc nondum fuit decretorio Eccleſiæ judicio ſatis declaratum.

DD.

DD. Orthodoxorum opiniones de Absolutionis sacramentalis forma.

QUamvis communiter recepta sit apud Theologos sententia: sacramentalis absolutionis formam consistere in verbis proprie talibus, iisque tantum indicativis, & quidem his aut similibus, *ego te absolvo &c.* interim

I. Sunt, qui existiment, olim saltem, videlicet ante De- 78
cretum Clementis VIII. 20. Julii An. 1602. datum, valuisse absolutionem etiam scripto tantum collatam. Atque istud omnium accerrime propugnat Morinus in Comment. Hist. de Sacr. Pœnit. L. 8. C. 25. ubi pro opinione hac laudat S. Antoninum, Paludanum, Sylvestrum, Petrum & Dominicum Soto, Suarezium, compluresque alios, eamdemque veterum quorumdam exemplis confirmat, simul (nulla restrictione adjecta) asserens: *Decretum Pontificis invalidam reddere posse absolutionem, alias legitimam.*

II. Sunt item, quorum sententia ad sacramentalis abso- 79
lutionis valorem (sola Christi institutione spectata) perinde est, seu ea indicativis, seu deprecativis verbis exprimatur. Ita opinandi jam ætate D. Thomæ initium factum est a quodam, quem Doctor Ang. Opusc. 22. ex proposito impugnat. Sed nimirum cum auctore suo tum quidem consepulta est hæc opinio, neque prius, quam per Clar. Morinum Seculo XVII. plenam lucem recepit; si qui enim interea illi favere visi sunt, ambiguis admodum, nec sat certis verbis sensum suum exprompserunt. Morinus igitur primum obsoletam opinionem integre revocare aggressus, multa ad affirmandam illam congessit argumenta in laud. Comment. L. 8. a C. 8. usque ad 23. id simul contendens: totis undecim primis Seculis ignotam fuisse universæ Ecclesiæ formam absolutam & indicativam, Orientales vero nunquam alia, quam deprecativa, usos, hac-

hacque sola etiamnum uti. Morinum e RR. sequuntur Casp. Juenin, Witasse, Tournelyus, Card. Gotti, Ludov. Habert, Cabassutius, Auct. Rei Sacramentariæ &c. Deseritur contra a plurimis, & ex proposito impugnatu a Vincentio Baronio, Nicolai, Goneto, præsertim a Natale Alex. L. 2. Theol. Mor. C. 7. Art. 1. Simonetto in Instit. Theol. Tract. 15. de Pœnit. Disp. 8. Art. 1. usque ad 7. & Laurentio Berti Discipl. Theol. L. 34. Par. 2. C. 7.

80 III. Demum & illi, qui formæ indicativæ subscribunt, de verbis nihilominus ad eam necessario requisitis disceptant. Ad valorem nempe ejus hæc verba, *absolvo te a peccatis*, exprimi debere docent Gabr. Biel, Paludanus, Major, Gormaz &c. quin Durandus & Aurelius cum paucis aliis necessario addenda putant & illa, *in nomine Patris &c.* ex adverso plurimi, post D. Thom. & S. Antoninum cum Suarezio contendunt sufficere hæc sola, *absolvo te.*

Atque hæ sunt DD. orthodoxorum in præsenti controversia opiniones, de quibus pronuntiandum habemus: nam Novatorum error satis, ni fallor, confutatus est N. 75. ubi doctrinam fidei, de potestate Clavium Ecclesiæ concessa, explanavimus.

ASSERTIO I.

Absolutio sacramentalis exprimi necessario debet verbis proprie talibus: ut adeo nutu duntaxat vel scripto data sit irrita.

81 Asserti hujus probatio sensu & praxi Ecclesiæ conficitur. Præterquam quod enim in Concilii Florent. Decr. pro Arm. declaretur generatim, omnia Sacramenta perfici *verbis tanquam forma:* ibid. speciatim etiam de Pœnit. Sacramento additur: *forma hujus Sacramenti sunt verba absolutionis, quæ Sacer-*

Sacerdos profert, cum dicit: ego te absolvo &c. quibus aperte significatur, absolutionis formam consistere in ejusmodi verbis, quæ Sacerdos loquens enuntiat, quæ ipsa sunt proprie talia, seu ore prolata. Idem docet Trident. Seff. 14. Cap. 3. asserens, *Sacramenti Pœnit. formam - - in illis Ministri verbis positam esse: ego te absolvo &c.* ubi (ut patet ex contextu) cum agat de formæ essentia, ad eam utique nominatim requirit *Ministri verba*; qualia autem illa? certe non alia, quam quæ jam ante a Florentino requisita diximus, proinde verba ore prolata. Atque his plane consonat praxis Ecclesiæ: hujusmodi quippe verbis omni ætate collatam esse absolutionem sacramentalem, documento sunt tam veteres quam moderni LL. Rituales; eamdem contra scripto, nutu, aut id genus signis aliis datam, ac etiam Ecclesiæ judicio pro rata habitam, nullo fundamento vel probabili evincit Morinus: quin semper fuisse invalidam, recte arguitur ex Clementis VIII. Decr. ut infra N. 89. comprobabimus.

ASSERTIO II.

Irrita pariter est sacramentalis absolutio, si ea concipiatur verbis mere deprecativis, e. g. oro Deum, ut tibi remittat peccata &c. *quo igitur valeat, verbis indicativis exprimenda est, his videlicet, aut similibus:* absolvo te, remitto tibi peccata, condono &c.

Omnium, ipsius etiam Morini consensione, in Latina Ecclesia graviter obligantur Sacerdotes ad Pœnit. Sacramenti formam verbis indicativis enuntiandam; idque tum ob praxim jam receptam: tum quod Florent. & Trident. Concilia istud requirant. Sed nimirum amplius est, quod volumus: de ipso Sacramenti valore agi existimamus, cum formæ indicativæ & deprecativæ usus in quæstionem vocatur. Ac ut

in re, quam post Morinum quidam RR. nimis implexam & controversam reddiderunt, quod ut minimum dicendum videtur, afferamus: verba indicativa ad formam hujus Sacramenti ita requirimus, ut saltem verisimilius sit, sine illis nec valuisse unquam, neque nunc in ulla Ecclesia valere sacramentalem absolutionem. Unde vero istud repetendum certius? atque ex iis Tridentini locis, quibus ex proposito agitur de forma absolutionis. Sane fons hic multo sincerius & certius de proposita controversia judicandi suggerit argumentum, quam ambigua quædam Patrum effata, & incerta Historiæ ac veterum LL. Ritualium monumenta, quibus nititur Morinus. Ita autem ex Tridentino

82 Arguitur I. Juxta declarationem Concilii Sess. 14. Cap. 1. factam, Christus Pœnit. Sacramentum instituit, cum diceret Joan. 20. *quorum remiseritis peccata &c.* hisque verbis dedit Sacerdotibus potestatem remittendi peccata; ergo ex mente Concilii hoc Sacramentum ita institutum est, ut in ejus ministratione ipse Sacerdos, & quidem potestate sua, a Christo videlicet sibi communicata, remittat peccata: id quod utique non facit, si oret duntaxat pro peccati remissione, quod fit per formam deprecativam. Sane diversa sunt: orare Sacerdotem pro venia peccati, & ipsum Sacerdotem auctoritative dare peccati veniam; quod si igitur absolutionem conferat tantum deprecando, non confert illam juxta institutionem Christi, hoc est: non ministrat Sacramentum ea potestate, quam ad ministrandum illud a Christo accepit. Quid quod universim Minister per Sacramenti verba non aliud efficiat, quam quod per illa significat; ergo cum per verba deprecativa non significet se remittere, sed orare duntaxat pro remissione, re vera ipse non remittit.

83 Arguitur II. Eadem Sess. Cap. 3. hæc leguntur: *Docet præterea S. Synodus, Sacramenti Pœnit. formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse,* ego te absol-

absolvo &c. *quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur: ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ.* Ex his jam quid ni ita inferre liceat? Hoc loco S. Synodus agit de forma absolutionis, quin 1*mo* discernat veterem inter & modernam Ecclesiam, aut Latinos & Græcos; agit 2*do* de formæ essentia, ut vel recitatus verborum contextus indicat; 3*tio* docet, in verbis indicativis formam esse ita positam, ut ad ejus essentiam non spectent preces, nec sint necessariæ ad Sacramenti administrationem; 4*to*, precum in Pœnit. Sacramento usum, non ab institutione Christi, sed ab Ecclesiæ tantum more repetit; 5*to*, cum indefinite dicat, *de Ecclesiæ sanctæ more*, ex usu loquendi Conciliis usitato per hunc morem utique intelligit Ecclesiæ universalis consuetudinem, eamque perpetuam; ergo ex mente Concilii pro universa Ecclesia absolutionis sacramentalis essentia consistit in verbis indicativis: essentia ejus non habetur per preces: neque illæ sunt ex institutione Christi, sed ex more tantum Ecclesiæ, quæ formæ sacramentalis substantiam nec statuere, nec mutare potest juxta id. Concil. Sess. 21. Cap. 2.

Arguitur IIf. ex ejusd. Sess. 14. Cap. 6. ubi S. Synodus 84
ita se declarat: *Quamvis absolutio Sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium, - - sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso, velut a Judice, sententia pronuntiatur.* Rursum hic certe agitur de Pœnit. Sacramento, prout illud pro universa Ecclesia est institutum, & ab ea ex institutione Christi quovis tempore fuit ministrandum; ergo ex hac ipsa institutione Sacerdos Pœnit. Sacramentum ministrans exercet judicium, & ut Judex pronuntiat sententiam, eamque ejusmodi, quæ sit actus judicialis: id quod haberi per eam absolutionis formam, quæ solis deprecativis verbis concepta sit, ut concedam, adduci non possum. Quis enim di-

cat eam sententiam esse vero sensu judicialem, quae sola deprecatione absolvitur? sane uti inter judicem & deprecatorem: sic & inter actum, quo reus Judicis sententia a delicto judicialiter absolvitur, & Orationem, qua rei absolutio petitur, multum discriminis intercedit.

His jam vero attentis, si de sensu & mente Concilii Tridentini statuere oporteat, quidni saltem verisimilius sit? censuisse illud, non deprecativa, sed absoluta & indicativa forma universim in tota Ecclesia ministrandum esse, ac etiam semper ministratum fuisse Pœnitentiæ Sacramentum, secusque fore irritum. Quod si autem istud ita se habeat, quomodo asseri potest? totis undecim primis seculis Ecclesiam ignorasse formam indicativam: nuncque etiam Græcos sola deprecativa uti, approbante, & absolutionem id genus ratam habente Ecclesia. Sed nimirum non desunt Cl. Morino, quibus opinionem suam propugnet, momenta; at his nos speciatim a N. 90. respondere adnitemur, robur una & pondus argumentis ex Tridentino nunc ductis addituri.

ASSERTIO. III.

Ad valorem absolutionis sacramentalis satis est a Sacerdote proferri hæc, aut his æquivalentia verba: absolvo te.

85 Nimirum, solis his super peccata confessum a Sacerdote prolatis verbis, non modo persona Ministri & Subjecti, sed & ipse præcipuus Sacramenti effectus exprimitur; quamvis enim ex se indifferentia sint ad significandam absolutionem a peccatis, vel aliis vinculis, ut e. g. sunt censuræ: eadem nihilominus hoc casu, tam intentione Sacerdotis, quam a præmissæ Confessionis circumstantia, sufficienter determinantur ad significandam nominatim peccati condonationem.

Istud

Istud vero, quo rata sit absolutionis forma, satis esse vel inde conjicias: quod ad ejus substantiam plura requiri verba nullo Scripturæ, aut Patrum, vel Conciliorum testimonio evinci possit; quin, si Græcorum absolvendi morem ab Ecclesia probatum, ac etiam Catechismum Rom. consulas, nulla præterea requiri verba alia, comperies. Quid enim Græci? teste Arcudio L. 14. C. 3. item Menardo ad Sacram. Gregorii *Nota* 677. absolutionis formam his verbis enuntiant: ἔχω σὲ συγκεχωρημένον, *habeo te venia donatum*, vel, *habeo te absolutum*, quod ex modo loquendi Græcorum idem est, ac apud Latinos, *absolvo te.* Et Catech. Rom. Par. 2. C. 2. §. 19. docet: *est autem forma*, ego te absolvo; *quam non solum ex illis Christi verbis licet colligere*, quæcumque solveritis &c. *sed ex eadem Christi doctrina ab Apostolis traditam accepimus. Ac quoniam Sacramenta id significant, quod efficiunt; & illa*, ego te absolvo, *ostendunt, peccatorum remissionem hujus Sacramenti administratione effici: planum est, hanc esse Pœnitentiæ perfectam formam.*

Ex his porro consequitur: reliqua, quæ ex more absolutioni sacramentali adjicimus, verba ad ejus essentiam non pertinere. Eadem nihilominus omittere arbitrarium non est. Et verba quidem, *a peccatis*, addenda esse sub obligatione gravi communiter DD. existimant: per eorum quippe omissionem Pœnit. Sacramentum exponitur frustrationis periculo, cum sententia, quam tuemur, non sit moraliter certa, sed probabilis tantum. De verbis etiam, *in nomine Patris & Filii &c.* plurimi contra Gonetum consentiunt, saltem venialiter peccaturum, qui ea omitteret; idque vel ideo, quod omissio hæc foret contra ritum ab Ecclesia receptum: hic ipse interim quia non est in re gravi, certumque habetur, non pertinere illum ad substantiam formæ, gravis obligatio adstrui nequit. Quo igitur Sacerdos, non valide tantum, sed licite etiam 86

 Pœnit.

Pœnit. Sacramentum miniſtret, recitanda eſt forma verbis in Rituali Rom. præſcriptis, videlicet: *ego te abſolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen.* Eſt autem hujus formæ, ſpectata Chriſti inſtitutione, juxta plurimos Theologos cum Suarezio hic Diſp. 19. Sect. 2. ſenſus ſequens: *confero tibi gratiam, quantum eſt de ſe, peccati poſt Baptiſmum commiſſi remiſſivam.* Quo quidem ſenſu admiſſo facile explicatur, quomodo abſolutionis formæ ſua conſtet veritas eo etiam caſu, quo illa profertur ſuper pœnitentem, cui peccata jam prius remiſſa ſunt per contritionem, aut præcedentem abſolutionem. Alii interim alio ſenſu eamdem formam exponunt, ut videre eſt apud Platell. in Synop. Th. C. 6. §. 7. N. 811.

Reſpondetur Adverſariis.

87 QUidam adverſus Aſſertionem I. his fere momentis pugnant. I. Quamvis Concil. Florentin. in Decr. pro Arm. generatim dicat, *Sacramenta perfici verbis tanquam forma*, ratum nihilominus eſt Matrimonii Sacramentum, ſolo nutu aut ſcripto a contrahentibus celebratum: valida item eſt, ſaltem aliquo caſu, pœnitentis Confeſſio iisdem ſignis facta, licet in eod. Decr. pro Pœnit. Sacramenti materia nominatim *Oris confeſſio* aſſignetur; cur non igitur item dici poſſit de abſolutione ſacramentali per nutum aut ſcriptum collata, quamvis tam Florent. quam Trident. Concilia formam hujus Sacramenti in verbis ore prolatis reponant?

II. Pœnitentiæ Sacramentum ad modum judicii eſt inſtitutum; quis autem neſciat, ſalva judicii natura ſententiam ferri poſſe ſcripto? Ac id quidem in ipſo etiam Eccleſiæ tribunali quandoque uſitatum novimus, cum conſtet, abſolutionem a cenſuris vel ſcripto datam pro rata haberi.

Reſp.

Reſp. ad I. C. Ant. N. Illat. Etenim, ſi Matrimonium in ratione Sacramenti ſine verbis proprie talibus (quod iſthic nondum definimus) perfici queat, iſtud ſententiæ hujus Patronis aliunde comprobandum eſt: oris autem confeſſionem non eſſe ſemper neceſſariam, ut ex N. 54. conſtat, vel praxis Eccleſiæ docet. Quo igitur (non obſtante Florentini & Tridentini declaratione) idem dici poſſit de ſacramentalis abſolutionis forma, proferendum in hanc rem pariter foret argumentum, quod evincat, Conciliorum pro Aſſertione a nobis laudatorum doctrinam cum reſtrictione accipi oportere: nihil autem ejusmodi ab adverſa parte proferri, patebit ex ſeqq. Reſponſis.

Reſp. ad II. Tametſi Pœnit. Sacramentum ex Chriſti inſtitutione quamdam judicii rationem habeat, eam nihilominus ab humani & civilis judicii natura in multis diverſam eſſe patet ex N. 57. haud recte igitur univerſim ab hoc ad illud illatio inſtituitur. Sed nec legitime argui poteſt ab abſolutione a cenſuris: quamvis enim cenſura feratur propter peccatum, ipſa tamen peccatum non eſt, verum pœna duntaxat peccati; ergo ad abſolutionem a cenſura non omne id requiritur, quod neceſſarium eſt ad abſolutionem a culpa. Quid quod etiam defunctis impendi poſſit abſolutio a cenſura: nemo tamen idem dixerit de ſacramentali abſolutione a culpa. Inter ipſa igitur Eccleſiæ tribunalia diſcrimen faciendum eſt. Atque hæc ſatis, opinor, expedita ſunt; verum

Inſtari poteſt cum Cl. Morino, & quidem I. ab exemplis 88
eorum, quibus abſolutio per literas collata legitur. Ita Sec. IX. Hildeboldus Ep. Sueſſion. abſolutus eſt ab Hincmaro Archiep. Rhem. ut conſtat ex ipſius Hincmari Epiſt. 40. Operum ejus Tom. 2. a Sirmondo editorum. Similiter Sec. XII. Alexander III. S. P. Thomæ Archiep. Cantuar. ſcripto abſolutionem impendit, ut refert Baron. in Annal. Eccl. ad An. 1164. Plura id genus congerit Morinus.

II.

II. Huc facit & auctoritas complurium Doctorum, absolutiones hujusmodi ante Decr. Clementis VIII. ratas fuisse existimantium, quorum aliquos a Morino laudatos supra N. 78. nominavimus. Atque his se quoque accedere profitetur Cl. Morinus; inde, postquam in hanc rem toto jam alias cit. C. 25. copiose non minus quam erudite disseruit, ibid. demum N. 18. de absolutione scripto data concludit: *post Pontificium Decretum plane invalida est, & validam esse nonnisi falso credi potest.*

Resp. ad I. incertum esse argumentum, quod ab hujusmodi exemplis ducitur: nullum quippe existimo proferri posse, quo certo doceamur absolutiones illas fuisse sacramentales. Etenim, si rite expendantur circumstantiæ omnes, absolutio id genus scripto missa vel fuit mera deprecatio pro remissione pœnitenti a Deo obtinenda: vel absolutio a censuris aut pœnitentia canonica: vel collatio *Indulgentiæ*, qua non culpam, sed reatum duntaxat temporalis pœnæ remitti novimus. At, inquies, Gregorius VII. expressis verbis *absolutionem a peccatis* Episcopo Leodiensi per literas concessit; ita enim datam ad eum Ep. (quæ est 61. L. 2. Epistolarum Gregorii) concludit: *auctoritate B. Petri Apostolorum Principis absolvimus te a peccatis tuis &c.* Verum hæc non officiunt, quo minus aliquo ex paulo ante memoratis sensu, hanc ipsam absolutionem congrue exponamus. Nimirum laud. Episcopus Leod. simoniacam labem contraxerat, ut in ead. Ep. Gregorius meminit: cur non igitur congrue dici possit, a censura simoniæ adnexa fuisse absolutum? Addit præterea Pontifex post nunc cit. verba, *& Dominum pro te exoramus, ut &c.* rursum itaque opinari licet, deprecatorie tantum, non autem judicialiter hanc absolutionem eum pronuntiasse. Denique, ipsa *Indulgentia* his nonnunquam concipitur verbis, *remissio tertiæ partis peccatorum:* neque tamen propterea ordinatur ad remis-

remissionem culpæ, verum pœnæ tantum temporalis; nihil igitur vetat illa Gregorii verba, *absolvimus a peccatis*, intelligi de *Indulgentia* ex plenitudine potestatis Apostolicæ concessa.

Atque his fundamenti instar præmissis, speciatim jam de duobus exemplis in Object. adductis judicium ferendum est. In utroque autem absolutionis nomine intelligendam existimo meram a censuris solutionem, & potestatem concessam faciendæ apud alium Sacerdotem Confessionis sacramentalis. Ratio ita sentiendi desumitur ex ipsis Hincmari & Alexandri verbis. In cit. quippe Epist. Hincmarus sub finem nominatim Confessionem injungit Hildeboldo: *specialiter*, inquit, *ac singillatim Deo & Sacerdoti satage confiteri &c.* quorsum autem hæc, si absolutio per literas missa fuit sacramentalis? Idem legitur in Epist. Alexandri, ita enim ibid. S. Thomam affatur: *Si aliquid te recolis commisisse, de quo propria te debeat conscientia remordere; quid quid sit, Sacerdoti, qui discretus & providus habeatur, tibi consulimus per pœnitentiam confiteri &c.* Nimirum (ut refert Surinus ad diem 29. Decemb. & Stapletonus in Libro, *Tres Thomæ*) piissimus hic Cantuar. Præsul metuebat, ne forte censuram incurrerit, quod fraude aliorum inductus Henrico II. Regi Angliæ aliquando adhæsisset; inde sibimet ipse a sacris interdixerat, donec hoc vinculo a S. Pontifice exolveretur: quæ quidem cum paulo ante recitatis Alexandri verbis collata prudenti conjecturæ dant locum, absolutionem eam non fuisse sacramentalem.

Quid ni vero conformiter ad hæc de reliquis id genus exemplis statuere liceat? ut, cum Alcuinus Ep. 63. Hadrianum Papam rogavit, ut se *juberet salutiferæ pietatis verbo a peccatorum vinculis esse solutum*; cum Gregorius VII. repetitis vicibus absolutionem per literas est elargitus, ut in ejus Epistolar. L. 1. Ep. 34. L. 8. Ep. 2. L. 6. Ep. 14. legitur; & plura

plura his ſimilia, quæ videre eſt ſæpe laud. C. 25. apud Morinum. Illud vero, quod ibid. primo ſtatim loco narrat de Serapione, in extremis ad Eccleſiæ communionem admiſſo, ad rem præſentem prorſus non facit, ut patebit expendenti veterem Eccleſiæ circa pœnitentes publicos diſciplinam, de qua nos Diſſert. V. acturi ſumus: idemque colligitur ex tota facti hujus narratione apud Euſebium L. 6. C. 33. cujus nos ipſi jam ſupra L. IV. de SS. Euch. N. 76. meminimus.

Ac Denique, ut hanc noſtram abſolutionis per literas datæ acceptionem ipſius Cl. Morini ſenſu confirmemus: fatetur is L. 10. C. 22. hoc nomine non raro venire Indulgentiam, relaxationem, & commutationem pœnæ. Vel ea, quæ ibid. N. 6. habet, recitaſſe ſuffecerit. *Hoc ſane modo*, inquit, *Pontifices in antiquiſſimis Indulgentiarum diplomatis dixerunt, ſe peccata omnia aut eorum partem remittere, abſolvere, indulgere: quia revera eorum ſola auctoritate ea relaxatio vel commutatio, quæ pœnam remittit, & in culpam agit, eamque abſtergit, conceditur. Merito igitur, licet abſentes ſint; licet peccatorum confeſſionem non audierint, peccata dicuntur abſolvere, & remittere, cum Indulgentiam conceſſerint, cujus virtute Pœnitentia canonica expungitur &c.* Expende hæc, & comperies, vel ipſius Morini ſuffragio nullam nos vim inferre verbis pro abſolutione ſcripta objectis, cum ea ſenſu noſtro exponimus.

Ita nimirum quidam Criticen profeſſi dictant legant leges, quas, cum ad rem eorum faciunt, ſequantur: ſin vero, ab eis liberaliter recedant; id quod multis ſparſim demonſtrat in ſuis Animadv. in Reg. & uſum Crit. Honoratus a S. Maria, cautus ſane, & (ſi quis alius) moderatus Criticus. Inde opportune monuerim Theologiæ ſtudioſum 3. caveat, ne in rebus ad fidei doctrinam pertinentibus ſpecioſa RR. quorum-

dam

dam crisi nimium perstringatur. Critices suffragium ad eorum, quæ implexa sunt, explicationem juvare potest: at de his ipsis ferre sententiam Ecclesiæ est tribunalis, quod illa cumprimis per Concilia exercet.

Resp. ad II. Doctorum nobis adversantium auctoritas non est tanta, ut ei in præsenti controversia deferendum putemus. Inducti illi fuerint exemplis absolutionis per literas quandoque datæ: aut certe plus nimio tribuerint analogiæ, quam Pœnit. Sacramentum habet cum judicio vulgari; at enim, cum evinci non possit absolutiones illas fuisse sacramentales: sitque præterea magnum inter duo hæc judicia discrimen; ac denique pro nobis faciat Florentini & Tridentini doctrina, ipsaque praxis Ecclesiæ: ab eorum opinione omnino recedendum existimamus. Cæterum, neque omnes illi, quos pro se laudat Morinus, cum eo penitus consentiunt. Certe Suarezius, tametsi fateatur probabile visum non paucis, absolutionem scripto datam absenti esse validam, addit nihilominus: *licet probabilius semper fuerit, & mihi quidem certum, esse nullam, & consequenter non esse exercendam.* Consule eumd. in 1. 2. Tract. 3. Disp. 12. Sect. 6. N. ult.

Sed nec illud isthic prætereundum censeo: absolutionem 89
per literas concessam ante Decr. Clementis fuisse validam contendit Morinus, post illud autem penitus invalidam. Qui vero istud? Clemens hoc suo Decr. §. 1. damnavit propos. sequ. *Licet per Literas, seu internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere.* Certe, attentis Decreti verbis, agitur in eo solum de Confessione absenti Sacerdoti facta, & absolutione a Sacerdote absente collata; ergo, si sententia Morini ex se valida est, absolutio scripto data valida erit etiamnum eadem saltem eo casu, quo pœnitenti præsenti a Sacerdote e. g. usu loquendi destituto impendetur. Istud utique admissum nolit

Morinus: igitur absolutionis scriptæ invaliditas a solo Clementis Decreto haud recte repetitur.

Deinde, si vel de sola absolutione per absentem Sacerdotem scripto collata fiat sermo, quæro: cur ea, prius valida, per cit. Decretum reddita sit penitus invalida? propterea inquit Morinus sæpe laud. C. 25. N. 18. quia per hoc Decretum Pontifex quoad hujusmodi absolutionem restrinxit aut etiam sustulit Sacerdotibus potestatem. At quam illam? non utique ordinis, sed jurisdictionis duntaxat: quod ipsum ibid. explicat exemplo reservationis casuum, & aliarum id genus restrictionum. Ex hoc autem quid ni ita jure arguam: post Clementinum Decretum absolutio absenti scripto data est invalida, defectu jurisdictionis; ergo eadem, si ante hoc Decr. fuit valida, valida pariter erit aliquo saltem casu, e.g. cum pœnitens in articulo mortis versatur, nec ab ullo Sacerdote accedi potest. Ita, tametsi Sacerdos excommunicatus aut suspensus, defectu jurisdictionis regulariter invalide absolvat: in periculo nihilominus mortis, cum alias Sacerdos haberi nequit, rata est ejus absolutio: quia nimirum jurisdictionis sublatio non extenditur ad id genus necessitatis casum, idque ob bonum animarum; ergo etiam &c. Illatio, ut vides, est legitima; neque tamen id, quod ea continetur, sustineri potest, cum in laud. Decr. §. 2. disertis verbis præcipiat Pontifex: ne opinio de hujus absolutionis valore *unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur.* Vel ipsi igitur Cl. Morino, si ad Criticæ suæ leges principia etiam theologica adjungat, fatendum est: absolutionem scripto datam, quam nunc ait esse penitus invalidam, non vi præcise Clementini Decreti, verum ex se omnino & spectata Christi institutione, ac proinde semper fuisse invalidam.

Atque hæc paulo prolixius: quo videlicet Auditores nostros hoc exemplo doceremus, Criticorum de controversiis theo-

theologicis pronuntiata non semper esse oracula, in quorum obsequium nos subjici continuo oporteat; ad Theologiæ tribunal prius deferenda sunt, non prius, quam hujus comprobentur suffragio, momentum habitura.

Ad tuendam Assertionis II. veritatem, longe plures ex- 90
pediendæ sunt difficultates, eæque cumprimis, quas Cl. Morinus in suo de Pœnit. Comment. totis 15. Capitibus obmovet: nam, qui eum ex RR. sequuntur, vix novi quidquam proferunt. Et has quidem minutim, ac ex ordine dissolvendas ex proposito suscepit Simonnettus Tract. 15. de Pœnit. Disp. 8. ab Ar. 2. usque ad 7. nobis, quia compendio studendum est, satis fuerit summa earum capita discutere. Jam vero laud. Morinus

I. Pugnat auctoritate Scripturæ, illis videlicet ex Ep. Jacobi C. 5. V. 16. certis verbis: *confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini;* cum igitur hic Apostolus agat de Pœnit. Sacramento, quid ni in eo peccati fiat remissio per Sacerdotis orationem? quodque hinc consequitur, sufficiens hujus Sacramenti forma est oratio Sacerdotis. Certe ex ejusd. C. V. 14. *infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes &c.* recte infertur, Extremæ Unctionis formam haberi per orationem; perinde igitur &c.

II. Pugnat auctoritate Patrum. Nimirum, Tertullian. L. de Pudicit. C. 2. inter peccata distinguens, de remissibili ex Joanne illud recitat: *si quis scit, fratrem suum delinquere delictum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita &c.* ac dein subjungit: *ita ubi est* (delictum) *postulationis, illic etiam remissionis &c.* Et rursum C. 19. de eod. peccato, ejus *venia erit*, inquit, *per exoratorem Patris Christum;* quibus verbis Morinus designari putat orationem, quam Ecclesia per Sacerdotes vice Christi fundit pro peccatis.

His non abſimilia legere eſt apud alios. Ita Ambroſius L. 3. de Spir. S. C. 8. ait: *homines in remiſſione peccatorum miniſterium ſuum exhibent, non jus alicujus poteſtatis; - - iſti rogant, divinitas donat.* Hieron. in Pſ. 28. *Deus in uno quoque noſtrum flammam libidinis per confeſſionem, & gratiam Spiritus S. intercidit, id eſt, per orationem Sacerdotis facit ceſſare.* Auguſtin. L. 15. de Trinit. C. 26. *effundere* (Spiritum S.) *ſuper alios non utique poſſumus, ſed ut hoc fiat, Deum, a quo hoc efficitur, ſuper eos invocamus.* Demum Leo M. Ep. 80. ad Epp. Campan. *ſufficit illa confeſſio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit;* & Ep. 91. ad Theodorum, Deum ordinaſſe dicit, *ut indulgentia Dei, niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri.* Ex ſenſu itaque Patrum peccata iis remittuntur verbis, quibus Sacerdos orat pro venia.

Reſp. ad I. non eſſe certum, verbis illis, *confitemini alterutrum peccata,* agi de Confeſſione ſacramentali; tametſi autem de illa agatur, certe per verba ſeqq. *orate pro invicem,* intelligi non poteſt oratio, quæ ſit forma Sacramenti. Ad hanc quippe orationem Apoſtolus illic requirit conditiones certas, quæ ad formas Sacramentorum non requiruntur: eidem præterea attribuit effectum duntaxat impetrationis, & quidem ſpeciatim beneficii temporalis, ut patet ex iis, quæ continuo ſubjicit: *multum enim valet deprecatio juſti aſſidua. Elias oratione oravit, ut non plueret ſuper terram, & non pluit, - - rurſum oravit, & cœlum dedit pluviam, & terra dedit fructum ſuum.* Atque hinc patet, non recte argui a prioribus eod. C. Verbis, *infirmatur quis &c.* ex his quippe Trident. in Doctr. de Sacr. Unct. Cap. 1. profitetur Eccleſiam didiciſſe, formam Extremæ Unctionis eſſe Orationem: ſecus eſt de forma Sacram. Pœnitentiæ.

Reſp,

Resp. ad II. Ne singulis Patrum dictis minutim explicandis immorer, duo in hanc rem generatim notasse suffecerit. Primum : Patres de Sacram. Pœnitentiæ agentes non raro meminerunt solius deprecationis, quam ex usu Ecclesiæ in hujus Sacramenti ministratione Sacerdotes adhibent, quæque ad ipsam sacramentalem peccatorum remissionem solum *dispositive* se habet, nec ad formæ substantiam, sed integritatem duntaxat pertinet; ipsam autem absolutionis proprie talis formam consulto, propter arcani disciplinam, reticuerunt. Vide, quæ in simili jam alias insinuavimus L. III. de Confirm. N. 50. in Resp. & L. IV. de SS. Euch. N. 121. in Resp. V. 2do, *non infrequens &c.* Alterum est: ipsa sacramentalis absolutio nonnunquam a Patribus vocatur *oratio*, at non alio sensu, quam quod ejus forma a legitimo Ministro prolata sit tacita quædam & implicita divinæ potentiæ invocatio. Recole in hanc rem dicta paulo ante cit. L. IV. & N. in Resp. V. 1mo, *Patribus &c.* Certe, ut isthic videbis, familiare fuit Patribus dicere: Eucharistiam precibus consecrari; ipsi nihilominus Doctores in præsenti nobis adversarii fatentur, precum nomine intelligendam esse duntaxat implicitam invocationem, quæ fit his verbis: *hoc est corpus meum &c.* aut certe commemorari preces eas, quæ solum *dispositive*, & non *formaliter*, ad consecrationem concurrant. Cur igitur eodem sensu exponendi non sint Patres, Sacerdotum deprecationi remissionem peccati attribuentes? Ac sane nisi ita exponantur, qua ratione sibi constabunt? cum alibi doceant, Sacerdotes habere potestatem Clavium, judicium exercere, peccata dimittere &c. Confer hæc ipsa cum argumentis ex Tridentino ductis supra a N. 82.

Hac autem verborum phrasi in explicando Pœnit. Sacramento usi sunt PP. potissimum propterea; ut significarent, Deum esse causam principalem remissionis etiam tum, cum ea

ea Sacerdotum ministerio & absolutione confertur; utque refellerent errorem quorumdam, suæ probitati, vel certe potestati plus nimio tribuentium, quod ipsum jam L. II. de Bapt. N. 37. V. *Nec obest &c.* commemoravimus. Atque ex his invicem collatis habes in promptu responsum ad objecta Patrum loca; sola applicatione opus erit. Sed nimirum isthic non sistit laud. Morinus; cum eodem itaque

91 Instabis I. Etsi non semper, at aliquibus saltem locis PP. nomine orationis hujus sacerdotalis designant ipsam Pœnit. Sacramenti formam: nam *antiquitus ordinaria & vulgata absolutionis formula fuit deprecatoria: post centum supra mille annos aliquid indicativum formulæ deprecatoriæ addi cœpit: tandem formula indicativa in Occidente sola obtinuit*, ut Morinus L. 8. in argumento Capitis 8. præfatur. Id vero etiam ut evincat, seqq. CC. provocat ad Latinorum vetustissima MSS. Pontificalia, Sacramentaria, item LL. Rituales & Pœnitentiales, quin ipsum Gregorii M. Sacramentarium, & Ordinem Romanum; in his nimirum Ritus reconciliandi pœnitentes sola oratione definitur, nuspiam autem vel vestigium reperias formæ indicativis verbis expressæ; res igitur pro confecta haberi debet, primis videlicet undecim Seculis in Ecclesia Latina solis deprecativis verbis absolutionem sacramentalem fuisse impensam.

Resp. I. Demus, in omnibus antiquis laud. LL. (nam de Sacram. Gregorii, Ordine Rom. & plurimis aliis certum est) pœnitentium reconciliationem sola Sacerdotis deprecatione definiri, nondum tamen rem confectam ajo.

Etenim, ritus his locis descripti fere non pertinent ad reconciliationem *sacramentalem*, sed *canonicam* duntaxat, *publicam*, ac *solemnem*: eam videlicet, quæ impendebatur publicis pœnitentibus eum in finem, ut (jam antea privatim à Sacer-

Sacerdote sacramentaliter absoluti) pro foro etiam externo reconciliarentur Ecclesiæ, restituerentur communioni fidelium, & ad Eucharistiæ participationem admitterentur. Ad istud asserendum inducor 1*mo:* nam in plurimis his LL. describitur ea reconciliatio, quæ fiebat Feria V. Maj. hebd. ut patet ex Ordine Rom. aliisque apud Alcuinum, Ratoldum, & Martene; certum autem est, hac Feria morem fuisse solemniter reconciliandi publicos pœnitentes. 2*do*, quia omnes id genus Orationes plurali numero efferuntur; ritu igitur hoc omnes simul pœnitentes communiter reconciliabantur: qui cum sæpe magno numero fuerint, quis credat? integram omnium confessionem ab Episcopo exceptam, eosque simul sacramentaliter absolutos. 3*tio*, ritus idem constabat Orationibus multis, quarum præterea complures eumdem prorsus sensum faciebant: sacramentalem autem formam (ut in aliis Sacramentis) brevem esse convenit, nec eadem repeti potest non repetita materia. 4*to*, quia in ipso Ordine Rom. ritus ille his verbis describitur: *tunc egreditur pœnitens, - - ut gremio præsentetur Ecclesiæ &c.* & infra: *ab Archidiacono reddantur* (pœnitentes) *Episcopo, & ab Episcopo restituantur Ecclesiæ gremio &c.* unde & Orat. 9. dicit: *Ecclesiæ tuæ purificatos restitue &c.* quæ omnia, ut vides, solam reconciliationem canonicam spectant. 5*to*, nam etiam in Pontificali Rom. Clementis VIII. & Urbani VIII. Par. 3. in *Reconciliatione pœnitentium in Feria V. Cœnæ Domini*, item *in Ordine ad reconciliandum apostatam, schismaticum vel hæreticum*, totus ritus, plane ut in antiquis Pontificalibus, deprecatione absolvitur: cum tamen vel Adversarii fateantur, ætate horum Pontificum in Ecclesia Latina solius formæ indicativæ usum fuisse. Neque officit: quibusdam Orationibus peti, ut *Deus absolvat a peccatis &c.* ex usu enim loquendi Ecclesiæ (ut constat ex N. 89. in Resp. ad I.) hujusmodi verbis sæpe designatur censuræ aut

alterius pœnæ temporalis peccato debitæ remiſſio, quæ fieri poteſt extra Sacramentum.

Non diffiteor interim, in antiquis MSS. Sacramentariorum & Pœnitentialium Codicibus, quorum partem Cl. Morinus ſuo de Pœnit. Commentario adjecit, ſolas Orationes contineri eo etiam loco, quo agitur de Confeſſione privata, & pœnitentis ad extrema deducti reconciliatione, proinde ſacramentali; atque ideo ſtatim principio præcedentis Reſponſionis particula *fere* conſulto eſt appoſita. An vero propterea cauſa cadimus? minime; omnes quippe Orationes has (plane ut hodiernus mos habet) ante vel poſt abſolutionem ſacramentalem recitatas fuiſſe exiſtimo, ita ut illis ipſa Sacramenti forma verbis indicativis expreſſa interponeretur. At cur, inquies, Orationes Libris inſertæ, forma autem prætermiſſa? inſertæ illæ, quia prolixiores; hæc prætermiſſa, tum quia breviſſima, facile proinde ex auditu & diſci & memoria retineri poterat: tum etiam propter diſciplinam arcani. Sed enim arcani hoc ſtudium ſubinde deſiit, nec tamen vel poſterioribus Codicibus ea forma inſerta eſt? ita equidem; at iſtud evenire pronum erat, cum vetuſti Codices a poſteris integra fide & ad literam tranſcriberentur: neque ulla eſſet neceſſitas inferendæ hujus formæ, ſeu quod brevis foret, ſeu quod nihil de ea intercederet controverſiæ. Recole loca N. 90. in Reſp. ad II. in hanc rem laudata.

Reſp. II. Hactenus liberaliter a nobis actum cum Adverſariis; nunc, ut ſenſum noſtrum de eorum argumento denique expromamus, omnino negandum videtur: nullum in tota retro antiquitate usque ad Seculum XII. apud Latinos extare veſtigium formæ indicativæ. Quid ita vero? quia & nobis utique eadem, qua Adverſariis, veterum MSS. Codicum fide pugnare integrum eſt. Jam vero

Menar-

Menardus in Notis & Obferv. ad L. Sacramentorum Gregorii *Nota* 677. refert in Ordine Rom. & in Codice Tiliano MSS. extare hanc abfolutionis formulam: *Nos etiam fecundum auctoritatem, nobis indignis a Deo commiffam, abfolvimus vos ab omni vinculo delictorum veftrorum, ut mereamini &c.* ubi fimul afferit, hæc verba fatis convenire cum formula Codicis Ratoldi.

Apud Martenium in Pontificali Egberti hæc abfolutio legitur: *Abfolvimus vobis vice B. Petri &c.* item in Ordine Eccl. Aquenfis: *Abfolvimus te vice B. Petri Apoftoli, cui poteftas ligandi atque folvendi a Deo conceffa eft &c.*

Complura alia hujusmodi abfolutionum, quæ profecto indicativæ funt, exempla reperies apud laud. Martenium & alios, quin etiam Menardum, cui Morinus multum defert. Sed enim liceat Cl. Morinum propius aggredi, & vel ipfius armis pugnam inftaurare. Contendit is L. 8. fui Comment. C. 25. abfolutionem fcripto datam valere, atque in hanc rem ibid. N. 8. adfert exemplum Gregorii VII. Papæ, Leodienfem Epifcopum abfolventis per Epiftolam, quæ eft 61. L. 2. Epp. Greg. ex qua deinde hanc abfolutionis formam recitat: *quia in extremo videris pofitus, fraterna compaffione ducti, auctoritate B. Petri Apoftolorum Principis, abfolvimus te a peccatis tuis, & Dominum pro te exoramus &c.* Equidem mifcetur ifthic aliquid deprecationis; at verba, *abfolvimus te*, quid nifi indicativa funt? quod fi igitur opinione Morini abfolutio hæc fuit facramentalis, fateatur neceffe eft: ante Sec. XII. formæ indicativæ apud Latinos ufitatæ extare veftigium, cum Gregorius VII. Seculo XI. Ecclefiæ præfuerit.

Denique (quod nec Adverfarii negant) a Concilio Londinenfi An. 1263. & Neumacenfi An. 1284. præfcripta fuit indicativa forma; hoc eod. Sec. illam folam valere tam ex fua, quam DD. Parifienfium fententia acerrime propu-

 gnavit

gnavit D. Thomas alias jam laud. Opusc. 22. & Franc. Mayronius Seculi XIV. Scriptor in 4. dist. 18. affirmat, formam deprecativam, a quibusdam in Provincia usurpatam, ab omnibus improbatam fuisse; de sensu Conc. Florentini & Tridentini aliunde constat. Unde vero istud hi Theologi & laud. Concilia, nisi ex Majorum traditione acceperunt? quomodo ipso statim Sec. XIII. communi consensione improbari & pro illegitima haberi potuit forma deprecativa, si ea in Occidente totis undecim prioribus Seculis viguerit, si indicativa primum Seculi XII. nata? Atque hæc de Latina Ecclesia; deinceps, quid a Græca adversum nos petatur præsidii, videamus. Itaque

92 Instabis II. Græci non alia quam deprecativa absolutionis forma prioribus Seculis omnibus usi sunt, quin & postremis, ac hodie etiam hac una utuntur: neque tamen propterea Pœnitentiæ Sacramenti ab eis ministrati valor ab Ecclesia unquam in dubium vocatus est. Istud vero ut comprobent Adversarii, appellant ad Arcudii L. 4. de Concordia: ad Euchologium Allatii & Goarii, ac etiam alia tam vetera quam moderna Græcorum Euchologia: ad Libellos Pœnitentiales Joannis Jejunatoris, Germani Patriar. Constantinopolitani, Simeonis Thessalonicensis, Gabrielis Philadelphiensis, quos omnes ad calcem sui Comment. de Pœnit. describit Morinus. In his nimirum (ut volunt) omnibus solam deprecativam formam legere est: de indicativa ex adverso altum ubique silentium.

Resp. Hæc referentibus, cum rem discutere penitius nondum licuit, & ipse aliquando per occasionem sum assensus, ut videre potes L. II. de Bapt. N. 38. in Resp. II. sed enim nunc Græcorum sensis, ritibus, eorumque monumentis meliore cura ad examen vocatis, secus omnino pronuntiandum est. Ea igitur, quæ seu Morinus, seu cum eo sentientes alii pro-

proferunt, non esse ejusmodi existimo, quibus comprobetur: apud Græcos in administratione Pœnit. Sacramenti solius deprecativæ formæ usum fuisse olim, ac etiamnum esse. Quæ in hanc rem faciunt, tribus animadversionibus compendio perstringam: una objecti argumenti robur infringere adnitar. Itaque animadvertendum

I. Quod attinet ad vetustos Euchologiorum & Pœnitentialium Codices, nihil certi ex iis statui potest. Etenim 1*mo* incorruptos esse non constat; quin merito fides eorum in suspicionem vocatur, tum quod complurium editionum exemplaria invicem non consentiant, tum etiam propter tot Græcorum schismata. 2*do*, plurimis locis videtur agi de reconciliatione solum canonica, non autem sacramentali: cum Orationes multæ & prolixæ præscribantur, earumque complures eumdem prorsus sensum faciant. 3*tio*, quodsi non nunquam describatur ritus sacramentalis, congrue dixerim, formam indicativam consulto omissam ex iis causis, quas pro Latinorum Ritualibus supra adduximus N. 91. in Resp. I. V. *Non diffiteor &c.*

II. Quod generatim asseritur, in nullis Græcorum Libris extare vestigium formæ indicativæ, id omnino sustineri nequit. Certe

Gabriel Philadelphiæ Metropolita in L. de Sacr. Pœnit. C. 8. postquam præfatus est, formam Pœnitentiæ esse potestatem a Christo Sacerdotibus concessam, ac in hanc rem recitavit illa Christi verba, *quæcumque solveritis &c.* item *quorum remiseritis &c.* subjungit: *ideo sanctæ Confessionis Ministri peccatori ad eos accedenti dicunt:* ἡ χάρις τȣ̃ παναγίȣ πνεύματος διὰ τῆς ἐμῆς ταπεινότητος ἔχει σὲ συγκεχωρημένον καὶ λελυμένον. *gratia SS. Spiritus per meam humilitatem habet te condonatum & absolutum.* Hæc desumpta sunt ex illo Gabrielis Phil. Libro, quem ipse Cl. Morinus ad calcem sui Com-

 ment.

ment. refert; ubi etiam in prævia *Adnotatione* ait Metropolitam hunc Græcum *Latinis æquo infensiorem fuisse*; vel ideo proinde testimonium ejus est validius.

In Euchologio An. 1647. a Goario edito pag. 678. post precationes hæc verba a Sacerdote super pœnitentem dicenda leguntur: *insuper ego absolvo te ab omnibus peccatis tuis, quæcumque confessus coram Deo, & coram indignitate mea.* Et infra ead. pag. *ego vero condono tibi omnia peccata tua.*

In Rituali Metropolitæ Chioviensis, quod se legisse testatur Arcudius L. 4. Concordiæ C. 3. in ritu absolutionis post preces hæc adduntur: *ego quoque Pater tuus spiritualis, potestate mihi a Deo & a superioribus meis concessa, te absolvo ab omnibus peccatis tuis.*

Menardus in Sacram. Gregorii *Nota* 677. licet, inquit, in quibusdam Græcorum Libris, Canones continentibus, reperiatur forma deprecativa, *tamen præter formulas illas deprecatorias dicunt: ἔχω σὲ συγκεχωρημένον, id est, habeo te venia donatum.*

III. Arcudius etiam in subsidium vocatur ab Adversariis, at quo commodo? audiatur de præsenti argumento disserens paulo ante cit. L. & C. Principio statim insectatur formam absolutionis deprecativam, irritam esse omnino asserens illam propterea, quod hujus Sacramenti forma exprimere debeat sententiam judicialem. Dein contendit, aliquam saltem Orationum, quæ in Euchologiis reperiuntur, quoad sensum convenire cum Latinorum forma: cur enim alias (ut arguit) Sacerdotes Græci in his deprecationibus commemorent potestatem, sibi traditam per ea verba, *quæcumque solveritis &c. quorum remiseritis &c.* ac dein particula illativa orationem prosequantur ad hunc modum, *obsecramus itaque & nunc &c.* Observat præterea: in his Orationibus verba, *remittat tibi, absolvat te Deus*, subintellecta particula, *per me*, facere sensum

ſum imperativum, qui æquivalet indicativo. Demum, adductis Græcorum quorumdam pro forma indicativa teſtimoniis, concludit: a nonnullis quidem Græcis adhiberi meram deprecationem, at hos a Majorum inſtituto eſſe degeneres; abſolutionem eorum eſſe nullam; curandum, ut precibus addant verba, quæ ſententiam judicialem exprimant, ut ſit in forma Latinorum.

Hæc omnia invicem collata ſatis, opinor, produnt: Adverſarios non habere tantum, quantum ſibi blandiuntur, præſidii in Scriptoribus Græcis, & eorum Euchologiis, ac LL. Pœnitentialibus. Inde mirum videri poteſt, doctiſſ. Tournelyum de Sacr. Pœnit. Quæſt. 9. Art. 1. Concl. 4. tantum illis tribuiſſe, ut fidenter diceret: *ſolis oculis opus eſt, ut hujuſce argumenti deprehendatur veritas; lege Euchologium Græcorum, lege LL. Pœnitentiales, - - nec aliam, quam deprecatoriam formulam abſolutionis deprehendes.* Attamen

Inſtabis III. Certum eſt, multos ſaltem Græcorum Sec. XV. ſola deprecativa forma Sacramentum Pœnit. miniſtraſſe; nec tamen iis propterea Concilium Florent. ullam obmovit litem, cum interim alios eorum ritus minutim in controverſiam vocaret: ut clarum eſt ex Quæſitis, quæ Græcis propoſita leguntur in Actis hujus Concilii græco-latinis in Collect. Conciliorum Labbei & Coſſartii Tom. 18. Item Clemens VIII. in *Inſtruct. ſuper aliquibus ritibus Græcorum* An. 1595. edita §. 3. hæc habet: *In caſu neceſſitatis Presbyteri Græci Catholici poſſint Latinos abſolvere. Utantur forma abſolutionis in Gen. Concil. Florentino præſcripta; & poſtea, ſi voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujusmodi abſolutionis dicere tantum conſueverunt.* Igitur tam Conc. Florentini, quam Clementis P. judicio rata eſt abſolutio ſolis deprecativis verbis expreſſa, qua aliqui ſaltem Græci utuntur. 93

Reſp.

Resp. Ignotum istud equidem Florentino non fuisse: at inprimis fide certum non erat (uti nec nunc) formam deprecativam esse irritam; deinde, non constabat eos uti absolutione mere deprecativa, cum multorum opinione in illis Græcorum Orationibus contineatur etiam sensus indicativus, aut saltem imperativus, ut supra ex Arcudio insinuavimus; denique, tametsi in hoc erraverint Græci aliqui, non tamen tota eorum Ecclesia. Jam vero in hoc Concilio de iis duntaxat contra Græcos disceptatum est, quæ vel erant aperte contra fidem: ut de purgatorio, de primatu Romani Pontificis &c. vel certe de suspectis eorum ritibus, aliisque id genus erroribus, quos constabat toti Græcæ Ecclesiæ esse communes: ut de particularum consecratarum in certum ordinem dispositione, de inclinatione capitis super oblata ante consecrationem, de infusione aquæ ferventis in Calicem jam consecratum, de Matrimonii dissolutione &c. ut constat ex supra laud. Actis; nihil igitur mirum, non fuisse a Concilio interpellatos Græcos de forma Pœnit. Sacramenti.

Sed nec Clementis cit. *Instructio* patrocinatur adversæ sententiæ: quin nostram potius confirmat. Etenim, cum dicat simpliciter & absolute, *Utantur forma &c.* vult adhiberi a Græcis formam indicativam pro omni casu, seu nimirum suos, seu Latinos absolvant: perperam quippe priora verba, *in casu necessitatis &c.* cum his posterioribus aliqui conjungunt, cum ea ab illis linea seorsim inchoata secernantur, uti reliqua, quæ diversum quid in laud. *Instruct.* præscribunt, quod videre est in Magno Bullario Rom. Laertii Cherubini Tom. 3. Num. XXXIV. Nec officit ibid. addere Pontificem: *quam pro forma &c.* his enim solum per occasionem insinuat, aliquos Græcos ex ignorantia forma deprecativa sola uti consuevisse; at istud simul prohibet deinceps fieri. Ac sane, si Cle-

Clementi visa est rata Græcorum absolutio solis deprecativis verbis concepta, cur eis indicativam indixit? cur hanc ipsam permisit conjungi cum usitata Græcorum deprecatione? nemo certe dixerit ignorasse Pontificem, sub una eademque Sacramenti administratione formam sacramentalem repeti non posse.

Demum Instabis IV. opponendo quorumdam Theolo- 94
gorum cum Morino sentientium auctoritatem: aut etiam absolutionem a censuris, quæ conferri potest per verba deprecativa.

Resp. His Theologis nos opponere D. Thomam, & Scholasticorum DD. tam veterum quam recentiorum longe plures, ac cumprimis CC. Florent. & Trident. Nec recte arguitur ab absolutione a censuris: hæc quippe sacramentalis non est; eadem dari potest scripto vel nutu; quin ipsi etiam mortui ab excommunicatione absolvi possunt, ut hæc omnia constant ex sensu & praxi Ecclesiæ: unde certum est, de hac aliter, ac de absolutione sacramentali Christum constituisse.

Hactenus de controversia, quam RR. quidam cum erud. Morino animadversionibus suis criticis nimium implexam reddiderunt. Quod reliquum est, ad Lectoris benevoli judicium remitto. Conferat adversæ partis momenta cum Responsis nunc datis, & argumentis ex Tridentino pro Assertione supra ductis: ac demum ipse de causæ æquitate arbitretur.

Quæ contra Assertion. III. opponuntur, hæc potissimum 95
sunt. I. Florentin. in Decr. pro Arm. & Trident. Sess. 14. Cap. 3. absolutionis formam reponunt in illis verbis, *ego te absolvo*, adjecta particula *&c.* ergo præter hæc verba requirunt & alia, nimirum, *a peccatis.* Certe cum Trident. ejusd. Sess. de Extr. Unct. Cap. 1. dicit, hujus Sacramenti *formam esse illa verba: Per istam unctionem &c.* per τὸ *&c.* satis indi-

 cat,

cat, aliqua saltem ex verbis sequentibus ad formam Extremæ Unctionis pertinere ; perinde igitur &c.

II. Christus Joan. 20. instituens Pœnit. Sacramentum, nominatim facit mentionem peccatorum, *quorum*, inquit, *remiseritis peccata &c.* ergo sicut propter expressam particulam *quorum* recte infertur, personam pœnitentis in forma sacramentali esse enuntiandam, dicendumque, *absolvo te*: recte pariter intuleris addenda esse verba, *a peccatis*. Imo

III. Si absolutio sacramentalis valeat solis his a Sacerdote prolatis verbis, *absolvo te*: valebit eadem omissa particula *te*, solo absolvendi actu enuntiato per verbum *absolvo*; tametsi enim verbum hoc ex se sit indifferens ad significandam absolutionem hujus aut alterius pœnitentis, per ipsam attamen e. g. Titii confitentis circumstantiam satis determinatur ad designandam ejus nominatim absolutionem. In judicio præterea ordinario ad absolvendum reum satis est Judicem dicere: *absolvo*; præsertim si is prævie interrogetur, an reum præsentem absolvat?

Resp. ad I. N. Illation. nam in laud. Conciliorum locis ea tantum exprimuntur verba, quæ certum est requiri ad formæ valorem ; reliqua consulto expressa non sunt, quod de eorum necessitate ipsi DD. orthodoxi controverterent : inde, cum Patribus non esset propositum de hujusmodi opinionibus quidquam statuere, provide adjecta est particula *&c.* Eamdem interim adjicendi vel ea fuit causa sufficiens, quod & verba reliqua, tametsi non Sacramenti, præcepti tamen, in usu & praxi Ecclesiæ fundati, necessitate pronuntianda sint. Demum: cum his locis ex proposito tradita sit doctrina de formæ substantia, nec tamen voces illæ *a peccatis* speciatim expressæ fuerint, prudenti conjecturæ sit locus, ipsa Concilia existimasse, non pertinere illas ad formæ substantiam ; id quod confirmatur ex verbis Catechismi ex Decr. Concilii Tri-

den-

dentini jussu Pii V. editi, ac a nobis supra pro Assertione citati. Illud vero, quod ab Extr. Unctionis forma arguitur, nihil evincere res ipsa docet: quando verba hæc sola, *per istam unctionem*, nec sensum ullum faciunt, minus Sacramenti effectum exprimunt; omnium præterea Orthodoxorum sententia etiam reliqua, quæ in Rituali præscribuntur, ad valorem formæ sunt necessaria.

Resp. ad II. Non ea solum causa personam pœnitentis exprimi oportet, quod Christus dixerit, *quorum remiseritis*: verum ex eo simul, quod laud. Concilia formam absolutionis dicant in his nominatim verbis, *ego te absolvo*, consistere; hinc ex sensu Ecclesiæ colligitur, Christum ita instituisse Pœnit. Sacramentum, ut in absolutione voluerit exprimi personam pœnitentis. Cæterum si quæras: cur Christus in cit. Joannis loco non contentus dicere, *quorum remiseritis*, adjecerit etiam, *peccata*? adjecisse ajo propterea: quia nisi istud faceret, verba, *quorum remiseritis*, non habuissent sensum completum; nec satis indicasset, Sacramentum Pœnit. speciatim institui in remissionem peccatorum.

Resp. ad III. Tametsi verbi *absolvo* indifferentia ad significandam hujus aut alterius pœnitentis absolutionem sufficienter tolleretur per circumstantiam hujus determinati e. g. Titii peccata confitentis: constat nihilominus ex Florent. & Trident. ad Pœnit. Sacramenti formam requiri particulam *te*, cum ab utroque Concilio exprimatur perinde ac verbum *absolvo*. Ex quibus omnibus facile intelliges: in præsenti controversia niti nos potissimum Conciliorum doctrina, ex qua nobis institutæ a Christo absolutionis formæ ratio innotescit. Denique verba, *absolvo te*, ad formæ substantiam sufficere contendimus; quia, seclusis etiam aliis, totum id significant, quod per formam Pœnit. Sacramenti significandum

 est,

eſt, nec aliunde evincitur plura requiri: ſecus eſt de illis *a peccatis*, aut etiam aliis, quæ nonnulli præterea requirunt.

DISSERTATIO III.

DE SACRAMENTI POENITENTIÆ EFFECTIBUS ET NECESSITATE.

§. I.

Qui ſint Pœnit. Sacramenti effectus? & an eos ſemper operetur?

EX hujus Sacramenti inſtitutione Diſſert. I. §. II. aſſerta, ejusdemque materia & forma Diſſert. II. explicata ſatis liquet, quæ & quanta illi virtus ſit a Chriſto indita. Ad eam nihilominus penitius pernoſcendam juverit illius effectus ſingillatim percenſere, ac etiam definire: num eorum ſaltem præcipuum, gratiam videlicet peccati remiſſivam, ſemper operetur? quæ inter Theologos quæſtio eſt controverſa, ac his fere verbis proponi ſolet: an Pœnit. Sacramentum poſſit eſſe validum & informe? Affirmat communiter Thomiſtarum Schola cum Suarez, Lugo, Viva &c. negant Scotiſtæ, quos ſequitur Vaſquez, Coninch, Amicus & plures alii.

ASSERTIO I.

Effectus Pœnit. Sacramenti ſunt: gratia ſanctificans peccatorum remiſſiva, & gratiæ actuales ad vitandum relapſum; condonatio item pœnæ peccatis debitæ, & meritorum, quæ per peccata deperduntur, reſtitutio.

Tres

TRes primos effectus ex hactenus dictis facile quisque deduxerit. Nimirum

I. Sacramentum hoc speciatim ordinatum est ad remittenda peccata; hinc autem ultro consequitur: gratiam sanctificantem, quam operatur, non supponere, sed inducere eorum remissionem. Et ad mortalia quidem quod attinet, omnia simul remitti certum est: nam habitualis gratia cum nullo gravi peccato componi potest, cum pœnitentem reddat amicum Dei & cohæredem Christi, & per eam *nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo JESU*, ad Rom. 8. Neque venialium remissionem in dubium vocare licet; generatim quippe a Christo dictum est: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; & Trident. Sess. 14. Cap. 5. declaravit, *peccata venialia recte & utiliter in Confessione dici:* cur autem? utique ad expiationem; mox enim addit; *taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt;* ex mente igitur Concilii etiam hujus Sacramenti remedio expiantur. Istud nihilominus ut fiat ad ipsa venialia contritionem extendi necesse est: cum universim ad peccati cujuslibet remissionem, etiam in hoc Sacramento ex institutione Christi obtinendam, dolor ac retractatio cum proposito illud non admittendi requiratur, ut docet Trident. 96

Illud vero isthic cumprimis observandum, quod in Pœnit. Sacramento non eadem sit remissionis venialium ratio, quæ mortalium. Etenim mortalia remittuntur (ut Scholæ dicunt) *formaliter* per ipsam sanctificantem gratiam, ut quæ componi nequeat cum ulla gravi culpa; secus est de venialibus. Inde dicendum existimo: peccata venialia, etiam in hoc Sacramento, *formaliter* deleri vel per condonationem mere extrinsecam, vel satisfactionem condignam a justo præstitam, vel demum per satisfactiones Christi in hunc speciatim finem per Sacramentum applicatas. Consuli potest Viva in Cursu Theol. Disp. 2. qu. 7.

97 II. Præter habitus Virtutum, qui cum sanctificante gratia semper infunduntur, conferri etiam jus ad peculiaari auxilia, quæ tempore opportuno dentur ad vitandum realpsum, inde certum est: quod Sacramenti hujus finis non tantum sit peccatorum remissio, sed etiam morum emendatio; quod constat vel ex contritione ad illud requisita, quæ per Trident. Sess. 14. Cap. 4. *cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem - - continere* debet; item ex satisfactione sacramentali, quæ per idem Trid. Cap. 8. imponitur etiam *ad novæ vitæ custodiam.*

98 III. Nec dubitari potest de remissione pœnæ peccatis debitæ. Ac æternam quidem cum ipsa culpa semper condonari sat aperte docet Apostolus, cum ad Rom. 6. ait, *nunc vero liberati a peccato - - habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam;* & Cap. 8. *nihil ergo damnationis est iis, qui sunt in Christo JESU.* Sed & temporalem pœnam remitti satis constat ex jam alias dictis, præsertim Dissert. II. §. IV. Remissio attamen hæc non semper est æqualis: verum pro ratione dispositionis ipsius pœnitentis nunc major, alias minor; quin ea potest esse quandoque contritionis vehementia, ut etiam totus pœnæ temporalis reatus eluatur.

De effectu ultimo, qui a nonnullis controvertitur, sequ. §. Assertione II. speciatim differendum erit.

ASSERTIO II.

Si Sacramentum Pœnitentiæ sit validum, semper operatur gratiam peccati remissivam: nunquam proinde esse potest validum & informe.

99 ASserti hujus veritas inde conficitur, quod universim Sacramenta sint causæ necessariæ: si igitur Pœnit. Sacramen-

mentum valeat, effectum suum non potest non operari, modo ex parte subjecti illud recipientis debita adsit dispositio. Quid autem dispositionis hoc casu deesse possit? quando iidem pœnitentis actus, qui eum ad recipiendam gratiam disponunt, simul ad Sacramenti valorem requiruntur. Idem paulo aliis verbis accipe. Eadem, quæ necessaria sunt ad valorem Pœnit. Sacramenti, sufficiunt ad gratiam per illud efficiendam; ergo si validum sit, nihil erit, quod efficaciæ ejus officiat. Illatio certa est, solumque Ant. in controversiam vocant Adversarii, existimantes: non hoc ipso contritionem, quod ad valorem Sacramenti sufficiat, etiam sufficere ad gratiam producendam. At quo istud fundamento? nullum certe hujusmodi discrimen in Patribus aut Conciliis reperias. Imo Trident. Sess. 14. Cap. 3. tam ad valorem Pœnit. Sacramenti, quam ad ejus effectum eamdem plane contritionem requirit, cum ait: *sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe, contritio, confessio, & satisfactio; qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.*

Qui nobis adversantur arguunt ab aliis Sacramentis. Sic, 100
ajunt, e. g. Baptismus esse potest ratus, quin tamen baptizato conferatur gratia; idem est de aliis. At discrimen est inter Pœnitentiam, & alia Sacramenta. In reliquis videlicet valor Sacramenti quoad substantiam non perficitur omni eo, quod in subjecto dispositionis instar necessarium est, ad effectum gratiæ percipiendum; nihil igitur mirum evenire posse, ut suus sit Sacramento e. g. Baptismi valor, nec tamen habeatur sufficiens subjecti dispositio, cujus dein defectu virtutem suam Baptismus, tametsi validus, exerere nequeat, ad producendam gratiam. Recole ea, quæ in hanc rem dicta sunt L. I. de Sacr. in Gen. Diss. V. §. III.

Sed,

Sed, inquiunt, idem ſentiendum eſt de Sacramento Pœnitentiæ. Ut enim fructus ejus percipiatur a pœnitente, prærequiritur in eo nominatim univerſalis contritio: ſine hac nihilominus, ſaltem in aliquo caſu, habetur valor Sacramenti. Verum hæc arbitrarie dici conſtat ex N. ſuper. Quin ajo, contritionem, eo ipſo quod vera ſit, eſſe ſimul ſaltem implicite univerſalem; vera quippe eſſe nequit, niſi eadem juxta declarationem Tridentini conjungatur *cum propoſito non peccandi de cætero*, ac *voluntatem peccandi excludat:* ita vero ſi affecta ſit, fieri nequit, ut non ad omnia omnino peccata prius admiſſa ſaltem implicite referatur.

§. II.

An per Sacramentum Pœnitentiæ peccata quælibet, & quomodo remittantur?

PRopoſita quæſtio duplicem controverſiam complectitur. Primæ occaſionem dederunt Montaniſtæ & Novatiani, cum negarent, Eccleſiæ datam eſſe poteſtatem condonandi omnia univerſim peccata, a baptizatis commiſſa, ut jam Differt. I. N. 3. & 4. commemoravimus. Altera inter ipſos DD. Catholicos agitatur, diſceptantibus videlicet: an per Sacramentum Pœnitentiæ in re vel voto ſuſceptum ita expientur peccata, ut ſimul opera bona, quæ ante peccatum in ſtatu gratiæ facta ſunt, quoad vim ſuam meritoriam integre redeant, & rurſus imputentur ad præmium? Et quia id genus opera per peccatum ſubſequens *mortificata* dicuntur, recepta in Scholis phraſi, quæſtio hæc a DD. Scholaſticis paſſim proponitur his verbis: an merita per peccatum mortificata reviviſcant per Pœnitentiam? Ex quo vides, controverſiam hanc pertinere non minus ad Virtutem, quam ad Sacramentum Pœnitentiæ.

Aſſer-

ASSERTIO I.

Per Sacramentum Pœnitentiæ remittuntur omnia peccata, quantumvis gravia, & ſæpe commiſſa.

Quid enim eſt, quod reſtringendam ſuadeat Chriſti hoc 101
Sacramentum inſtituentis beneficentiam? Univerſim certe ac indefinite dixit: *quæcunque ſolveritis - - erunt ſoluta;* &, *quorum remiſeritis peccata, remittuntur.* Ac omnino his verbis collatam Eccleſiæ omnia ſine diſcrimine remittendi peccata poteſtatem ſatis indicarunt Patres, cum Montaniſtarum & Novatianorum errorem acriter impugnarent, præſertim Pacianus, Athanaſius, Ambroſius &c. Digna relatu ſunt Cypriani verba, Ep. 54. ad Cornelium Papam ſcribentis: ſe communi Epiſcoporum conſilio decreviſſe, lapſos in perſecutione & ſacrificiis illicitis maculatos per Pœnitentiam eſſe reconciliandos Eccleſiæ; *nec enim*, inquit, *fas erat, aut permittebat paterna pietas, & divina clementia, Eccleſiam pulſantibus claudi, & dolentibus & deprecantibus ſpei ſalutaris ſubſidium denegari, - - cum permiſerit ipſe, qui legem tulit, ut ligata in terris, etiam in cœlis ligata eſſent: ſolvi autem poſſent illic, quæ hic prius in Eccleſia ſolverentur.*

Id ipſum docet conſtans ſenſus & praxis Eccleſiæ, quoslibet, in quæcumque peccata, & quantumvis ſæpius lapſos ad Pœnitentiæ Sacramentum admittentis. Neque id autem ſine reconciliationis effectu; nam Concil. Lateranenſe IV. Can. 1. indefinite dicit: *ſi poſt ſuſceptionem Baptiſmi quisquam prolapſus fuerit in peccatum, per veram poteſt Pœnitentiam ſemper reparari;* & Trident. Seſſ. 14. Can. 1. pariter generatim definivit, hoc *Sacramentum pro fidelibus, quoties poſt Baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis a Chriſto Domino inſtitutum.*

ASSERTIO II.

Ita remittuntur peccata in Sacramento Pœnitentiæ, ut ſimul opera bona, ante peccatum in ſtatu gratiæ facta, in ratione meriti redeant, & rurſus imputentur ad beatitudinis æternæ præmium.

102 ATque hic condonationis modus ſingulare prorſus eſt Dei in nos miſericordiæ argumentum, ultro nimirum, ac ex liberalitate ſua ita remittentis peccata, ut ſimul pœnitens recuperet jus ad ſalutem per merita prius facta aquiſitum, at ſubinde deperditum. Sed quod, inquies, hanc Dei in nos beneficentiam aſſerendi fundamentum? innoteſcere eam ajo ex Scriptura & Patribus. Ac in LL. quidem Vet. Teſtamenti, *Convertimini*, ait Deus Joel. 2. *ad me in toto corde veſtro - - & reddam vobis annos, quos comedit locuſta, bruchus, & rubigo, & eruca;* quod Hieronymus interpretatur de meritis per Pœnitentiam recuperatis: *annos*, inquit, *quos perturbationibus ante regnantibus perdideratis in vobis, quando opera veſtra locuſta, bruchus, rubigo, erucaque conſumpſerant, Deus vobis perire non paſſus eſt: tunc comedetis fructus juſtitiæ &c.* Eodem ſenſu communiter PP. exponenda cenſent illa apud Ezech. C. 18. *ſi impius egerit pœnitentiam, - - omnium iniquitatum ejus non recordabor: in juſtitia ſua, quam operatus eſt, vivet;* & C. 33. *impietas impii non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua.* Ac omnino niſi eo, quo contendimus, modo remittantur peccata, recordabitur Deus iniquitatum, & impietas impii, quamvis remiſſa, nocebit ei: privabitur quippe æternum præmio beatitudinis, quod prioribus operibus promeruit.

Sed & ex LL. Teſtamenti Novi complura in hanc rem ſunt loca ex mente Patrum. Ita illud ad Hebr. 6. *non enim inju-*

injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius &c. de meritis per peccatum deperditis intelligi volunt Ambrosius, Chrysostomus Anselmus, & alii. Item in illud ad Gal. 3. *tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa*, præter Ambrosium & Chrysostomum, ita commentatur Hieronymus: *quicumque ob Christi fidem laboraverit, postea lapsus fuerit in peccatum, sicut priora dicitur passus fuisse, dum peccat; sic rursus non perdet ea, si ad pristinam fidem & antiquum studium revertatur.* Idem significari parabola filii prodigi, cum calceamentis & annulo stolam quoque primam a Patre recipientis, existimat Ambrosius de eod. Filio differens: *vide*, inquit, *quam bonus Deus, & facilis indulgere peccatis; non solum ablata restituit, sed etiam insperata concedit.* Consonat demum Patrum sensis Conc. Tridentinum, cum Sess. 6. Cap. 16. & Can. 32. ad id, ut opera meritoria præmium vitæ æternæ consequantur, non plus requirat, quam ut operans decedat in gratia: quæ conditio impletur ab illis, qui a peccato merita subsequente expiati ex hac vita emigrant.

Jam vero ex his ultro consequitur: cum opera bona per condonationem peccati quoad vim æternæ vitæ meritoriam redeant, restitui pariter gratiam sanctificantem, quæ operibus illis antea respondebat. Est quippe gratia sanctificans ipsum æternæ beatitudinis semen, jusque proximum ad illam; eo ipso igitur quod jus ad beatitudinis præmium restituatur, restitui & ipsam gratiam necesse est. Et quoniam infusi Virtutum habitus individui sunt gratiæ justificantis comites, hos quoque cum illa recuperari dicendum est. 103

Quæ hic prætere a controvertunt Theologi: an videlicet merita hujusmodi per Pœnitentiam integre redeant in priori sua perfectione? hoc est: num reviviscant ad totam gratiam per peccatum amissam, eique respondentem gloriam? an partem duntaxat gratiæ & gloriæ? istud, fateor, nec

Scriptura, nec Traditio dilucide definit; hinc variant DD. opiniones. Mihi si quid pronuntiandum foret, eorum mallem sequi partes, qui cum Scoto & Suarezio existimant: merita mortificata reviviscere ad totam gratiam & gloriam. Est nimirum istud magis conforme Scripturæ & Patrum verbis, quibus plena & absoluta peccatorum condonatio, & bonorum operum restitutio indefinite asseri videtur.

Satisfit Objectionibus.

104 CONtra Assertionem I. opponitur Scripturæ testimonium. Videtur nimirum quibusdam locis asseri, aliqua peccata esse ejusmodi, ut venia illis concedatur nunquam. Sic enim 2. Machab. 9. de Antiocho dicitur: *orabat hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.* Et Apostolus ad Hebr. 12. de Esau ait: *non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrymis inquisisset eam.* Apud Matth. C. 12. postquam dictum est: *quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei;* continuo additur: *qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Denique 1. Joan. 5. *est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.* Quod si jam vero id genus peccata sint aliqua, quomodo asseri potest, universim omnia per Pœnit. Sacramentum remitti?

Resp. Objectos textus non posse eo, quo Adversarius vult, sensu accipi certum est vel ideo, quod aliis Scripturæ locis generatim omnium peccatorum remissio promittatur, ut videre est supra N. 8. 31. & 101. Inde, cum aliquando in S. Literis dicitur peccatum non remitti, aut etiam remitti non posse, vel agitur de eo casu, quo deficit vera Pœnitentia: vel de difficultate remissionis: aut de peccato impœnitentiæ finalis; aut denique non est sermo de pœnitentia peccatoris.

toris. Ita Antiochi pœnitentia, ex ſolo ſanitatis recuperandæ deſiderio profecta, non fuit vera, ſed fucata duntaxat, ut ex contextu colligitur. In reliquis autem ex Apoſtolo, Matthæo, & Joanne adductis locis ex mente Patrum inſinuatur ſolum difficultas nimia, ac proinde moralis quædam impotentia obtinendæ pro quibusdam peccatis veniæ, idque conformiter ad ea, quæ diximus N. 8. Quin etiam haud abs re exiſtimaverim: Antiochum non potuiſſe conſequi miſericordiam ſolum quoad conſecutionem ſanitatis, quam unam & orabat & ſperabat; verba autem Apoſtoli de Eſau hunc unum facere ſenſum, quod Eſau lachrymis ſuis obtinere non potuerit, ut Patrem ſuum Iſaac pœniteret benedictionis datæ Jacob; demum per *peccatum ad mortem*, cujus meminit Joannes, intelligi peccatum impœnitentiæ finalis. Singula hæc prorſus congruè dici, patebit expendenti Scripturæ verba & contextum.

Urgebit forſan aliquis: id genus Scripturæ loca ad literam fuiſſe intellecta a primis fidelibus, cum in veteri Eccleſia peccatoribus quibusdam negata fuerit venia. Quam in rem complura occurrunt teſtimonia. Ita 105

I. Tertullianus L. de pudicit. C. 5. ſcribit, ante Zephirinum Papam in Eccleſia Romana idololatris & homicidis denegatam omnino fuiſſe veniam: eamdemque mœchis non niſi ex nova Zephirini conſtitutione indultam. Quam diſciplinæ innovationem carpens, *quid agis*, inquit, *molliſſima & humaniſſima diſciplina? - - idololatram quidem & homicidam ſemel damnas, mœchum vero de medio excipis?*

II. S. Cyprianus Epiſt. 14. ad Cler. Rom. & 52. ad Antonian. teſtatur Africanæ Eccleſiæ fuiſſe morem, ut lapſis in fide negaretur pax & reconciliatio; quamvis autem ſeveritatem hanc parte aliqua ipſe mitigaverit erga illos, quibus Martyres libellum dederant, erga reliquos tamen integre ſer-

 vatam

vatam voluit. Idem ſtatutum legitur a Clero Romano, ut colligitur ex ejus Epiſt. ad Cyprianum, quæ eſt inter Cyprianicas 31.

III. Rigor idem, imo major, fuit in Eccleſia Hiſpanica: nam Concilium Eliberitanum, circa An. 350. celebratum, etiam in fine vitæ *communione* interdixit Can. 1. & 2. poſt Baptiſmum lapſos in idololatriam; & Can. 7. eos, qui per maleficium hominem occiderunt; item Can. 6. 73. & 75. prolapſos in alia gravia crimina.

Reſp. I. generatim: nullo certo veterum teſtimonio evinci, peccatoribus quibuslibet, ſi modo vere pœnituerint, negatam fuiſſe aliquando, præſertim in mortis articulo, reconciliationem pro foro interno, ſeu abſolutionem ſacramentalem. Inde, ſi quando aliqui admiſſi non ſunt ad pacem & communionem Eccleſiæ, veniaque illis negata: aut de pœnitentiæ ſinceritate & ſufficienti propoſito ſuſpecti fuerunt; aut certe ad tempus duntaxat reconciliationis beneficio privabantur, dum videlicet Canonicam pœnitentiam integre explerent. Quod ſi autem ipſa etiam pœnitentia quibusdam conceſſa non eſt, tametſi eam expeterent, dilatio hæc ſpectabat ad futuram cautelam & probationem: non vero ad denegandum penitus remiſſionis & ſalutis remedium. Hac animadverſione generatim facta,

Reſp. II. in particulari, & quidem ad I. Adductum ex Tertulliano teſtimonium vel ideo minoris eſt ponderis, quod Librum de pudic. jam Montaniſta ſcripſerit, ac in eo ex more hæreticorum complura falſo appingat Romanæ Eccleſiæ. Ac omnino, ſi loquatur de reconciliatione interna, aperte hallucinatur; hæc quippe nulli unquam negata fuit, ut jam ſparſim alias inſinuavimus: nec oppoſitum ullo argumento certo comprobatur. Sed nec de externa & Canonica ſuſtineri poteſt, quod aſſerit: ipſe quippe in L. de Pœnit. quem ante deſe-

defectionem conscripserat, ex sensu Ecclesiæ loquens C. 4. ait, *omnibus delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, Deum veniam per pœnitentiam spopondisse*; hinc C. 8. idololatras & mœchos ad pœnitentiam invitans, *offendisti*, inquit, *sed reconciliari adhuc potes: habes cui satisfacias, - - id si dubitas, evolve, quæ Spiritus Ecclesiis dicat &c.* Inde, cum Zephirinus Papa in suo Decreto ait: *ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto*, nihil novi statuit, sed veterem disciplinam confirmat contra quosdam Africanos, qui teste Cypriano Ep. 52. *mœchis in totum pœnitentiæ* (intellige, ad reconciliationem publicam) *locum clauserunt*; de idololatris autem & homicidis nullam injicit mentionem, quia de his nulla tum quæstio mota fuerat a Romanis.

Resp. ad II. Rigor ille Affricanorum pertinebat solum ad reconciliationem canonicam; fuerunt quippe eorum aliqui, qui lapsos in fide ne in mortis quidem articulo ad communionem Ecclesiæ admissos voluerunt. At diversam ab his disciplinam secutus est Cyprianus; in cit. enim Ep. 52. scribit a se constitutum, *ut nec in totum spes communicationis & pacis lapsis denegaretur: nec tamen rursus censura Evangelica solveretur, ut ad communicationem temere prosilirent, sed traheretur diu pœnitentia &c.* Cum igitur noluerit lapsis *in totum spem communicationis denegari*, eam utique in articulo mortis concessit, tametsi tum pœnitentia integre expleri non potuerit; extra hunc casum autem regulariter concedi illam non voluit, nisi post peractam diuturnam pœnitentiam. In hoc ipso attamen rigore dispensandum censuit cum illis, qui a Martyribus *libellum pacis* obtinuerant: his quippe ex more tum recepto in gratiam Martyrum, si non integre, ex parte saltem relaxabatur pœnitentia. Quanquam cum indulgentia hac videret multum dissolvi disciplinam Ecclesiasticam, datis ad Martyres lite-

literis, eos graviter commonuit, ut cautiores deinceps forent in concedendis libellis. Quod ſi demum in cit. locis aliquando Cyprianus agat de reconciliatione interna, hancque ipſam a quibusdam Affricanis negatam fuiſſe afferat: indubium eſt deſignari ab eo Novatianos, aut paucos duntaxat aliquos e Catholicis; at ab his certe diverſum ſentiebat, ut clarum ſit ex ejus verbis ſupra N. 101. recitatis. Atque ad hæc conformiter dicendum eſt de ſtatuto Cleri Romani, ut qui in præſenti controverſia cum Cypriano ejusdem fuerit ſententiæ.

Reſp. ad III. Rurſum & Eliberitani Canones intelligendi ſunt de ſola cæremoniali & canonica reconciliatione: vel certe de Euchariſtiæ participatione tantum; nec dubium eſt, utroque hoc ſenſu apud veteres *Communionis* nomen fuiſſe uſurpatum. Ac niſi iſtud dicatur, quomodo ſibi conſtabunt PP. Eliberitani? cum iidem Can. 21. ſtatuerint: *ſi quis de Eccleſia Catholica tranſitum fecerit ad hæreſim, rurſusque recurrerit, placuit huic pœnitentiam non eſſe denegandam, eo quod cognoverit peccatum ſuum &c.* quod ſi autem non denegarunt pœnitentiam, utique nec veniam. Præclara eſt in hos Canones Cabaſſutii in *Notitia Conciliorum* Tom. 1. Cap. 7. animadverſio, quæ tum hoc, tum priora duo Reſponſa multum confirmat; utile proinde fuerit eam conſulere.

106 Contra Aſſertionem II. arguitur a Sacramentis, & peccatis. Etenim Sacramenta cum obice ſuſcepta penitus amittunt virtutem operandi gratiam, ita ut illam ſublato etiam obice non amplius efficiant: peccata item ſemel remiſſa nunquam deinceps imputantur ad pœnam, tametſi gratia pœnitentiæ remedio aquiſita per relapſum deperdatur; perinde igitur etiam operis boni vis meritoria per peccatum ſubſequens extinguitur, ut ea non amplius redeat, obtenta etiam peccati remiſſione in Pœnit. Sacramento.

Reſp.

Resp. C. Ant. N. Illat. Et quoad Sacramenta quidem ratio discriminis est: quia hanc illis attribuendi virtutem nullum habetur fundamentum, ut constat ex L. II. de Bapt. Differt. II. §. II. meritorum contra per pœnitentiam restitutio colligitur ex Scriptura & Patribus. Quod vero ad peccata attinet, testimonio Scripturæ certum est, ea semel remissa penitus aboleri, atque adeo ita remitti, ut Deus integre cedat juri suo, quod habebat ad plectenda illa æternis pœnis. Quid enim illo apud Ezech. C. 18. clarius? *Si impius egerit pœnitentiam, - - omnium iniquitatum ejus non recordabor;* & C. 33. *impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit &c.* Sane locutiones hæ sunt absolutæ & indefinitæ; non igitur restringendæ: præsertim cum istud prorsus consentaneum sit clementiæ Dei, multo pronioris ad miserendum & remunerandum, quam puniendum. Inde, cum in Scriptura aut Patribus leguntur peccata præterita redire, sermo est vel de pœna peccatorum non remissorum; vel de jam remissorum pœna temporali; vel denique, quod relapsus propter circumstantiam ingratitudinis, aut similem aliam, gravius evadat peccatum, majoreque propterea supplicio sit plectendus. Consule D. Thomam hic qu. 88. Art. 1. ad 3. & in 4. dist. 22. qu. 1. Art. 1. ad 5. Cæterum hanc de peccatorum jam remissorum plena & absoluta abolitione sententiam isthic aliunde suppono. Sed nimirum quamvis istud ita se habeat, nihilominus

Instari potest I. Apud eumd. Ezechielem C. 18. V. 24. 107
dicitur: *si averterit se justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem - - numquid vivet? omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur;* ergo etiam opera justi post admissum ab eo peccatum penitus abolentur, jusque ad gloriam per illa prius aquisitum omnino extinguitur. Dubitari certe nequit, peccatorem

torem reddi indignum, qui gratiam prioribus meritis respondentem recuperet cum jure ad gloriam, perinde ac si non peccasset.

Resp. laudata ex Ezechiele verba intelligenda esse hoc sensu: *justitiæ ejus non recordabuntur*, hoc est, non proderunt in statu peccati, ac nisi resurgat; secus est, si resurgat: tum enim rursum prodesse incipient, & ad præmium imputabuntur. Expositio autem hæc fundatur in aliis apud ipsum Ezechielem verbis, de quibus dictum paulo ante, ac etiam supra N. 102. ubi & alia tam Scripturæ quam Patrum testimonia in rem nostram commemoravimus. Atque ita explicato Ant. neganda est Illatio. Quamvis enim merita justi per peccatum subsequens, si in eo decedat, penitus extinguantur: eadem nihilominus, quamdiu vivit & pœnitere potest, perseverant conditionate, visque eorum suspensa est duntaxat ac impedita per peccatum; si hoc proinde per pœnitentiam tollatur, redire illa necesse est. Inde, id quod de peccatoris indignitate additur, distinctione explico: hoc restitutionis beneficio peccator indignus est, quamdiu in peccato perseverat C. post ejus remissionem etiam, iterum Dist. independenter a misericordia Dei, & liberali hac ejus ordinatione C. admissa illa, ut admitti debet, N. Nimirum hanc meritorum restitutionem non fundamus in sola peccatorum remissione: fieri quippe hæc posset sine illa; fundamentum igitur totum eam adstruendi est misericordia Dei, in hac providentiæ lege ita gratuito peccata remittentis, ut simul comparata prius in statu justitiæ merita rursus ad præmium imputari velit. Attamen

108 Instabis II. Videntur hæc arbitrarie dici, nec conformia esse Tridentino: nam Sess. 6. Can. 26. definiens, justos expectare debere pro bonis operibus æternam retributionem, hanc ibid. conditionem adjungit; *si bene agendo, & divina mandata custo-*

custodiendo usque in finem perseveraverint; ergo ex mente Concilii pro eo opere, cujus perseverentia per peccatum abrumpitur, retributio æterna amplius expectari non potest etiam remisso peccato.

Resp. N. Illat. Concilium enim hoc loco nomine *perseverantiæ usque in finem* non intelligit continuam in statu gratiæ perseverantiam: sed decessum duntaxat in statu gratiæ. Patet istud ex ejusd. Sess. Can. 32. ubi expressis verbis dicitur: justificatum bonis operibus mereri vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, *si tamen in gratia decesserit.* At saltem, inquies, totum jus prioribus meritis debitum non redit, ead. quippe Sess. Cap. 7. Concilium declarat, recipi a nobis *justitiam secundum propriam cujusque dispositionem & cooperationem.* Verum non officit istud; toto enim illo Cap. agitur solum de nova gratia, quæ infunditur ratione dispositionis ad justificationem: non autem de gratia jam prius habita, quæ propter merita præcedentia restituitur, cujus proinde mensura sunt hæc ipsa merita, ita ut contritio pœnitentis ad illam sit mera obicis remotio, non autem dispositio.

§. III.

Quæ sit Pœnitentiæ Sacramenti necessitas?

CUm peccatum æstimatione morali perseveret, usque dum peccator illud per pœnitentiam retractet: & Apoc. 21. *non intrabit in eam* (patriam videlicet cælestem) *aliquod coinquinatum;* cumque Christus Lucæ 13. repetitis vicibus, nimirum V. 3. & 5. edixerit: *dico vobis, nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis,* dubitari nequit, Pœnitentiam pro contritione & retractatione sumptam jure divino, & qui-

dem necessitate medii, esse necessariam adultis in peccatum lapsis: quod ipsum insinuat Trident. Sess. 14. Cap. 4. At, num etiam ipsius Pœnitentiæ Sacramenti par sit necessitas? controvertunt Sectarii, præsertim quoad Confessionem, sine qua illud juxta doctrinam Ecclesiæ constare non potest. Errorem quoad hoc eorum supra N. 49. retulimus; nunc reliquum est, ut ad refellendum illum definiamus: an Pœnit. Sacramentum, etiam ut includens Confessionem sacramentalem Differt. II. §. III. descriptam, non tantum jure Ecclesiastico, sed & divino sit necessarium? qua item necessitate, an medii? an tantum præcepti?

ASSERTIO I.

Sacramentum Pœnitentiæ, etiam prout includit Confessionem sacramentalem, est a Christo præceptum: jure proinde non tantum Ecclesiastico, sed & divino necessarium omnibus post Baptismum graviter lapsis.

109 Confessionis sacramentalis necessitatem ipso etiam jure Ecclesiastico stabilitam non diffitemur Catholici. Aperta in hanc rem est Ecclesiæ lex in Concilio Lateran. IV. lata Can. 21. *Omnis utriusque sexus &c.* eademque per Tridentinum confirmata Sess. 14. Cap. 5. & Can. 8. Verum (quod calumniantur Sectarii) omnino negamus, necessitatem hanc solo Ecclesiastico jure inductam: *neque enim* (ut cit. Cap. ait Tridentin.) *per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium, & institutum esse intellexerat; sed ut præceptum Confessionis* (nempe divinum) *saltem semel in anno ab omnibus & singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur.* Neque hæc arbitrarie dicta putent Novatores; vel duo argumenta, quæ subjicio, hanc præcepti & juris divini necessitatem satis evincunt. Ita autem

Argu-

Argumentum I. ad mentem Concilii Tridentini instituo. 110
Christus verbis illis, *quorum remiseritis &c.* contulit Sacerdotibus potestatem judicialem, hacque eos uti voluit in ministrando Pœnitentiæ Sacramento in ordine ad remittenda vel retinenda peccata; atqui potestatem hanc exercere non possunt nisi probe ac integre cognito peccatoris statu, ut clarum est; hunc igitur etiam illis patere voluit: qui autem is patere potest, nisi peccator ipse intimos animi recessus per confessionem peccatorum exactam pandat? ergo Christus hoc Sacramentum non aliter ministrari voluit, quam præmissa peccatoris integra Confessione, hancque ipsam proinde præcepit.

Ita porro recte argui, res ipsa docet, si modo sua constet Asserto primo de judiciali Sacerdotum potestate veritas. Quid vero est, quo illa in dubium vocetur? Certe eam a Deo potestatem accipere, ut aliorum delicta remittere vel retinere possis auctoritate tibi peculiariter delegata, quid aliud est, quam delegatum Judicem fieri? Ac si istud forte generatim admissum nolis, hanc nominatim Sacerdotibus a Christo concessam potestatem esse judicialem edocebit te primævæ Ecclesiæ sensus, quem PP. aperte declarant. Audiatur pro aliis Chrysostomus L. 3. de Sacerdotio, ubi de Sacerdotibus ait: *iis datum est, ut potestatem habeant, quam Deus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit. - - Quæcumque enim, ait, peccata remiseritis, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. Quænam, quæso, potestas hac una major esse queat? Pater omne judicium Filio dedit; cæterum video, ipsum omne judicium a Deo Filio illis traditum.* Audiatur Augustinus Hom. 49. *Nemo sibi dicat: occulte ago* (pœnitentiam) *apud Deum ago; novit Deus, qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est: quæ solveritis in terra &c. Ergo frustra sunt Claves datæ Ecclesiæ Dei?* certe autem Clavium nomine judicium Ecclesiæ intelligitur. Item & Gre-

gorius M. Hom. 26. in Evang. verba illa, *quorum remiseritis &c.* exponens, *principatum*, inquit, *superni Judicii sortiuntur* (Sacerdotes) *ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent; - - ecce animarum Judices fiunt; & alios damnant, vel liberant &c.*

Atque hoc illud est argumentum, quo ipsum Concil. Tridentinum Sess. 14. Cap. 5. speciatim declarat, *institutam esse a Domino integram peccatorum Confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere; quia* (ut ibid. prosequitur) *Dom. N. J. C. - - Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit tanquam Præsides & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, - - qui pro potestate Clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim Sacerdotes hoc judicium incognita causa exercere non potuisse, - - si in genere duntaxat, & non potius in specie, ac sigillatim ipsi sua peccata declarassent.*

III Argumentum II. ducitur ex constanti Ecclesiæ universalis Traditione & praxi. Confessionem nimirum sacramentalem jam inde a principio Ecclesiæ in usu semper fuisse, eamdemque Patres primævos ut necessariam commendasse constat vel ex iis, quæ supra Differt. II. a N. 50. retulimus: copiosius præterea idem ex Conciliis & Patribus comprobat Bellarm. L. 3. de Pœnit. præsertim a Cap. 5.

Ex hoc autem quid ni ita arguere liceat? Juxta S. Augustinum L. 4. contra Donat. C. 24. *quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur:* & Tertullianum de Præscr. C. 21. de hoc *sine dubio tenendum, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo suscepit;* ergo, cum Confessionis sacramentalis usus in Ecclesia semper fuerit, idemque judicatus sit necessarius, nec constet ab ullo Concilio fuisse institutum, rectissime creditur, doctrinam hanc

Apo-

Apostolos a Christo accepisse, eosque ipsos illam Ecclesiæ tradidisse. Quid vero istud est aliud? quam necessitatem hujus Sacramenti esse juris divini, in Christi videlicet præcepto fundati. Et profecto mos adeo difficilis omnia peccata, quantumvis occulta & gravia, manifestandi communi fidelium consensione invalescere & constanter perdurare non potuisset, nisi semper persuasum fuisset omnibus, onus hoc grave a Christo ipso esse institutum & præceptum.

ASSERTIO II.

Sacramentum Pœnitentiæ in re vel in voto est medii necessitate necessarium omnibus, qui a Baptismo in grave peccatum prolabuntur.

Assertio hæc continet doctrinam a Tridentino traditam 112
Sess. 14. Cap. 2. ubi ait: *Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.* Est vero istud indubitatum, si sine hoc Sacramento in re vel voto suscepto obtineri nequeat remissio peccatorum a baptizato commissorum: quando absque hac remissione aditus ad salutem patere non potest; atqui, cum Christus Joan. 20. dederit Sacerdotibus potestatem remittendi vel retinendi peccata, ea utique remitti nequeunt sine absolutione sacramentali in re, aut saltem voto obtenta: quomodo enim alias retineri possent per Sacerdotes? Certe posse peccata retinere non aliud est, quam non remittendo posse facere, ut non sint remissa apud Deum. Ac profecto, nisi istud ita se habeat, frustranea erit potestas Sacerdotibus ad remittendum vel retinendum data, uti ipse Augustin. Hom. 49. arguit; postquam enim monuit: *age pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia; nemo sibi dicat, occulte ago &c.* continuo subjicit: *ergo frustra sunt Claves datæ Ecclesiæ Dei? frustramus verba Christi &c.* Dictum

Dictum autem est, *in re vel voto:* tametsi enim peccata gravia baptisatorum remitti possint per contritionem charitate perfectam, ita ut per illam homo reconcilietur Deo, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; *ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam,* docet Trident. Sess. 14. Cap. 4. Quomodo porro votum hoc in contritione includatur, constat ex iis, quae in simili sparsim dicta sunt, praesertim L. II. de Bapt. N. 79. unde etiam, quae ibid. N. 81. de Baptismi voto notavimus, hic quoque notari oportet.

Refelluntur Sectariorum argutiae.

VIx erit, quo necessitas medii in controversiam vocetur, si jure divino necessarium sit Poenit. Sacramentum, etiam ut includens Confessionem sacramentalem. Atque hinc est, quod Novatores toti sint in hoc divino jure impugnando, depromptis potissimum ex Scriptura, Patrum sensu, Historia Ecclesiastica, & Orientalium disciplina argumentis; quorum proinde praecipua referre & refellere necessum fuerit. Ita autem

113 Arguunt ex S. Literis. I. Per verba, *quorum remiseritis &c.* Christus Sacerdotibus contulit solum potestatem praedicandi verbum Dei, & annuntiandi remissionem peccatorum; haud recte igitur ex illis deducitur necessitas Confessionis jure divino imposita. Deinde

II. Quamvis detur potestatem factam remittendi etiam peccata, nondum tamen ea necessitas inferri potest: numquid enim potestas baptizandi est potestas remittendi peccata? neque tamen continuo sequitur, Catechumenum Ministro Baptismi confiteri debere peccata; ergo etiam &c. Imo

III.

III. Tametsi per verba, *quorum remiseritis &c.* concessa fuerit Sacerdotibus nominatim potestas judicialis, frustra nihilominus adstruitur obligatio confitendi peccata mortalia. Eadem quippe verba, utpote generatim de peccatorum remissione enuntiata, intelligi debent perinde de venialibus ac mortalibus, ut adeo Sacerdos vi potestatis sibi concessae ab utrisque poenitentem possit solvere: neque tamen propterea infertur, etiam venialium confessionem jure divino esse praeceptam; igitur nec de mortalibus confitendis praeceptum inferri potest.

Resp. ad I. N. Ant. cujus falsitas ex saepe jam alias dictis innotescere potuit. Aliud quippe est remittere peccata: aliud praedicare verbum Dei, aut peccata esse remissa annuntiare; cumque Christus eam Sacerdotibus remittendi peccata dederit potestatem, ut ea retinere etiam possint, satis indicavit, sine absolutione Sacerdotis peccata in Coelo non remitti, alioqui non retinerentur. Denique: potestatem per haec verba collatam esse judicialem, constanti Patrum & Ecclesiae sensu docemur. Atque hinc

Resp. ad II. discrimen petendum esse a diversitate potestatis. Nimirum potestas baptizandi est quidem potestas ministerialis ad remissionem peccatorum ordinata: at non judicialis. Cujus ratio est 1*mo*: quia in eos, qui extra Ecclesiam sunt, uti sunt Catechumeni, Minister Ecclesiae judicium exercere non potest. 2*do*, quia potestas baptizandi, tametsi sit potestas remittendi peccata, non tamen etiam (quod proprium est judicialis potestatis) eadem retinendi; nunquam enim potest ministrari Baptismus, quin (quantum est ex parte Ministri) sequatur remissio: contra Poenit. Sacramentum saltem inchoate ministrari potest cum retentione peccati, ut fit, dum Sacerdos, audita poenitentis Confessione, justis de causis absolutionem negat. 3*tio*, quia potestas judicialis

adnexum habet simul jus satisfactionem imponendi & exigendi; quo quidem jure potestas baptizandi est destituta. His omnibus adde doctrinam Patrum, in Ministro Pœnit. Sacramenti potestatem judicialem profitentium: cum ex adverso ne unus quidem proferri possit, qui eamdem in Baptismi Ministro agnoscat.

Resp. ad III. in hoc, quod a venialibus culpis ducitur, argumento majorem præ aliis videri posse difficultatem; hinc ad expediendam illam prævie animadvertendum est.

I. Cum Pœnit. Sacramentum, ex fine primario & per se, institutum sit ad peccatores Deo reconciliandos, proinde ad remissionem mortalium: indubium est, Christum verba illa, *quorum remiseritis &c.* per se ac primario retulisse ad peccata mortalia. Quia interim magis congruum erat divinæ misericordiæ, per idem Sacramentum non graves tantum, sed & leviores culpas abolere, uti ipsum Pœnit. Sacramentum saltem ex fine secundario, institutum est ad remissionem venialium: sic & laudata verba, prout ea remissionis beneficium significant, secundario saltem a Christo relata sunt ad culpas veniales. Atque hæc conformiter ad doctrinam in Conc. Tridentino Sess. 14. Cap. 1. & 5. expositam. Unde

II. Fatendum est, per eadem Christi verba Sacerdotes constitutos esse Judices non tantum in mortalia, sed & venialia. At discrimen isthic observandum. In mortalia enim ita eos Christus Judices esse voluit, ut illa noluerit posse remitti citra Sacerdotum judicialem sententiam in re, vel saltem voto habitam, remanente proinde obligatione eam in re recipiendi: venialia ex adverso, tametsi Sacerdotum judicio aboleri posse constituerit, simul tamen eadem extra illorum etiam judicium remitti posse voluit. Rursum istud conforme est Tridentini doctrinæ, ut colligitur ex paulo ante cit. locis. Discrimen porro hoc fieri plane conveniens erat: cum enim mor-

mortalia sint graves, venialia leves duntaxat culpæ, ad divinam clementiam, imo & justitiam pertinebat, ut hæ facilius illis expiari possent. Ex his jam vero

III. Ultro consequitur: verba, *quorum remiseritis &c.* non eadem per omnia ratione pertinere ad mortalia & venialia; quod ipsum potiori jure dicendum est de sequentibus, *quorum retinueritis, retenta sunt.* Quamvis enim, aliquo saltem casu, etiam venialia possit Sacerdos retinere non remittendo illa: non potest tamen absolute & simpliciter retinere ita, ut perpetuo retenta maneant; expiari quippe etiam aliis remediis possunt: ac tametsi in hac vita contingat aliquando ea non remitti, in altera certe remittuntur, & quidem (ut cum D. Thoma docet Suarez) probabilius per actum charitatis & contritionis perfectæ, quem anima elicit in primo instanti separationis a corpore. Secus est de mortalibus, ut jam ex dictis constat.

Atque hac animadversione præmissa pronum jam est ad Object. respondere. Nimirum negari potest Ant. propter particulam *perinde* adjectam; aut si mavis distinctione illud explica: verba illa perinde de venialibus ac mortalibus intelligenda sunt, hoc sensu, quod in utraque data sit potestas Sacerdotibus C. hoc sensu, quod in utraque sit data eadem per omnia potestas N. Distinctionis explicatio petenda est ex animadversionibus præmissis, quam ipsam confirmat Traditionis & Ecclesiæ sensus laud. verba sic exponentis.

Arguunt item Novatores ex Patribus: quasi vero eorum aliqui non censuerint Confessionem sacramentalem ita esse necessariam, ut sine illa peccatorum remissio obtineri nequeat; ex quo inferunt, doctrinam de hac juris divini necessitate non fuisse in Ecclesia perpetuam. Nominatur autem in hanc rem 114

 I. Am-

I. Ambrosius, qui L. 10. in Lucam ait: *lavant lachrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri;* sine confessione igitur, per solum dolorem & lachrymas, existimavit posse deleri peccatum.

II. Chrysostomus pluribus locis eam solam confessionem, quæ fit Deo in secreto cordis, commendat. Ita Hom. 2. in Psal. 50. *si confunderis*, inquit, *alicui dicere, quæ peccasti, dicito quotidie in anima tua; non dico, ut confitearis conservo tuo, qui exprobret: dicito Deo, qui curet ea.* Et Hom. 31. in Ep. ad Hebr. *non dico tibi, ut te prodas in publicum, neque ut te apud alios accuses; sed obedire te volo Prophetæ dicenti: revela Domino viam tuam. Ante Deum ergo confitere peccata tua, non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria.* Item Hom. 21. ad populum Antioch. *nec cogit* (Deus) *in medium procedentes, quæ peccavimus, enumerare: sed sibi soli rationem reddere jubet, & sibi confiteri.* Plura id genus ex Chrysostomo congerunt Novatores cum Dallæo, qui postremum ejus locum commemorans adeo plaudit, ut exclamet: *Nihil disertius adversus necessariam istorum* (Catholicorum) *Confessionem dici potuit.*

III. Patres Concilii Cabillonensis II. An. 813. celebrati declararunt, Confessionem sacramentalem esse consilii duntaxat, non præcepti; sic enim habet eorum Can. 33. *Quidam Deo solummodo confiteri debere dicunt peccata, quidam vero Sacerdotibus confitenda esse percensent: quod utrumque non sine magno fructu fit intra S. Ecclesiam &c. Confessio itaque, quæ Deo fit, purgat peccata: ea vero, quæ Sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgentur peccata.* In hoc Can. rursus mirum plaudit Dallæus.

Resp. I. generatim. Si apud PP. subjecta materia & Sermonis contextus attendatur, ac etiam ea, quæ alibi docent, invicem conferantur, patebit, nihil ex iis a doctrina Ecclesiæ diversum proferri posse. Unde negandum est omni-

omnino Assertum in sensu a Novatoribus intento. Ad ejus autem probationem

Resp. II. in particulari, & quidem quod ad I. attinet: laud. ex Ambrosio locus ad rem præsentem non facit, cum ibi agatur de remissione Petro facta, nondum instituto Pœnitentiæ Sacramento; hæc enim ibid. præmissa legas: *Petrus doluit & flevit, quia erravit ut homo &c.* Cæterum alibi Ambrosius aperte docet necessitatem Confessionis, ac nominatim L. 2. de Pœnit. C. 6. ubi ait: *si vis justificari, fatere delictum tuum; solvit enim criminum nexus verecunda Confessio peccatorum.* Si verecunda: ergo facta homini, & non tantum Deo; coram hominibus enim verecundamur delicta confiteri.

Resp. ad II. mala fide a Novatoribus, præsertim Dallæo, hæc & id genus plura ex Chrysostomo congeri. Numquid enim S. Doctor secum ipso pugnat? cum multis aliis locis aperte doceat necessitatem Confessionis apud Sacerdotem faciendæ.

Ita, postquam L. 2 de Sacerdotio C. 3. dixit: *Nihil eorum relinquendum est, quod probe non excutiat atque examinet Episcopus; quin omnia studiose perscrutatum, tum demum oportet illum sua remedia congrue, accommodateque afferre;* dein ibid. examinis hujus coram Ecclesiæ Præposito subeundi necessitatem exponens, *insania manifesta est,* inquit, *despicere tantum principatum, sine quo nec salutis, nec promissorum bonorum compotes esse possumus.* Clarius id ipsum asserit Hom. 33. in Joan. *in peccatis, quæ commisimus, confitendis neminem vereamur; - - etsi nemo opera nostra videat, singuli suam conscientiam ingrediantur, & judicem sibi rationem constituant; errata sua in medium adducant, nisi velint in die illa horrenda universo orbi ea manifeste patere.* Item in Hom. de Muliere Samarit. *qui enim homini detegere peccata erubescit, Deo vero cernente facere non erubescit, neque confiteri vult, neque pœnitentiam*

 agere:

agere: in die illa non uno, aut duobus, sed universo orbe spectante traducetur. Esse autem singillatim, & non in genere duntaxat, confitenda peccata declarat Hom. 9. in Ep. ad Hebr. ubi primum ait; pro peccatore *medicamentum pœnitentiæ* confici *ex peccatorum* condemnatione & *declaratione;* dein sic prosequitur: *sin autem dicit, sum peccator; ea autem per species non cogitat ac supputat, & non dicit: hoc & illud peccatum admisi; nunquam cessabit, semper quidem confitens, nullam autem curam gerens correptionis.* Sane vel hæc argumento sunt, existimasse Chrysostomum, singulorum omnino peccatorum confessionem non Deo tantum, sed & Sacerdoti esse necessario faciendam, & quidem necessitate salutis.

Inde, cum alibi contrarium dicere videtur, ne secum ipso pugnet, conciliandus est. Ac revera in omnibus id genus locis vel 1*mo* loquitur solum de confessione publica, quæ fiebat coram testibus, & occasionem dabat exprobrationi, quæque jam per Nectarium Chrysostomi antecessorem in Ecclesia Constantinopol. sublata fuit; ut adeo non excluserit privatam, quæ fieret coram Sacerdote, ceu Dei vicario, ipso proinde Deo: præsertim cum & aliis Patribus familiare fuerit dicere, confessionem id genus secretam non fieri homini, sed Deo propter potestatem videlicet divinam, qua Sacerdos judicium sacramentale exercet. Istud dicendi fundamentum præbet ipse Chrysostomus in Hom. 4. de Lazaro, ubi ait: *cur igitur, te quæso, pudescis & erubescis dicere peccata tua? non enim homini dicis, ut te probro afficiat. Num enim conservo confiteris, ut in publicum proferat? - - non, inquam, cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere testes; mihi soli dic peccatum privatum, ut sanem ulcus &c.* Vel certe 2*do*, pœnitentiæ frequentis, imo & quotidianæ usum commendans, non plus ad eam exigit, quam peccatorum coram Deo agnitionem & cordis contritionem, quod utrumque quivis

vis quotidie facile præstare potest; cum ex adverso non perinde facilis sit Confessio sacramentalis, tum propter verecundiam, tum quod non semper pateat ad Sacerdotem accessus, hicque ipse, si frequentior sit, molestia non vacet: neque tamen propterea S. Doctor negat, ita privatim pœnitentibus incumbere obligationem confitendi sacramentaliter opportuna occasione. Rursus in hanc rem fundamentum est ex verbis Chrysostomi Hom. 2. in Ps. 50. quotidianam hanc pœnitentiam ita commendantis: *Peccata tua ipse commemora, ut deleas. At pudet te peccata tua confiteri? dic ea quotidie in oratione; - - Dic cordi tuo atque animæ tuæ: exegimus hodiernum diem o anima! quid boni fecimus, aut quid mali admisimus? - - Si in lecto sis, atque tibi peccata tua in memoriam venerint, collachryma, atque hac ratione in lecto dolere potes. Deum tuum roga atque obsecra, sicque corpus trade, posteaquam prius confessus peccata fueris.*

Conformiter jam ad hæc duo prima ex Chrysostomo objecta loca, hisque similia alia, explicanda sunt. Quod vero ad tertium attinet, videlicet Hom. ad pop. Antioch. frustra plaudit Dallæus; solos quippe Catechumenos illic alloquitur S. Doctor, quod patet tum ex hoc Homiliæ Titulo, *Catechesis ad illuminandos:* tum ex contextu, in quo, *prius dixi*, inquit, *& nunc dico, & dicere non desinam, si quis morum vitia non correxit, - - ne baptizetur.* Sed neque nos sacramentaliter confitendi necessitatem ad Catechumenos extendimus.

Resp. ad III. Ante triumphum, quem canit Dallæus, advertere eum oportebat ad ejusdem Concilii Can. 32. in quo statuitur: *sed & hoc emendatione indigere perspicimus, quod quidam, cum confitentur peccata sua Sacerdotibus, non plene id faciant. Quia ergo constat hominem ex duabus esse substantiis, anima videlicet & corpore, - - solerti indagatione debent inquiri ipsa peccata, ut ex utrisque plena sit confessio, scilicet: ut ea confitean-*

tentur, quæ per corpus gesta sunt, & ea, quibus in sola cogitatione delinquitur &c. quæ profecto verba non consilium, sed præceptum indicant. An igitur Concilium altero statim Can. 33. qui objicitur, in se ipsum pugnavit? nec Dallæus istud volet. Igitur dicendum: postquam Concilium Can. priore stabilivit Confessionis sacramentalis necessitatem, dein altero refert privatorum quorumdam opinionem; quamvis autem isthic adversus eam nihil definiat, nec tamen illam approbat, ut ex ipsis object. verbis clarum est. Nimirum, cum jam præced. Can. memoratam necessitatem asseruit, hic satis habet eam, relata Ecclesiæ praxi, confirmare; inde ait: *quod utrumque non sine magno fructu fit intra S. Ecclesiam, ita duntaxat, ut & Deo, qui remissor est peccatorum, confiteamur peccata nostra; & secundum constitutionem Apostoli confiteamur alterutrum peccata nostra.*

115. Arguunt demum ex Historia Ecclesiastica, & Orientalium disciplina. Nimirum

I. Historia primævæ Ecclesiæ non commemorat usum Confessionis sacramentalis; nuspiam certe leguntur PP. ut Ignatius, Justinus, Irenæus, aliique, tametsi sanctimonia conspicui, apud Sacerdotem de peccatis se accusasse. An vero istud credibile? si jam tum Ecclesia censuisset Confessionem ex præcepto Christi esse necessariam.

II. Nectarius Ecclesiæ Constantinop. Sec. IV. Episcopus munus Pœnitentiarii, ipsumque proinde Confessionis morem abrogavit, facta potestate, ut pro sua quisque conscientia ad Mysteria Eucharistiæ participanda accederet: cui constitutioni adeo reclamatum non est, ut potius Nectarii exemplum plurimi in Oriente Episcopi sequerentur; ergo Confessio non est juris divini, hoc enim abrogari non potest. Ant. desumitur ex narratione Sozomeni L. 7. Hist. C. 16. ejusque coævi

coævi Socratis L. 5. C. 19. Tantum autem isthic Sozomeno tribuit Calvinus L. 3. Inst. C. 4. ut recensitis ejus verbis ita invehatur: *hic hic aures asini isti arrigant!* pro sua, scilicet, modestia orthodoxos Theologos compellans.

III. Denique, quis credat? ex jure divino promanare necessitatem Confessionis, quam plerique Orientales aut non admittunt, aut res inter adiaphoras numerant. Et apud Græcos quidem Presbyteri fere nunquam, nobiles admodum raro, plebeji nullo penitus tempore sui accusationem apud Sacerdotes faciunt, ut Scriptores quidam testantur. Orientales cæteri, præsertim Coptitæ & Jacobitæ Alexandrini, eamdem ne cognitam quidem habent, quod refert Gabr. Sionita L. de Moribus Oriental. item Thomas a Jesu L. 7. de Convers. Gent. Constat præterea ex Hist. Eccl. Seculi XII. Alexandriæ a Joanne & Marco, Patriarchis Jacobitis, decretorio judicio Confessionem sublatam, declaratumque ab illis: satis esse cordis confessione peccata coram Deo plangere.

Resp. ad I. Tametsi in primævæ Ecclesiæ Historia non legatur peccatorum Confessio nominatim a Patribus facta: eadem nihilominus legitur ipso statim Seculo II. & III. commendata ab Origene, Tertulliano, Cypriano & aliis, ut jam supra dictum est N. 50. & 52. Quin ibid. ex Paulino retulimus, ab Ambrosio Sec. IV. exceptas pœnitentium Confessiones; idem autem etiam ab aliis Episcopis & Sacerdotibus præstitum, dubitari non potest: cum ex Patribus sæpe jam laudatis constet, ipsis Ecclesiæ primis Seculis judicatum fuisse, omnium peccatorum gravium Confessionem esse necessariam. Cæterum quod in Vitis Patrum expiationis hujus sacramentalis ab iis frequentatæ non fiat mentio, multiplex ratio reddi potest. Est quippe jure divino necessaria confessio peccatorum duntaxat mortalium, a quibus illi, uti & primævi fideles, fere immunes erant: venialia autem in sacro hoc tribunali expiare

 minus

minus tum erat frequens ob paucitatem Sacerdotum. Deinde: in Sanctorum Vitis ea ut plurimum referuntur, quæ illis fuere peculiaria; cum interim Confessio communis sit omnibus, magisque propria peccatoribus.

Resp. ad II. Qua fronte Calvinus audet ex hoc Socratis & Sozomeni loco arguere, a Nectario sublatam esse Confessionem sacramentalem? quam tamen in Antid. Concilii Trident. primum ab Innocentio III. inductam asserit, ac idcirco *laqueum Innocentianum* compellat. Si primum Seculo XII. ab Innocentio inducta Confessio, quomodo ejusdem usus jam ante a Nectario Seculo IV. sublatus? enectus est scilicet Innocentii partus octo Seculis prius, quam ab eo in lucem ederetur. En ex eodem Calvini ore frigidum & calidum! Advertit ad istud Dallæus, ac idcirco, deserta Magistri sui sententia, fatetur L. 4. de Pœnit. C. 24. & 32. non esse per Nectarium abolitam Confessionem, ne quidem publicam. Sed missis his Calvini male contextis argutiis,

Quid attamen, inquies, de Nectarii facto sentiendum? Expeditam rem esse ajo, si modo ad veteris Ecclesiæ, ac nominatim Constantinopolitanæ disciplinam, ad ipsa etiam dein laud. Scriptorum verba mentem atque animum advertas. Ac de disciplina quidem ita res habet: Novatianis Ecclesiæ in peccatores indulgentiam incusantibus, jam Sec. III. statutum fuit, ut in graviora quædam peccata publice lapsi publicam agerent pœnitentiam, nec ad sacrum Eucharistiæ epulum admitterentur priusquam in cœtu fidelium palam de iis peccatis se accusarent. In hunc finem constitutus erat Presbyter Pœnitentiarius, qui publice lapsorum omnia peccata privatim audiret primum; ex his, quæ occulta erant, secreto subjacebant: publica vero pro arbitrio jubebat rursus coram se, & in cætu fidelium palam declarari, quæ ipsa declaratio pars erat pœnitentiæ & satisfactionis publicæ. De

hac

hac jam disciplina in sua Hist. Eccl. agens Socrates L. 5. C. 19. *quamvis*, inquit, *ad longinquum temporis spatium hoc teneret institutum, tamen temporibus Nectarii Episcopi immutarunt propter ejusmodi facinus, quod tum forte fortuna in Ecclesia admissum fuit. Mulier quædam nobilis ad Presbyterum Pœnitentiarium accedit; peccata, quæ post Baptismum commiserat, particulatim confitetur. Presbyter mulieri mandatum dat, ut jejuniis & precibus se dederet, quo &c. Mulier longius in confitendo progressa, alterius culpæ se insimulat: docet Diaconum Ecclesiæ cum ipsa dormivisse, - - ex quo cum magna populi offensio & clericalis ordinis infamia secuta fuisset, - - Eudæmon quidam Ecclesiæ Presbyter - - Nectario dedit consilium, ut Presbyterum Pœnitentiarium tolleret, & liberam daret potestatem, ut pro sua quisque conscientia ad Mysteria participanda accederet.* Id quod & præstitit Nectarius, aliis etiam subinde Episcopis ejus exemplum secutis. Fere eadem narrat Sozomenus; Socrati autem eo plus deferendum, quod hæc omnia se ab ipso Eudæmone accepisse testetur.

Quibus quidem attentis, quid est, quod a Nectario abolitum esse censeri debeat? id utique, ex quo *populi offensio & clericalis ordinis infamia secuta est;* at istud erat Confessio publica: hanc igitur solum cum Pœnitentiarii publici munere abrogavit. Certe autem Confessionem secretam eum non abrogasse vel illud argumento est, quod deinceps etiam illa apud Græcos viguerit, ut constat ex Chrysostomi, Nectarii in Sede Constantinop. Successoris, pluribus locis supra N. 114. in Resp. ad II. laudatis, aliisque Patribus. Quin eadem vel apud Schismaticos Græcos hodiedum viget: nec tamen ejus usus legitur ab ullo Episcopo aut Concilio restitutus. Inde, cum cit. Scriptores narrant concessum esse a Nectario, *ut pro sua quisque conscientia ad Mysteria participanda accederet*, id eo sensu intelligendum est: permissum fuisse, ut pœ-

tens accederet Euchariſtiam ſine prævio publici Pœnitentiarii & fidelium aliorum judicio, quo velut teſtimonium perhiberetur, eum pœnitentiæ legibus ſatisfeciſſe, riteque jam ad participandam Euchariſtiam comparatum eſſe: modo tamen nullius gravis peccati conſcientia eum remorderet, aut illud jam ante confeſſione privata expiaſſet.

Reſp. ad III. miſerum eſſe Novatorum ad Orientales refugium, a quibus in ipſo ſtatim ſectæ ſuæ exordio repulſam tulerunt, ſcriptis etiam Libris deinde ab illis confutati, & decretoria complurium Synodorum ſententia damnati, quod jam ſæpe alias commemoravimus.

Græcos certe fruſtra appellant; de eorum quippe doctrina arbitrari oportet non ex incertis privatorum Scriptorum teſtimoniis, aut abuſibus, qui poſt tot ſciſſiones apud aliquos Græcorum irrepſerunt: verum ex græcæ Eccleſiæ Patribus, Euchologiis, Libris Pœnitentialibus, Synodis priore Seculo celebratis &c. in quibus omnibus de Pœnit. Sacramento doctrinam nobis plane conſentientem reperias. Atque ex his fontibus complura jam a nobis in hanc rem teſtimonia ſparſim deſumpta ſunt: eademque copioſius videri poſſunt apud Auct. Perp. Fidei Tom. 5. L. 3. a Cap. 1. ad 5. Quibus demum ut momenti accedat amplius, ipſi per regiones noſtras ſparſi Ritus græci ſectatores conſulantur; & profecto ne ab his quidem diverſum quidquam extundetur.

Sed apud Orientales forte reliquos plus erit Novatoribus præſidii? neque iſtud; quando fidenter nobis provocare licet ad Canonum Orientalium collectores. Quid, obſecro, vel illo clarius? quod *Ebnaſſal* in Collect. princip. Fidei C. 55. ſcribit: *Confeſſio*, inquit, *eſt declaratio peccatorum, - - quam pœnitens Sacerdoti poteſtatem habenti facit; peccata omnia accurate & diligenter enumeranda, - - nec quidquam eorum Sacerdoti occultare fas eſt: qui contra faciunt in animi & corporis*

ris certissimam perniciem ruunt &c. His similia legere est C. 96. apud Auctorem Tractatus *de scientia Ecclesiastica secundum Ecclesiam Jacobitarum Alexandrin.* item Michaelem Jacobitarum Patriarcham Antioch. in Tract. *de Præparat. ad sacram Communion.* apud celebrem Canonistam *Ehmini* n Collect. Can. §. de Pœnit. apud Barsalibium, Albulfaragium, & alios. Rursus vide Auctorem Perp. Fid. ex Orientalium sensu & disciplina contra Novatores prolixe & erudite differentem Tom. 5. L. 3. a C. 5. & toto L. 4.

Equidem Joannis & Marci Patriarcharum factum, quod objicitur, negari non potest; at reclamatum est continuo, impiam Constitutionem compluribus Orientaium impugnantibus, quorum præcipui fuere: Marcus Monach. & Presbyt. uterque Ebnassal, Echmini, Michael Patriarcha Antioch. Ex proposito istud discutit laud. Auct. Perp. Fid. cit. L. 3. C. 8. Atque hinc pronum est respondere ad Gabrielis Sionitæ & Thomæ a JESU testimonium. Quod si enim Coptitis & Jacobitis Alexandrinis, ac quibusdam etiam Orentalibus aliis incognitus est Confessionis sacramentalis usus, repeti istud potest a memoratorum Pseudo-Patriarcharum errore, ita apud quosdam radicato, ut evelli denique non potuerit. At istud profecto ad ferendum de totius Ecclesiæ Orient. doctrina judicium non sufficit. Quid quod constet laud. Scriptor[es] complura de Orientalium moribus in LL suos congessisse, quæ rudis popelli relatione & falsis rumoribus acceperunt; ut adeo ex eorum testimoniis nihil statuposlit, præse rtim cum in oppositum certiora alia suppetant.


Corollarium
de obligatione Confessionis sacramentalis, spectato jure tam Divino, quam Ecclesiastico,

Asserta Sacramenti hujus necessitate, paucis exponenda est obligatio, quæ ex utroque jure oritur: uti enim inter hæc, ita & inter obligationem ex illis promanantem discrimen facere oportet.

116 I. Quod igitur ad jus divinum attinet: obligari illo omnes post Baptismum graviter lapsos, constat ex Trident. Sess. 14. Cap. 5. ubi declaratur, *integram peccatorum confessionem omnibus post Baptismum lapsis jure Divino necessariam existere.* Cum autem in articulo præsertim mortis & præsenti ejus periculo teneamur adhibere media ad salutem necessaria, indubium est, his saltem casibus præceptum Confessionis in jure divino fundatum urgere. Sed neque tum solum: quo illi satisfiat, in longius tempus differri non potest pœnitentia sacramentalis. Dilatio certe hujusmodi cederet in contemptum divinæ amicitiæ, nec vacaret proinde salutis periculo; inde communis est Doctorum sententia, eum, qui in plures annos differret, graviter peccaturum contra divinum Confessionis præceptum.. At quo, inquies, præcise tempore ejus implendi urget obligatio? censeo, istud generatim definiri non posse; unde passim DD. existimant, de hoc arbitrandum esse ex circumstantiis & statu peccatoris. Induci autem non possum, ut eorum accedam sententiæ, qui cum Cajetano, Sylvestro, & Cardenas opinantur, statim ab admisso peccato mortali præceptum hoc divinum graviter obligare ad pœnitendum. Certe post D. Thomam oppositum communius docent Theologi cum Suarez, Vasquez & aliis.

II.

II. Si porro de juris Ecclesiastici præcepto sit quæstio, 117
ex Conc. Lateranensis IV. Can. 21. & Trident. Sess. 14. Cap. 5. certum est, omnes Christi fideles, cum ad annos discretionis pervenerint, omnia sua peccata saltem semel in anno confiteri debere. Omnes inquam, si tamen gravis alicujus culpæ sibi sint conscii: sicut enim præceptum Divinum est tantum de mortalibus confitendis, sic & Ecclesiasticum, cum hoc non aliud, quam illius quoad tempus determinationem contineat. Inde, si quis intra annum nulla gravi noxa se obstrinxit, *per se* loquendo anno illo præcepti obligatione non urgetur. Dixi *per se*: fieri quippe potest, ut obligetur ad vitandum scandalum, vel propter particularia suæ Ecclesiæ statuta. Quamvis autem huic præcepto regulariter satisfiat, quocumque intra annum tempore peragatur Confessio: si tamen quis paschali tempore gravis peccati sibi sit conscius, ratione S. Communionis tum præceptæ confiteri obligatur; nisi forte desit Confessarius, & Communio differri non possit e. g. sine scandalo: tum enim suffecerit contritionem præmittere, ut colligitur ex Trident. Sess. 13. Cap. 7. Demum: præcepto huic Ecclesiastico non satisfieri per Confessionem voluntarie nullam, constat ex Prop. 14. ab Alexandro VII. damnata: idque ipsum satis indicat præcepti finis, qui est peccatoris cum Deo reconciliatio.



DISSER-

DISSERTATIO IV.

DE MINISTRO ET SUBJECTO SACRAMENTI POENITENTIÆ.

§. I.

Quis sit Minister Pœnit. Sacramenti?

VAldenses & Wicleffitæ docuerunt a solis Sacerdotibus probis, imo probis etiam laicis ministrari posse hoc Sacramentum, utdictum est supra N. 3. Eamdem potestatem Flagellantes Seculi XIII. sectarios solis laicis attribuisse testatur Baluzius in Miscellan. L. 3. C. 9. Lutherus omnium liberalissimus, extendit illam ad omnes non modo homines, sed & diabolos; id quod patet ex ejus verbis L. I. de Sacr. in gen. Diss. IV. §. I. N. 105. & 106. recitatis. Atque his deliriis opponenda nobis est Ecclesiæ doctrina.

ASSERTIO.

Solus Sacerdos est Minister Sacramenti Pœnitentiæ.

118 INdubitatum hoc esse fidei dogma constat ex Trident. Sess. 14. Cap. 5. & Can. 10. ac jam ante in Concilio Constant. Sess. 8. damnatis Wicleffi propositionibus, quas pro fronte hujus Libri retulimus; inde in eod. Conc. per Bullam Martini V. cautum est, ut de Wicleffi erroribus suspecti interrogentur: num credant, *quod Christianus - - soli Sacerdoti de necessitate salutis confiteri teneatur, & non laico, seu laicis quantumcumque bonis & devotis?* Fundatur autem hæc doctrina in illis Christi verbis, *quorum remiseritis &c.* per quas pote-

potestatem sacramentaliter absolvendi solis Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, esse collatam docemur ex sensu Patrum, & perpetua Ecclesiæ praxi. Certe Ambrosius L. 1. de Pœnitentia C. 2. *jus hoc*, inquit, *solis permissum Sacerdotibus est;* & Chrysostomus L. 3. de Sacerd. C. 5. ita propriam esse ait Sacerdotibus judicii sacramentalis potestatem, ut ea nulli alteri conveniat. In eamdem sententiam conspirant Pacianus, Hieronymus, Augustinus, Innocentius I. Leo M. aliique PP. sæpe jam a nobis per decursum laudati. Quibus demum si Sacramentaria & Ritualia addas, plane consentientem Patrum doctrinæ praxim reperies: a nemine videlicet unquam alio, quam Sacerdote, Sacramentum hoc in Ecclesia fuisse ministratum.

Neque interim existimandum, per solum Sacerdotii 119
Ordinem plene expeditam haberi ad valide ministrandum Pœnitentiæ Sacramentum potestatem: requiri quippe ad id præterea tam *approbationem* quam *jurisdictionem* ex Tridentino certum est.

Ac de approbatione quidem Seff. 23. Cap. 15. ita statuitur: *Quamvis Presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen S. Synodus, nullum, etiam Regularem, posse Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire; nec ad id idoneum reputari; nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat.* Tametsi autem hic nulla fiat mentio de Confessionibus Regularium, Monialium attamen Confessiones excipi non posse sine prævia approbatione, declaravit Gregorius XV. in Bulla *Inscrutabilis*.

De jurisdictione vero id. Trident. Seff. 14. C. 7. ita habet: *Quoniam igitur natura & ratio judicii illud exposcit, ut*

sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse hæc Synodus confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habeat jurisdictionem. Quibus quidem verbis clare significatur, sine jurisdictione absolutionem esse invalidam, & non illicitam tantum. Sed num idem, quæres, etiam de approbatione intelligendum ? ita plane ; quamvis enim istud expressis verbis in Tridentino non decernatur, recte tamen ex illis deducitur : ac ne dubitari possit, Clemens X. aperte declaravit in Constitut. *Superna &c.* De jurisdictione demum illud ex communi & certa Doctorum sententia addo : delegatæ jurisdictionis potestatem in quoslibet & quæcumque peccata, in articulo vel periculo mortis, habere quemvis Sacerdotem, etiam excommunicatum & degradatum, si alius desit. At de his pluribus passim Theologi Morales.

Resolvitur Objectio.

120 ASsertionis veritas in dubium vocari potest propterea, quod aliquando in Ecclesia existimatum fuisse videatur etiam laicos, aut Diaconos saltem, ministrare posse Pœnit. Sacramentum. Et quidem

I. Pro Laicis pugnant Religiosarum quarumdam Familiarum Regulæ ; sic enim Regula S. Donati C. 23. præcipit, ut sanctimoniales suis Abbatissis frequentissime confiteantur: idemque ut Fratres apud Seniorem suum præstent, præscribit S. Isidorus in Regula C. 15. Cassianus C. 29. & plures alii. Quin Doct. Ang. in 4. dist. 17. qu. 3. Ar. 2. ad 2. cuilibet indiscriminatim laico, in casu saltem necessitatis, Confessiones excipiendi potestatem concedit; postquam enim dixit, Sacerdotem ex officio esse Ministrum Pœnitentiæ, continuo subjungit: *sed in necessitate etiam laicus vicem Sacerdotis supplet,*

plet, ut ei confessio fieri possit. Nec omnino contrarium videtur istud S. Literis, cum S. Jacobus in Ep. sua Cath. C. 5. generatim hortetur: *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra.*

II. Pro Diaconis laudatur auctoritas S. Cypriani Ep. 12. concedentis, ut Diaconi absente Sacerdote absolvant poenitentes: *qui libellos*, inquit, *a Martyribus acceperunt, si incommodo aliquo, aut infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectent praesentiam nostram; quin apud Presbyterum praesentem quemcunque, vel, si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus coeperit, apud Diaconum quoque Exomologesim facere delicti sui possint; ut, manu eis in poenitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres literis ad nos factis desideraverunt.* Addi potest Concil. Eliberitanum Can. 32. Toletanum I. Can. 2. & Londinense Can. 3. a quibus pariter Diaconis facultas permissa est manus imponendi supra poenitentes, eisque dandi communionem impendente mortis periculo. Huc denique facit Cap. *Fures*, de Furtis, ubi statuitur: *Fures & latrones, si in furando & depraedando occiduntur, visum est pro eis non esse orandum; sed si comprehensi aut vulnerati Presbytero vel Diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus.*

Resp. I. generatim: nullo Patrum, aut Conciliorum, vel Historiae testimonio evinci, aliquando in Ecclesia quempiam alium, praeter Sacerdotem ministerio hujus Sacramenti fuisse perfunctum. Si quando proinde Confessiones Diaconis aut etiam laicis factae leguntur, eae omnino pro sacramentalibus habendae non sunt. Ac ne istud arbitrarie dictum existimes,

Resp. II. in particulari ad I. Confessiones, quae in Regulis quorumdam sacrorum Ordinum praescribuntur fieri Abbatissis, ac universim Superiori etiam non Presbytero, non aliud sunt, quam suimet de culpis quibusdam accusatio eum in

 finem

finem ordinata, ut a fubdito Religiofo humilitas exerceatur, promptiusque idem a Superiore adjuvetur ad profequenda illa, quæ Inftituti funt propria. Finis hic porro ex ipfis Regulis facile colligitur ; in nulla autem certe earum abfolutionis facramentalis vel veftigium reperias. Quid quod hodie etiam apud complures facras Familias id genus confeffiones ufitatas effe noverimus, cum videlicet Religiofi coram Præpofito, aut in ipfo Fratrum reliquorum cætu errata fua candide enuntiant; at has profecto accufationes nemini unquam in mentem venit facramentales dicere.

De mente S. Thomæ ex ejusdem verbis judicium ferendum eft. Ita autem de confeffione laico facta fe explicat ibid. dift. 20. qu. un. Art. 1. ad 3. *ille, qui laico confitetur, quamvis impleat quod ex parte fua eft de facramentali confeffione, tamen facramentalem abfolutionem non confequitur.* Et in Supplem. qu. 8. Cap. 2. ad 1. *Confeffio*, inquit, *ex defectu Sacerdotis laico facta, facramentalis eft quodammodo* (videlicet quoad materiam Sacramenti) *quamvis non fit Sacramentum perfectum, quia deeft ei, quod eft ex parte Sacerdotis*, nimirum abfolutio. Igitur in obj. loco S. Doctor id unum vult: fideles in periculo mortis, abfente Sacerdote, ad fui humiliationem & fignificandum Sacramenti defiderium delicta fua manifeftare poffe etiam laico, id quod olim fervor Chriftianorum in morem verterat.

Nec argui poteft oppofitum ex illis D. Jacobi verbis, *confitemini ergo alterutrum &c.* Quod fi enim hic agit de confeffione facramentali, fenfus eft: *confitemini alterutrum*, hoc eft, homines hominibus, at non quibuslibet, fed Presbyteris, de quibus præmiferat; *infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros &c.* ex his enim dein infert, *confitemini ergo alterutrum &c.* quæ illatio non foret legitima, nifi facienda effet confeffio Presbyteris, quorum prius meminerat. Cæterum

non

non constat hoc loco agi de confessione sacramentali; multorum quippe DD. est opinio, id solum ibi monere Apostolum: ut peccata nostra coram aliis non excusemus, sed potius humili eorum confessione alios ad orandum pro nobis provocemus.

Resp. ad II. Cyprianus indulto hoc suo Diaconis potestatem dedit solum pro foro externo reconciliandi, quod ipsum jure ordinario solis Episcopis tum competebat. Colligitur vero id ex eo: quod loquatur de pœnitentibus Martyrum libello provisis, quibus in gratiam Martyrum pœnitentia publica relaxabatur, aut etiam instante mortis periculo integre condonabatur ita, ut, tametsi non expleta illa, Ecclesiæ reconciliarentur, atque ad ipsam Eucharistiæ participationem admitterentur. Nec offendaris voce *Exomologeseos* a Cypriano isthic usurpata: quamvis enim vox hæc sæpe pro Confessione sacramentali sumatur; eadem nihilominus quandoque, ab ipso etiam Cypriano, adhibetur ad significandum pœnitentiæ exercitium, præsertim tertii gradus, seu *substrationis*, sic dictæ, quod pœnitentiam agentes imponentibus sibi manum substernerentur. Atque istud omnino jam alias a pluribus observatum est, signanter a Pamelio in Cyprianum de lapsis *Nota* 99. Baluzio in Ep. Cyprianicam 13. Petavio in Diatriba de pœnit. & reconciliat. veteris Ecclesiæ C. 2. idemque clarum fit ex Tertulliano L. de Pœnit. C. 9. dicente: *Exomologesis prosternendi & humilificandi disciplina est &c.* Hoc eodem sensu intelligenda est potestas a laud. in Object. Conciliis concessa Diacono.

At saltem, inquies, cit. Cap. *Fures*, pro Diaconis pugnat? minus imo, quam quæ ex Cypriano & Conciliis objecta sunt. Nimirum hoc Cap. desumptum est ex Concilii Triburiensis An. 895. Can. 31. hic vero non habet *Presbytero vel Diacono*, sed *Presbytero & Deo confessi fuerint*, ut

præter alios advertit Sylvius in qu. 8. Suppl. Art. 2. qua quidem lectione restituta, cessat difficultas. Sed demus legendum esse *vel Diacono.* Ac tum quidem congrue dixeris *1mo;* hoc Capitulo fieri potestatem Diaconis ad dandam Eucharistiam furibus lethaliter vulneratis aut mox morte mulctandis, si modo contritionis signum præbeant, quale esset confessio vel Diacono facta. Aut verius dixerim *2do;* de ita confessis, ob præsumptam eorum contritionem, statui: ut illis post mortem non negetur communio in orationibus & suffragiis Ecclesiæ. Primum fundatur in præmissa Capitulo Rubrica, quæ ita habet: *Furibus & latronibus in peccato obeuntibus Sacramenta Ecclesiastica deneganda sunt; secus si in morte eos pœnituit.* Alerum in primis Capituli verbis: *si in furando & deprædando occiduntur, visum est pro iis non esse orandum.*

Corollarium

de Ministri Pœnit. obligatione quoad Sigillum Confessionis.

121 CUm Minister hujus Sacramenti ex officio agat pœnitentis Judicem, Medicum, & Doctorem, pronum est statuere, quales in particulari obligationes muneri huic respondeant. Præter has porro peculiaris est illa, quæ ad *Confessionis sigillum* pertinet. Vi hujus nimirum tenetur ad servandum secretum circa pœnitentis peccata: imo universim circa ea, quæ pœnitens ad pleniorem suæ conscientiæ & peccatorum declarationem in Confessione sacramentali manifestat. Nomine autem hujus Confessionis venit omnis illa, quæ fit animo se accusandi in foro conscientiæ in ordine ad obtinendam sacramentalem absolutionem: tametsi hæc dein ex aliquo defectu

feſtu ſit invalida, aut plane non ſequatur. Nec dubitandum eſt, obligationem hujus ſecreti eſſe rigoris ſummi; fundatur enim non tantum in jure naturali & Eccleſiaſtico: ſed etiam in divino, quod ex ipſa Sacramenti inſtitutione deducitur, ne videlicet revelatione ſecreti in odium adducatur Confeſſio. Inde nullus omnino caſus evenire poteſt, quo, absque pœnitentis indulto vel leviſſimum peccatum in Confeſſione auditum manifeſtare liceat. Sed de argumento hoc rurſus plura a Theologis Moralibus repetenda ſunt.

§. II.

Quibus miniſtrari poſſit Pœnit. Sacramentum?

QUæſtio hæc pene jam reſoluta eſt Diſſert. III. ubi de Sacramenti hujus effectibus & neceſſitate diſceptavimus. Ex his nimirum ultro conſequitur

ASSERTIO.

Omnes poſt Baptiſmum lapſi, quantumvis proinde graves & inveterati peccatores, aut etiam ad extremum vitæ pœnitentiam differentes, capaces ſunt valide & cum fructu percipiendi abſolutionem ſacramentalem a Miniſtro præſente.

ITa porro generatim ſtatuta Aſſertio de iis duntaxat intelli- 122
genda eſt, qui ad mentem Concilii Trid. rite comparati ſint ad obtinendam ſacramentalem abſolutionem, hoc eſt; de contritis, confeſſis, ac ſatisfacere volentibus, cum id integrum illis fuerit. Cum enim actus hi inſtar materiæ Sacramentum perficiant, defectu illorum neceſſe eſt reddi infructuoſum, imo invalidum. Hæc contra ſi non deſint, nihil erit, quo

quo minus valide & cum fructu ministretur cuilibet fideli in peccatum lapso.

Est nimirum hoc Sacramentum a Christo institutum ad remissionem peccatorum, eorumque quorumlibet, cum generatim data sit Sacerdotibus potestas, *quorum remiseritis &c.* eamque ad omnia omnino peccata extendi semper existimavit Ecclesia, id quod ex illius sensu Differt. III. §. II. satis, ut opinor, declarato constat. Sed nec pœnitentiæ ad exitum vitæ dilatio valorem & fructum sacramentalem impedire potest, quod ipsum laud. §. comprobavimus. Quibus ut amplius accedat momenti, audiatur Trident. Sess. 14. Cap. 7. ubi, *ne hac ipsa*, inquit, *occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuslibet peccatis & censuris absolvere possint.*

123 Quæ quidem Concilii declaratio eo amplius ad rem præsentem facit, quod istud dicatur in Ecclesia *custoditum semper fuisse*; ut adeo ab hac doctrina & praxi nullum Ecclesiæ Seculum possit eximi. Ac revera si veteris Ecclesiæ Concilia & Patres consulamus, ita rem se habere comperiemus. Libet ex multis pauca in medium proferre testimonia.

Ex Conciliis Nicænum I. An. 325. Can. 13. *de his*, inquit, *qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur: ita ut si quis egreditur e corpore, ultimo & maxime necessario viatico minime privetur. - - Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter* (hoc est, postquam probaverit pœnitentem) *dare debebit.* Et Carthaginense IV. An. 398. Can. 76. & 77. statuit, *morituro pœnitenti dandam esse reconciliationem, & infundendam ori ejus Eucharistiam.*

Ex

Ex Patribus ſuffecerit nominaſſe Innocentium I. & Cœleſtinum I. utrumque ſub initium Seculi V. S. Pontificem. Prior ab Exuperio conſultus de peccatoribus in extremo vitæ reconciliationem petentibus, data ad eum Epiſtola reſpondet: *de his obſervatio prior durior, interveniente* (Eccleſiæ) *miſericordia, inclinatior eſt; nam conſuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, ſed communio negaretur.* En! prius etiam conceſſa pœnitentia, ergo & venia; ſine hac enim fruſtra eſſet illa. Cœleſtinus vero in Ep. 2. ad Epiſcopos Galliæ C. 2. abuſum quorumdam, moribundis abſolutionem negantium, redarguens, ait *ſe tantam impietatem exhorreſcere, qua morienti mors additur, ejusque anima occiditur.*

Quod in Aſſertione additum eſt, *a Miniſtro præſente*, eo 124
pertinet, ut indicetur: pœnitentem, quamvis cætera rite diſpoſitum, non eſſe capacem abſolutionis percipiendæ a Sacerdote abſente. Ac hæc quidem ſententia hodie certa eſt ex Clementis VIII. Decreto An. 1602. die 20. Julii edito, in quo §. 1. damnatur hæc prop. *Licet per literas, ſeu internuncium Confeſſario abſenti peccata ſacramentalter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem accipere;* quam Propoſ. non tantum in ſenſu copulativo, ſed etiam diviſivo eſſe damnatam, declaravit Congregatio S. Inquiſit. ſub eod Clemente, & rurſum Paulus V. An. 1605. Neque autem exiſtimandum eſt, agi hic ſolum de licita abſolutione; nam in eod. Decr. §. 2. Pontifex ſtatuit, ne Propoſ. illa *unquam tanquam aliquo caſu probabilis defendatur:* quod ſi autem illicitam tantum, & non invalidam etiam voluiſſet id genus abſolutionem, laudatæ Propoſitionis probabilitas defendi poſſet ſaltem pro aliquo caſu, e. g. dum moribundus abſolvi nequit niſi a Sacerdote abſente, ergo &c. Juverit iſthic recolere ea, quæ in conſimili argumento contra Cl. Morinum ex eod. Decr. ſupra N. 89. V. *Deinde &c.* diſputavimus.

125 Quæ contra Aſſertionem opponi poſſunt, fere ex veteris Eccleſiæ diſciplina petuntur. Conſtat videlicet primitus negatam quandoque fuiſſe reconciliationem quibusdam peccatoribus, ut idololatris, mœchis &c. item non niſi in extremo vitæ articulo pœnitentibus. Ac id genus complura jam alias ſparſim hoc L. commemoravimus, unaque, quo ſenſu accipienda ſint, expoſuimus. Inde, ne eadem rurſum repetantur, ad hujusmodi Objecta reſolvenda principii inſtar ſit: reconciliationis illius nomine aut cæremonialem tantum intelligi; aut ſi ſacramentalis etiam negata fuit, id factum propterea, quod peccatores ejusmodi ex conjecturis non obſcuris exiſtimarentur non eſſe ſincere contriti, nec ſatis proinde diſpoſiti ad percipiendam Sacramenti gratiam.

Corollarium
de moribundi ſenſibus deſtituti capacitate ad percipiendam abſolutionem ſacramentalem.

HAud infrequens eſt, ut Sacerdos evocetur ad moribundum ſenſibus deſtitutum; num is igitur etiam abſolutionis ſit capax? celebris apud Theologos Morales eſt controverſia. Certe in definienda illa duos eumprimis ſcopulos cavendos eſſe facile quisque intelligit; nihil quippe pronius, atque ut vel nimio opinionis rigore moribundi ſalus in diſcrimen adducatur: vel contra ſentiendi libertate peccetur in reverentiam Sacramento debitam. Ego, quo utrumque declinem certius, nihil de meo pronuntiabo, contentus gravium aliorum Doctorum ſenſa referre; liberum deinde cuique erit de propoſita controverſia ſtatuere. Atque ut certa a controverſis diſcernam;

I. Ex

I. Ex communi DD. ſententia (ut teſtatur Viva in Ap- 126
pend. ad damnatas §. 11.) certum eſt, moribundum ſenſibus deſtitutum, tametſi confeſſionem oris facere nequeat, ſi tamen contriti animi ſignum edat in ordine ad obtinendam abſolutionem ſacramentalem, eam illi non modo poſſe, ſed & debere impendi; & quidem *abſolute*, ſi ſigna ſint certa: *conditionate* contra duntaxat, ſi ſint dubia. Cum enim ſignum ejusmodi ſit ipſa ſenſibilis confeſſio, qualis videlicet hoc caſu fieri poteſt: cumque eodem ſigno dolor evadat ſenſibilis; habendus eſt utique moribundus pro rite diſpoſito: tali autem abſolutio negari nequit.

At quæ, inquies, ſigna ſunt certa, quæ dubia? id univerſim prudentis arbitrio definiendum ajo. Pro certis interim communiter habentur, ſi e. g. illud ipſum ſignum detur, quod petitur; ut ſi monente Sacerdote manum ejus moribundus vel leviter comprimat, capite annuat, oſculetur Chriſti effigiem &c. Inter dubia referuntur, motus e. g. alicujus partis corporis, oculorum, manus &c. præſertim ſi non ſtatim ſequantur, dum ſignum aliquod in genere petitur. Nec dubium eſt, vel motus hujusmodi prudenter poſſe pro ſignis accipi: nam cum ægri ſæpe illa ſpeciatim ſigna, quæ petuntur, dare non poſſint, tametſi connitantur, per eumdem nihilominus niſum alius aliquis in corpore motus ſequitur, qui ipſe proinde eſt ſignum doloris.

II. Certum item eſt, id genus moribundum abſolutionis 127
eſſe capacem, ſi coram adſtantibus pœnitentiæ ſigna dederit, ac de his illi dein advenienti Sacerdoti teſtentur; quo caſu rurſum abſolutio pro ratione ſigni certi vel dubii impendenda eſt, abſoluta nempe vel tantum conditionata. Fundatur iſtud in Reſcripto Leonis M. qui de hoc caſu conſultus a Theodoro Ep. Forojulienſi Epiſt. 91. ita reſpondit: *ſi moribundus ſubito obmuteſcat, poteſt Pœnitentiam accipere & conſequi, ſi voluntatis*

 tatis

tatis præviæ testimonium aliorum verbis habeat. Quod ipsum statutum est a Conc. Carthaginensi IV. Cap. 76. & Arausicano I. Can. 11. ac etiam in Rituali Romano Pauli V. de Sacr. Pœnit. his verbis præscribitur : *si confitendi desiderium seu per se, seu per alios ostenderit, absolvendus est.* Accedit gravissimorum DD. idem sentientium auctoritas, ut D. Thomæ, S. Antonini, Sylvestri, Paludani, Suarezy, Vasquezii, Lugonis, & plurimorum aliorum contra Dominicum Sotto, Canum &c. Neque sententia hæc (ut quidam volunt) adversatur Decreto Clementis VIII. supra N. 322. relato: testimonium enim hujusmodi esset Confessio moribundi per adstantes interpretes præsenti Sacerdoti facta; quin Clemens ipse de hoc casu interrogatus respondit, se non intendisse illum Decreto suo comprehendere, seque ipsum ejusmodi moribundum absoluturum, id quod Card. Bellarmini & Petri Lombardi Archiep. testimonio confirmat Platellius in Syn. Theol. C. 6. §. 6. N. 769.

128 III. Quod jam controversum est, reducitur ad eum casum, quo moribundus nec antea, nec coram Sacerdote ullum doloris signum dederit, præter respirationem moribundis omnibus consuetam. Moribundo hujusmodi negandam penitus absolutionem docent maximam partem DD. tam antiqui quam receniores apud Diana 3. p. Tract. 3. qu. 8. Complures contra conditionate absolvi posse putant, si modo Catholicus, & vitæ communiter probæ fuerit ; pro qua sententia P. Schild. Tract. 6. de Princip. form. consc. laudat 40. Doctores, achos inter etiam S. Antoninum: eamdem amplectuntur Lugo, Haunoldus, Cardenas, Tamburinus, Moya, Gormaz, La Croix, Leonardelli, & ex recentissimis Nicolaus Mazzotta in Theol. Morali Bononiæ An. 1750. edita, antea vero ab eodem Neapoli prælecta in publica Societatis nostræ Academia.

Neque

Neque interim omnes benignioris hujus ſententiæ Patroni eodem nituntur fundamento. Alii quippe ſignum doloris ſenſibile, quod ad Pœnit. Sacramenti valorem requiritur, reponunt in ipſa vita chriſtiane prius acta: alii (ac forte verius) ex vita ſic transacta prudenter præſumi putant datum fuiſſe vel nunc dari a moribundo aliquod ſignum ex ſe ſenſibile, tametſi ad illud nec Sacerdos, nec adſtantes alii advertunt. Partis utriusque fundamentum refert Leonardelli P. 2. Deciſion. pract. in Caſu 39. ubi demum N. 229. poſtremis accedit: quos etiam ſequitur laud. Mazzotta Tract. 6. diſp. 1. qu. 4. de Oris confeſſ. C. 7. §. 2.

Uterque autem pro ſigno hoc præſumpto ita fere arguit. Vita probe transacta ſufficiens præbet fundamentum prudenter præſumendi a moribundo hoc datum fuiſſe vel actu dari aliquod ſignum doloris ex ſe ſenſibile in ordine ad abſolutionem, licet illud non obſervetur: eo ipſo enim quod chriſtiane vixerit, prudenter præſumitur in extremis adhibere media ſibi maxime proficua; hoc caſu igitur prudenter præſumitur dari materiam ad valorem ſacramentalis abſolutionis requiſitam; atqui hoc ipſo poteſt conferri ſaltem ſub conditione abſolutio, ut conſtat ex collatione Baptiſmi per materiam dubiam in caſu neceſſitatis, ergo &c. Antec. porro confirmant inde, quod moribundi communiter, cum poſſunt, dent clara & diſtincta doloris ſigna, idque ſalutis conſequendæ gratia; prudenter itaque etiam hic moribundus ex eadem cauſa præſumitur dare aliquod ſignum, quod poteſt, tametſi ad illud non advertatur propterea, quod in debili motu conſiſtat: uti iſtud complures ab agone ſibi redditi profeſſi ſunt, ac inter alios Petrus Marchantius in ſuo Tribunali Sacram. Tom. 1. Tit. 4. dub. 7. de ſe ipſo teſtatur. Huc facit illa Juris Regula: *quod plerumque fit, prudenter præſumitur factum.* L. in obſcuris ff. de R. I.

 His

His jam vero si opponantur Concilia ad absolutionem signum sensibile requirentia; respondent: requiri omnino signum sensibile, quod sit tale, ut vel actu re ipsa percipiatur, vel saltem præsumatur dari Conc. quod semper actu percipiatur, iterum Distingu. in ordine ad absolutionem conferendam absolute, Conc. conditionate tantum conferendam, Neg. Addunt *1mo:* universim Concilia de absolutione agentia intelligi debere de absoluta; sicut cum eadem loquuntur de peccatis, certa duntaxat & absolute talia intelligunt. *2do*, conditionata hac absolutione evitari omne frustrationis & irreverentiæ Sacramenti periculum, uti istud omnibus indubitatum est. *3tio*, satis receptam esse praxim absolvendi naufragos, aut ex alto præcipites; certe Mazzota cit. §. memorat, ipsum Clementem VIII. cuidam decidenti e fabrica D. Petri absolutionem contulisse his verbis: *si capax es, absolvo te &c.* quibus quidem casibus, saltem communiter, non aliud quam præsumptum doloris signum haberi potest.

129 IV. Sed quid, inquies, de benignioris hujus opinionis in praxi securitate existimandum? expeditum ajo ex nunc dictis esse responsum; hoc ipsum nihilominus malim alienis verbis accipias. Audi igitur Cl. Moya hic Quæst. 4. ita arguentem: propter tot AA. sententiæ hujus Patronos, ac etiam rationes pro ea pugnantes, etsi certum non sit hujusmodi moribundum capacem esse absolutionis sacramentalis, est tamen saltem dubium; atqui ex communi Doctorum sensu in dubio de capacitate subjecti vel materiæ ministrari potest conditionate Sacramentum; ergo etiam in præsenti casu. Quin ibid. Moya non tantum posse, sed & debere ex charitate ministrari contendit: eo quod ex charitate proximus in necessitate gravi positus juvandus sit modo, quo juvari potest: hic juvari potest conditionata absolutione, ergo &c. Idem censet Gormaz, Leonardelli, Mazzotta, & plures alii

ab

ab his laudati. Ac ne meo (si denique & illud quis velit) desim suffragio, profiteor: me non minus esse benignum in moribundos, ac in parvulos nondum ex utero materno natos fuerim L. II. §. II. a Num. 124. inde malim iis benigniore hac sententia (qua licet) succurri: quam rigore quorumdam eosdem in salutis discrimen adducere.

V. Si demum quis ex his inferat: licebit igitur perinde 130
conditionate absolvere moribundum hujusmodi, tametsi vitæ non fuerit probæ, aut inter peccandum destituatur sensibus, vel etiam hæreticum? Ne a proposito discedam, de hoc ipso rursus aliorum duntaxat sensa referre libet. Igitur laud. Mazzotta sub finem cit. §. 2. ita sermonem prosequitur de moribundo sensibus destituto. *Idem dicunt* (posse videlicet conditionate absolvi) *Poncius, Gormaz, & alii multi contra Bosco, etiamsi is antehac male vixisset; quia sufficit, si constet, fuisse Catholicum, ut habeatur aliqua saltem tenuis probabilitas accipiendi motus, quos facit, in signum doloris. Unde etiam infert Gormaz Num.* 226. *quod, licet quis actualiter peccando subito destitueretur sensibus, regulariter sine absolutione dimitti non deberet; & Tamburin. Carden. aliique addunt, Catholicum in duello vel adulterio confossum, si supersit aliquid temporis ante mortem, vix dimittendum sine absolutione sub conditione. Secus vero si sit infidelis, vel hæreticus; quia ille omnino est incapax: hic certo indispositus, nisi serio antea dixerit, se velle mori ritu catholico.*

Quia vero Vir perspicax probe advertit opponi posse a recens mortuo, continuo subjicit. *Denique, si quis adveniente Sacerdote sit mortuus, certum est, non posse sacramentaliter absolvi, quamvis antea dedisset signa pœnitentiæ,* Cap. *Multiplex* 49. de Pœnit. d. 1. *quia non est amplius in statu viæ. Neque citetur in oppositum Opusc.* 65. *D. Thomæ, nam hoc falso*

falso ei adscribitur, Moya Num. 16. *Neque citentur aliqui Medici dicentes : animam rationalem manere etiam uno, vel altero quadrante post mortem vulgariter existimatam ; nam ea opinio est communiter improbabilis. Si autem auctoritate vel ratione fieret alicui saltem dubie probabilis, posset is absolvere sub conditione.* Hæc totidem verbis Cl. Mazzotta loc. cit.

DISSERTATIO V.

DE CÆREMONIIS POENIT. SACRAMENTI SECUNDUM VETEREM ET MODERNAM ECCLESIÆ DISCIPLINAM.

§. I.

Quæ fuerit vetus disciplina in ministrando Pœnit. Sacramento, præsertim quoad absolutionem & satisfactionem?

QUod in veteris Ecclesiæ disciplina ad Pœnit. Sacramentum pertinente potissimum explanandum venit, est Satisfactio pœnitentibus imposita. Inde, postquam isthic compendio in memoriam revoçaverimus Ritum confitendi & absolvendi sacramentalem etiam primitus usitatum, pluribus deinde differemus de absolutionis dilatione; ac etiam de satisfactionis rigore & varietate ; speciatim duobus §§. seqq. acturi de ritu pœnitentiæ publicæ, & de solemni illa cæremonia, qua publici pœnitentes reconciliabantur.

Ritus

Ritus confitendi & abſolvendi.

Vetus Eccleſiæ diſciplina nihil a nobis diverſum habebat quoad Confeſſionem & Abſolutionem, prout hæc ad Pœnit. Sacramenti ſubſtantiam pertinent. Ipſis nimirum etiam primis Seculis ſecreto, & quidem omnia ſigillatim peccata Sacerdoti confeſſos fuiſſe pœnitentes docemur ex Patribus Diſſert. II. §. III. a N. 50. laudatis; hinc illa peccatorum enarratio, quæ palam in cætu fidelium quandoque fiebat, non erat Confeſſio ſacramentalis, ſed pars duntaxat ſatisfactionis in ſacro Pœnitentiæ tribunali impoſitæ. Idem de abſolutione ſacramentali ſentiendum eſt; perinde enim illam veteres, ac nos, verbis indicativis contuliſſe conſtat ex iis, quibus ſupra Diſſert. II. §. V. a Num. 82, & rurſum a N. 90. pro forma indicativa pugnavimus. Quod igitur in Ritu hoc peculiare occurrit, eſt confitentium ſitus. Ut enim ex Ordine Rom. & LL. Ritualibus a Martenio & Morino editis conſtat, primis Eccleſiæ Seculis pœnitentes, cum peccata confiterentur, Sacerdoti aſſidebant: nec tamen in ſella, ſed humi duntaxat, & habitu corporis humili; qui tamen ipſi deinde pœnitentiam & reconciliationem flexis genibus, & in terram proſtrati excipiebant. 131

De Abſolutionis dilatione controverſia.

Quod in conferenda abſolutione nos inter & veteres diverſum videri poteſt, eſt abſolutionis tempus. Sunt quippe complures, qui exiſtiment, in primæva Eccleſia abſolutionem ſacramentalem *lege communi & ordinaria* non fuiſſe datam ante ſatisfactionis tempus integre expletum. Atque iſtud inter alios ex propoſito propugnat Tournelyus de Sacr. Pœnit. Quæſt. 7. Art. 3. Concl. 2. & Ludov. Habert de Pœnit. C. 10. § 5. qu. 4.

132 I. Ego, ut opinioni huic assentiar, adduci non possum: Patrum enim & Conciliorum sensa, quæ pro ea laudantur, congrue exponuntur, imo exponenda etiam videntur de sola absolutione canonica, qua publici peccatores pro foro externo reconciliabantur Ecclesiæ. Ita illud Ambrosii L. 2. de Pœnit. C. 9. *nonnulli ideo poscunt pœnitentiam, ut statim sibi reddi communionem velint; hi non tam se solvi cupiunt, quam Sacerdotem ligare: suam conscientiam culpa non exuunt, & Sacerdotis induunt.* Item illud Paciani Ep. 1. ad Sympronianum Novatianum, cum ait, *hanc ipsam pœnitentiæ veniam non passim omnibus dari; - - post multos gemitus, effusionemque lachrymarum, post Ecclesiæ totius preces venia veræ pœnitentiæ non negatur.* Hæc, inquam, ac his plane consimilia, quæ ex Tertulliano, Cypriano, Innocentio I. & aliis Patribus vel Conciliis recitantur, quid ni congrue intelligamus de mera reconciliatione externa? hac quippe fiebat, ut pœnitentes publici communionis gratiam, & plenam etiam pro foro externo veniam consequerentur; eademque reconciliatio non prius impendebatur, quam post multos gemitus & lachrymas, ipsiusque etiam Ecclesiæ preces publicas, ut certum est ex veteribus LL. Ritualibus: cum ex adverso occulti peccatores, quorum delicta propter Confessionis secretum non innotescebant, ad publicum Ecclesiæ tribunal non deferrentur.

Sed, inquies, Ambrosius cit. loco docet: pœnitentes eos, qui *statim sibi communionem reddi velint, - - conscientiam culpa non exuere.* Recte id quidem ille, quin tamen nobis adversetur; volebant nimirum pœnitentes isti contra receptum Ecclesiæ ritum agi, quæ voluntas culpam involvit. Inde Cyprianus ipse Tract. de laps. de hujusmodi reconciliatione præpostera agens, dicit eam *dantibus periculosam, accipientibus nihil profuturam - - novum genus cladis, - - injuriam, impietatem, quæ salutem non tribuit, sed impedit.*

II. Ac

II. Ac omnino huic Patrum expositioni multum favet 133
Concilii Carthaginen. IV. Can. 78. & Arausicani I. Can. 3. Illo dicitur: *pœnitentes, qui in infirmitate Viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint;* hoc vero de iisdem pœnitentibus: *si supervixerint, stent in ordine pœnitentium, & ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione percipiant.* En! de pœnitentibus his statuitur: ut, si supervixerint, nondum se credant absolutos; superesse illis adhuc necessarios pœnitentiæ fructus; post hos ostensos primum percipiendam esse legitimam communionem & reconciliationem. At hæc profecto intelligenda sunt de fructibus pœnitentiæ solum publicæ necessariis, & quidem in ordine ad obtinendam duntaxat solemnem & canonicam absolutionem, reconciliationem, & communionem: cum enim jam ante in infirmitate Eucharistiæ participes sint redditi, etiam utique reconciliationis internæ & sacramentalis gratiam acceperunt; ex hac igitur loquendi phrasi Patribus usitata haud recte deducitur ipsius sacramentalis absolutionis dilatio.

Quid quod incredibile sit etiam veteres eam communiter distulisse in longum adeo tempus, quo tum producebatur pœnitentia: quando dilatione hac necesse erat multos in grande salutis discrimen adduci propter non infrequentem repentinæ mortis casum, & exiguum ætate illa Sacerdotum numerum, eorumque ob sævientes tyrannos magnam partem latentium. Id quod eo urget amplius, quod ipsi fateantur Adversarii, nunquam censuisse Ecclesiam, satisfactionem absolutioni sacramentali esse necessario ex præcepto divino præmittendam. Ut igitur de tota controversia concludam: tametsi in veteri Ecclesia propter rigidiorem ejus temporis disciplinam, facile concesserim, sæpius, ac nunc fiat, dilatam fuisse absolutionem

ad tempus impletæ pœnitentiæ; at iſtud *lege communi & ordinaria* factum, omnino inficior.

Atque hæc ad liberandam fidem, quam dedi Differt. II. §. IV. ubi N. 69. & 74. in Reſp. ult. pollicitus ſum, de hoc argumento me iſthic paulo explicatius dicturum.

Satisfactionis rigor & varietas.

134I. SEveriorem, ac nunc ſit, fuiſſe antiquitus in ſatisfactionibus imponendis Eccleſiæ diſciplinam, abunde docent Canones Pœnitentiales. Leguntur autem hi paſſim in veteribus Conciliis, ſæpeque a Patribus commemorantur; pleni demum ſunt illis Libri Pœnitentiales, ex quibus Canones 47. recenſet Gratianus in fine ſui Decreti, Ludov. autem Habert 60. juxta Decalogi ordinem digeſtos. Nobis, quo rigoris hujus aliquod iſthic demus ſpecimen, ſat erit paucos retuliſſe.

Qui ſciens pejeraverit, 40. dies in pane & aqua, & 7. annos ſequentes pœniteat; & nunquam ſit ſine pœnitentia, & nunquam in teſtimonium recipiatur.

Qui opus aliquod ſervile die Dominico vel feſto fecerit pœnitentiam aget tres dies in pane & aqua.

Si quis in Eccleſia confabuletur, cum Divina fiunt, pœnitens erit dies tres in pane & aqua.

Si quis furtum de re minori fecerit, pœnitentiam aget annum unum.

Qui proximo detraxerit, pœnitens erit dies ſeptem in pane & aqua.

Falſarius in pane & aqua pœnitentiam aget, quamdiu vivet.

Si

Si quis casu homicidium fecerit, pœnitens erit quadraginta dies in pane & aqua: quinquennio communione privabitur: a cibis abstinebit arbitrio Sacerdotis.

Sane vel ex his pronum est conjicere, quanto majore severitate expianda fuerint graviora delicta, præsertim ea, quæ subjiciebantur solemni pœnitentiæ, quam ob diuturnitatem & operum pœnitentialium difficultatem multo rigidiorem fuisse a N. 141. patebit. Atque hæc satisfactionis severitas diu omnino in Ecclesia obtinuit; apud Occidentales quidem (ut communis fert opinio) ad Seculum XI. quo primum relaxari cæpit, *ne aliquis ex magnitudine pœnæ desperet, & a pœnitentia totaliter recedat*, ut notat D. Thom. in Supplem. qu. 18. Ar. 4. Orientales autem diutius in hoc rigore perseverarunt, quin & hodie in aliquibus Ecclesiis perseverant.

II. Ad varietatem porro hujus ipsius rigidæ satisfactio- 135
nis quod attinet, alia fuit *privata*, alia *publica*. Privata peragebatur secreto & sine arbitris, solo Sacerdote conscio: Publica ex adverso coram toto Ecclesiæ cœtu, vel saltem pluribus testibus. Publica rursum alia fuit *solemnis*, alia *non solemnis*; illa solemni ritu, & certo graduum ac stationum ordine perficiebatur: hæc, tametsi & ipsa in conspectu aliorum fieret, memorata attamen ritus & graduum solemnitate carebat. Quin inter utramque illud quoque erat peculiare discrimen; quod satisfactio publica non solemnis sæpius, cuilibet, & a quovis Sacerdote imponi posset; cum interim solemnis nec iteraretur, neque ab alio nisi Episcopo indiceretur, ac majores saltem Clerici ab ea essent eximii. Cæterum, licet hæc satisfactionum genera in usu fuerint veteribus, ut plurimum nihilominus per pœnitentiam *humillimam*, imo etiam pœnitentiæ nomine absolute prolato designabant pœnitentiam publicam solemnem, ceu reliquis præstantiorem; quod ipsum de pœnitentium nomine observandum venit: id quod ad com-

plura Patrum & Conciliorum loca rite intelligenda haud parum confert. Præterea posteriores etiam Scriptores pœnitentiam publicam vel canonicam communiter pro solemni sumunt; quod & nos exemplo eorum crebro per decursum hujus L. fecimus, ac deinceps facturi sumus.

§. II.

Quid a veteribus observatum in ministranda solemni pœnitentia?

AD pernoscendam veterum in præsenti argumento disciplinam memoria repetere juverit: quæ sit origo pœnitentiæ publicæ? quis ejus Minister & Subjectum? quo ritu peracta?

Origo pœnitentiæ publicæ.

136 I. INitium solemnis hujus pœnitentiæ repetendum videtur ab ipsis Apostolis, cum jam Paulus 1. Cor. 5. legatur incestuosum quemdam Corinthium tradidisse *Satanæ in carnis interitum*, quod excommunicationis quoddam & publicæ pœnitentiæ genus fuisse veteres existimant. De usu certe ejus Seculo II. & III. dubitari nequit; adeo clara sunt testimonia Irenæi L. 2. C. 9. Tertulliani L. de Pœnit. C. 9. & Cypriani Ep. 52. ad Antonianum.

Neque tamen statim a principio eadem, quæ deinceps invaluit, fuit disciplina, seu rigorem, seu diuturnitatem pœnitentiæ attendas. Etenim Sec. I. paulo ante memoratus Corinthius, vix anno pœnitentiæ evoluto, Ecclesiæ communioni est restitutus, ut constat ex C. 2 Ep. 2. ad Cor. quam post annum ab Epist. 1. elapsum Paulus scripsit. Et (Irenæo teste L. 3. C. 4) Cerdo hæresiarcha

archa Sec. II. pluries a ſua apoſtaſia reconciliationem obtinuit. Nathalius etiam Epiſcopus, ab hæreticis ad defectionem inductus, ut primum ſacco indutus & cinere conſperſus ad pedes Zephyrini, ſub initium Seculi III. Papæ, ſe provolvit, continuo pacem & communionem recepit, quod refert Euſebius L. 6. Hiſt. C. ult. Itaque

II. Severitatis hujus canonicæ diſciplina non prius, 137
quam ſub medium Seculi III. inducta eſt, ut colligitur ex Cypriani Ep. 52. in qua ſcribit, communi Epiſcoporum ſuffragio conſtitutum, *ut nec in totum ſpes communicationis & pacis lapſis denegaretur, - - ſed traheretur diu pœnitentia.* In hunc finem, cum antea pœnitentiæ tempus & modus Epiſcopi arbitrio definirentur, inſtitutæ ſunt ſolemnes pœnitentium ſtationes, ac ſingulis attributa laborioſæ ſatisfactionis opera; idque tum ad fideles in officio vitæ Chriſtianæ continendos: tum ad occurrendum Montaniſtarum & Novatianorum criminationibus, quibus Catholicos de nimia in lapſos facilitate incuſabant.

Cæterum hæc ipſa pœnitentiæ ſolemnitas circa finem ſequ. Seculi IV. primum quidem Conſtantinopoli a Nectario, haud multo poſt dein in plerisque etiam aliis Orientalibus Eccleſiis, in Occidente vero non prius, quam Sec. VII. abrogata eſt; hinc ſequentibus Seculis, tametſi quandoque pro publicis delictis publica imponeretur pœnitentia, prior attamen ille quoad temporis diuturnitatem & ſtationes canonicas rigor integre obſervatus non legitur.

Miniſter & Subjectum ejusdem Pœnitentiæ.

ERat ſolemni huic pœnitentiæ illud peculiare, quod non a quolibet, nec quibusvis peccatoribus injungi poſſet. Nimirum

I. A

138 I. A solo Episcopo, vel Presbytero speciatim ad id muneris deputato imponebatur pœnitentia publica, & quidem solemni ritu, neque nisi in *Capite Jejunii*, seu Feria Cinerum: unde & mos eo die cineres accipiendi profluxit. Ritum hunc videre est apud Martene de antiqua Eccl. discipl. C. 17. ubi ex complurium Ecclesiarum MSS. Codicibus varios ejus Ordines describit. Idem refertur in Pontificali Rom. Clementis VIII. Tit. de expuls. publice Pœnitentium.

Præcipua autem ejus capita hæc fere sunt. Pœnitentibus templum ingressis, & coram Episcopo prostratis ac peccatum suum palam confitentibus, primum imponebatur cinis cum dicto; *memento homo, quia pulvis es &c. age pœnitentiam, ut habeas vitam æternam.* Aspersi dein aqua lustrali, post manuum impositionem, ciliciis benedictis induebantur; tum, recitatis prius Psalmis Pœnitentialibus & compluribus aliis precibus, ad fores Ecclesiæ deductos ejiciebat Episcopus dicens: *Ecce ejicimini vos hodie a liminibus S. Matris Ecclesiæ &c.* respondente choro: *In sudore vultus tui vesceris pane &c.* Postremo, jam ejectos & extra Ecclesiam genibus flexis gementes commonuit Episcopus de pœnitentiæ operibus, de misericordia Dei, utque non prius, quam Feria V. in Cœna Domini, ad Ecclesiam redirent; quo sermone finito, ac Episcopo cum reliquis fidelibus in Ecclesiam revertente, mox ejus valvæ ante oculos pœnitentium claudebantur.

139 Quod vero ad personas pœnitentiæ huic subjectas attinet: inprimis Clerici majores, (quales sunt Episcopi, Presbyteri & Diaconi) saltem a Seculo IV. ei non erant obnoxii, ut colligitur ex Conc. Carthaginensis V. An. 398. Can. 11. item Leonis M. Epist. ad Rusticum Narbon. & Isidoro L. 2. de Eccl. Offic. C. 16. Num autem antea subjecti fuerint, controversum est, nec certi quidquam statui potest. Perinde de Clericis minoribus aliqui controvertunt: tametsi eos Felix III. sub

ſub finem Seculi V. Pontifex in Ep. 7. ſolemni pœnitentiæ ſubjiciat; iisdem nihilominus a Conc. Toletano IV. An. 633. Can. 29. eadem cum Clericis majoribus pœna dictatur. Ego exiſtimo, uti in aliis, ſic & in hoc non eamdem fuiſſe in omnibus Eccleſiis diſciplinam, hancque ipſam apud eosdem progreſſu temporis non raro variatam. Illud ex laud. Can. Toletano eſt certius: ſaltem ſub initium Seculi VII. conſtitutum fuiſſe, ut quilibet Clericus a ſolemni pœnitentia exemptus, in locum ejus *ab honore dignitatis depoſitus Monaſterii pœnam excipiat, ibique perpetuæ pœnitentiæ deditus ſcelus admiſſum luat.*

III. Sed nec fidelibus reliquis omnia promiſcue peccata, 140
quantumvis gravia, ſolemni hac ſatisfactione expianda erant. Non certe occulta; nam Innocentius I. in Ep. ad Exuperium diſerte ait: *non habent latentia peccata vindictam*, intellige publicam. Idem colligitur ex S. Cæſarii Hom. 1. in Quadrag. item Concilii Neocæ ſarienſis An. 314. Can. 4. cumprimis autem Auguſtino. Verba S. Doctoris ſunt Serm. 16. de verb. Dom. *Novit neſcio quem homicidam Epiſcopus, & alius illum nemo novit, - - proſus non prodo, nec negligo, corripio in ſecreto &c.* & ibid. infra: *ſunt homines adulteri in domibus ſuis, in ſecreto peccant; aliquando nobis produntur, - - nos non prodimus malum, ſed in ſecreto arguimus.* Unde Hom. ult. inter 50. in peccatore publicæ pœnitentiæ ſubjiciendo requirit delictum, quod *non ſolum ſit in gravi malo, ſed etiam in ſcandalo aliorum*, proinde publicum. Nec tamen etiam gravia quælibet publica delicta ſolemni hac pœnitentia caſtigabantur: verum, certa duntaxat, & quidem communiter idololatria, homicidium & adulterium; reliqua fere arbitrio Epiſcoporum deſignabantur, ut adeo in hoc quoque pro Eccleſiarum varietate variam fuiſſe diſciplinam fateri oporteat. Quodcumque interim peccatum fuerit, propter quod pœnitentia

publica acta est, pœnitentes hujusmodi a Clericorum ordine in perpetuum arcebantur, ut constat ex Siricii Papæ Ep. I. C. 14. cui pœnæ num etiam illi, qui vel demissionis studio, aut ad vindicandas occultas culpas (quod legimus a quibusdam factum) publicis pœnitentibus se sponte ac ultro adjunxerunt, subjecti fuerint? certi, quod dicam, nihil reperio.

Ritus publicæ Pœnitentiæ.

TRia in hoc Ritu potissimum observatu digna sunt: pœnitentium Stationes, tempus singulis præfinitum, & pœnæ intra hoc tempus usitatæ.

141 I. Ac Stationes quidem, seu gradus, pœnitentia solemnis complectebatur quatuor: fletum videlicet, auditionem, substrationem, & consistentiam; hinc pro varietate eorum pœnitentes alii dicti flentes, audientes alii, vel substrati, aut demum consistentes.

Qui in prima Flentium statione versabantur, pro foribus Templi manebant prostrati, ibique, sacco induti & cinere consperfi, delictum suum coram Episcopo, vel alio Pœnitentiario, imo & fidelibus omnibus palam confitebantur; quin etiam, Templum ingredientium pedibus multo cum gemitu advoluti, eorum preces & suffragia exposcebant. Isthinc vero colligas: Confessionem publicam (cujus sæpe meminimus) repetitis vicibus fieri consuevisse; primum videlicet in impositione pœnitentiæ: ac rursum in hoc Flentium gradu.

Audientium statio fuit in narthece, seu Templi vestibulo, ubi cum Cathechumenis & infidelibus audiebant Psalmorum cantus, Scripturæ lectionem & Sermones Episcopi, quo per hæc ad veram pœnitudinem disponerentur; Missæ autem Catechumenorum interesse non permittebantur.

Sub-

Substratis in ipso Templi ambitu a porta usque ad ambonem locus erat; hic inter gemitus & suspiria flectentes subjiciebantur manuum impositioni, quam Episcopus cum Clero faciebat, orans simul pro illis, eisque benedicens: dum denique, peracta Catechumenorum Missa, ante Offertorium e Templo ejicerentur. Atque hic pœnitentium gradus omnium erat laboriosissimus; in eo quippe plurima pœnitentiæ opera obeunda erant: unde etiam hujus gradus pœnitentes potissimum absoluto Pœnitentium nomine veniebant.

Consistentes demum intra ambonem & cancellos in Templo locum occupabant, ac integro Missæ Sacrificio & reliquis communibus precibus intererant; a panis tamen & vini oblatione, ac etiam Eucharistiæ participatione excludebantur, dum solemniter reconciliarentur. Jam vero

II. Uti universim toti pœnitentiæ sic & stationibus non 142
erat lege communi certum præfinitum tempus, ut constat ex Conc. Carthaginensi III. quod Can. 3. statuit: *ut pœnitentibus, secundum peccatorum differentiam, Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.* Inde non raro factum, ut alii uno, alii duobus, imo & pluribus annis in quavis statione detinerentur: aliquando autem ab una statione, prætermissa media, ad aliam transferrentur. Singulare severitatis exemplum est ex Basilio, qui in Ep. ad Amphiloch. Can. 76. de homicidæ pœnitentia ita decrevit: *Qui sua sponte interfecit, & post pœnitentia ductus est, viginti annis Sacramento non communicabit. Viginti autem anni sic in eo dispensentur. Debet quatuor annis deflere stans extra fores Oratorii, & fideles ingredientes rogans, ut pro eo precentur, suam iniquitatem pronuntians. Post quatuor autem annos inter Auditores recipietur, & quinque annis cum ipsis egredietur. Septem annis cum iis, qui in Substratione orant, egredietur. In quatuor autem annis solum stabit cum fidelibus,*

libus, sed non erit oblationis particeps; tum demum iis expletis, erit Sacramentorum particeps.

143 III. Quodcumque interim hoc tempus fuerit, intra illud variis pœnitentiæ operibus vacandum erat. Præter peculiares autem illas pœnas, quæ singulis pro gravitate delicti ab Episcopo imponebantur, communes omnibus fuisse leguntur sequentes: Confessio publica; privatio Eucharistiæ; attonsio capitis & pullæ vestis ac cilicii gestatio; orationum, humiliationis, jejuniorum, & aliarum corporis afflictationum frequentatio; abstinentia a conviviis & balneis; a Clero & Ordinibus in perpetuum exclusio. His imo in quibusdam Ecclesiis (præsertim Romana, Gallicana, & Affricana) etiam aliæ adjungebantur pœnæ: cum videlicet publice pœnitentes a contrahendo matrimonio, aut jam conjugati ab ejus usu prohiberentur; arcerentur a militia seculari, quo magis Deo & Pœnitentiæ vacarent; agere Susceptores in Baptismo & Confirmatione vetarentur &c.

Atque hæc omnia, quæ de solemnis hujus Pœnitentiæ Ritu dicta sunt, desumuntur ex sæpe laudatis Patribus, præsertim Cypriano, Gregorio, Basilio, Augustino, Innocentio I. Leone M. Gregorio Nysseno &c. item Conciliis Carthaginensi III. & IV. Arausicano I. Ancyrano, & aliis. Quorum ipsorum testimonia si attendantur, facile quisque conjiciet, non eandem fuisse semper & ubique (quod jam alias monui) Pœnitentiæ publicæ disciplinam: imo prorsus variam pro variis locis, circumstantiis, Ecclesiarum necessitate, & pro varia Episcoporum severitate aut indulgentia. Unde consequitur, de omni loco, & tempore non posse intelligi omnia, quæ antiqui Scriptores de solemni Pœnitentia commemorant.

§. III.

§. III.

Quo ritu sit impensa publice pœnitentibus solemnis reconciliatio?

POEnitentiam solemnem integre peractam sequebatur solemnis reconciliatio; cui ex veterum disciplina suus speciatim erat Minister, certumque præfinitum tempus, & peculiaris cæremonia: nec licebat eandem iterare. De his singulis nunc compendio dicendum habemus.

De Ministro Reconciliationis & tempore.

QUamvis urgente necessitate (hoc est, in articulo mortis) 144
Sacerdoti cuilibet fas fuerit publice pœnitentes reconciliare: regulariter attamen id a solo Episcopo præstabatur. Certe publica illa reconciliatio, quæ solemni ritu in Ecclesia fiebat, ita Episcopo fuit propria, ut a nemine alio, nisi forte ad id muneris peculiariter delegato unquam ministrari potuerit. 1. Cap. Sed nec tempus ejus erat arbitrarium. In Ecclesia Romana ad id designatam fuisse Maj. hebd. Feriam V. constat ex Innocentii I. Ep. ad Decent. C. 7. Sacramentario Gregorii, & Ordine Rom. Eundem diem observatum in Gallia juxta præscriptum Conc. Cabillonensis Can. 47. item in Anglia, Germania, plurimisque Provinciis aliis docent Ordines Missalium, ab erud. Martene relati de ant. Eccl. discipl. C. 22. & passim Ritualia ac Pontificalia. Unde peculiare id erat Ecclesiæ Mediolanensi & Hispanicæ, quod Reconciliationem hanc in Parasceve Sabbati Sancti peragerent, ut ex S. Ambrosii Epist. 33. & Conc. Toletani IV. Can. 70. colligitur; quamquam & in hoc subinde variaverint.

De Reconciliationis Cæremonia.

145 SOlemnis hujus Reconciliationis ritus copiose describitur in Not. & Observ. a Cl. Menardo factis ad Sacramentarium Gregorii Magni; item apud Cl. Martene L. 1. de ant. Eccl. Rit. C. 6. Art. 5. ac rursum apud eundem in Tract. de ant. Eccl. discipl. C. 22. §. 2. in compluribus Ordinibus de reconcil. Pœnit. Nos præcipua duntaxat ejus capita referemus ex Clementis VIII. Pontificali Romano, & quidem retentis, quoad licet ejusdem verbis. Juxta hoc igitur Tit. de Reconcil. Pœnit. in Feria V. Cænæ Domini.

I. Pontifice cum Clero coram altari Psalmos Pœnit. & Lytanias recitante, Pœnitentes ante fores Ecclesiæ nudis pedibus ad terram prostrati manent, tenentes in manibus cereos extinctos. Sub Litaniis ipsis ad verba, *Omnes SS. Patriarchæ, &c.* item *Omnes SS. Martyres &c.* duo Subdiaconi cereos accensos deferentes egrediuntur ad Pœnitentes, ac primum dicunt: *Vivo ego, dicit Dominus: nolo mortem &c.* vice altera autem: *Dicit Dominus: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum Cœlorum;* hisque dictis extinguunt cereos, & revertuntur. Rursum ante verba, *Agnus Dei &c.* egreditur Diaconus cum majore cereo accenso, & in ostio Templi ad Pœnitentes conversus canit antiphonam: *Levate capita vestra: ecce appropinquabit redemptio vestra.* Tum ex Diaconi cereo accenduntur pœnitentium candelæ, Diaconoque cum illuminato cereo revertente dicitur: *Agnus Dei &c.*

II. Litaniis terminatis, Episcopo in faldistorio considenti Archidiaconus ab ostio Templi præsentat & commendat Pœnitentes; quos subinde cum toto Clero accedens Episcopus primum exhortatur de divina clementia, de veniæ promissione &c. dein finito sermone canit antiphonam: *Ve-*

Venite, *venite filii &c.* Mox pœnitentes ostium Ecclesiæ ingressi prosternuntur ad pedes Episcopi, nec multo post ab eodem deducuntur in Ecclesiam, Archipresbytero interim nomine pœnitentium dicente: *iniquitates meas ego cognosco &c.* Episcopo autem concludente: *Dico vobis*, *gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.*

III. Ad medium Ecclesiæ deducti pœnitentes flectunt continuo genua, Episcopus vero ad illos conversus inchoat antiphonam: *Oportet te fili gaudere*, *quia frater tuus mortuus fuerat*, *& revixit*, *&c.* recitatisque dein Psalmis quibusdam & Orationibus compluribus, aspergit eos aqua lustrali, & incensat dicens: *exurgite qui dormitis*, *exurgite a mortuis*, *& illuminabit vos Christus.* Postremum, data singulis indulgentia, omnes simul solemni absolutione reconciliat, & elevatis manibus benedicit. In quibusdam præterea Missalium Ordinibus a Cl. Martene relatis legitur, Episcopum singulis reconciliatis manum imposuisse, ac etiam pacis osculum dedisse cum dicto: *Pax tecum.*

IV. Peracta solemni hac cæremonia crines, & barbam, quam durante Pœnitentia nutrire moris erat, deposuerunt reconciliati: sacco item & cilicio dimisso, cultioribus & mundioribus vestibus induti sunt; quin etiam in quibusdam Ecclesiis hoc die apud Episcopum lautiore cœna excipiebantur, ut notat Martene ex antiquo Pontificali Ecclesiæ Pictaviensis.

De non iterata Reconciliatione.

I. QUo Pœnitentiam publicam consecuta solemnis reconciliatio certius foret ad fideles in officio Christiano continendos remedium, semel duntaxat eidem in vita concedebatur. Inde Ambrosius L. 2. de Pœnit. C. 10. *sicut* 146

unum

unum Baptisma, inquit, *ita una Pœnitentia*, *quæ tamen publice agitur*; & Augustin. Ep. 153. alias 54. *caute*, *salubriterque provisum est*, *ut locus illius humillime semel in Ecclesia concedatur: ne medicina vilis minus utilis esset ægrotis*, *quæ tanto magis salubris est*, *quanto minus contemptibilis fuerit*. Idem colligitur ex Origenis Hom. 15. in Levit. Tertulliani L. de Pœn. C. 5. & Siricii Ep. mox laudanda.

147 II. Quid igitur (inquies) de illis factum, quos post solemnem Pœnitentiam, & reconciliationem in grave aliquod publicum & canonicum delictum prolabi contigit? nullumne illis amplius salutis supererat remedium? Absit, ut eorum assentiar opinioni, qui de relapsis ejusmodi conclamatum putabant. Sane Augustin. in paulo ante cit. Ep. privatam relapsorum pœnitentiam commemorans, *quis nostrum*, inquit, *ita desipit*, *ut huic homini dicat*, *nihil tibi ista proderunt in posterum?* Ac nos jam antea Dissert. III. §. II. comprobavimus, nullum unquam in Ecclesia peccatum esse visum ejusmodi, quod Pœnitentia elui non posset. Hoc igitur etiam relapsus peccatum secreta pœnitentia & absolutione sacramentali expiabatur; quin ejusdem reis permissum, ut communibus orationibus & sacrificio cum fidelibus reliquis interessent: solumque excludebantur a participatione Eucharistiæ, quæ illis non nisi in articulo mortis concedebatur. Præclarum in hanc rem est testimonium ex Siricii Papæ Epist. ad Himerium Taracon. Ep. cui, quid de hujusmodi relapsis agendum sit? quærenti ita respondet: *Quia jam suffragium non habent* (publice) *pœnitendi*, *id duximus decernendum*, *ut sola intra Ecclesiam fidelibus oratione jungantur*, *sacræ Mysteriorum celebritati (quamvis non mereantur) intersint*; *a Dominicæ autem mensæ convivio segregentur: ut*, *hac saltem districtione correpti*, *& ipsi in se sua*

sua errata castigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscœnis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen (quoniam carnali fragilitate ceciderunt) Viatici munere, cum ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus subveniri.

§. IV.

Quæ sit moderna Ecclesiæ disciplina in administrando Pœnitentiæ Sacramento?

PRæter ea, quæ ad Sacramenti hujus substantiam pertinere per decursum L. copiose indicavimus, notandi sunt accidentales Ritus, tam Latinis quam Græcis hodie etiam ex Ritualium præscripto usitati: communis item utrique Ecclesiæ disciplina circa Pœnitentiam publicam.

Ritus Pœnit. Sacramenti apud Latinos.

RItus hi non aliunde innotescunt certius, atque ex Rituali Romano jussu Pauli V. edito; in hoc autem Tit. de Ord. ministr. Sacram. Pœnit. alia ex parte Ministri, alia ex parte Pœnitentis præscribuntur, quæ ipsa totidem verbis referemus. Et quidem

I. Quod ad Ministrum attinet, laud. Rituale requi- 148
rit primum: *ut in Ecclesia, non autem in privatis ædibus Confessiones audiat, nisi ex causa rationabili; quæ cum inciderit, studeat tamen id decenti & patenti loco præstare.* Hoc ipsum jam antea constitutum legitur in pluribus Conciliis, Sec. XIII. celebratis, scilicet Biterensi Can. 46. Nemausensi Can. 51. & Coloniensi Can. 8. ubi simul excommunicationis pœnam intentat contrarium facienti.

Alterum est: *ut habeat in Ecclesia sedem Confessionalem, in qua sacras Confessiones excipiat; quæ sedes patenti, conspicuo, & apto Ecclesiæ loco posita, crate perforata inter pœnitentem & Sacerdotem sit instructa.* Concilium Aquense An. 1585. præterea voluit a parte Confessarii esse velum nigri coloris, ne a pœnitentibus videri posset: appensas item in sede confessionali tabellas casuum reservatorum, & Christi e cruce pendentis effigiem. Universim vero sedentis situm esse oportere Confessarii, tum requisita Confessionalis sedes satis indicat: tum etiam ipsum Judicis ministerium & auctoritas postulat.

Tertium: *ut superpelliceo, & Stola violacei coloris utatur, prout tempus, vel locorum feret consuetudo.* Idem præscribunt Concilia Mediolanensia S. Caroli Borromæi, Rituale Ecclesiæ Bononiensis, Mechliniensis &c. In quibusdam Ecclesiis Stola duntaxat utuntur Confessarii; ut nominatim Romæ Regulares, &c.

Postremo de Absolutionis forma hæc habet: *cum pœnitentem absolvere voluerit, - - primo dicit:* Misereatur tui &c. *deinde dextra versus pœnitentem elevata:* Indulgentiam &c. Dominus N. J. C. te absolvat &c. Passio Domini N. J. Christi, &c. *In Confessionibus autem frequentioribus & brevioribus omitti potest:* Misereatur &c. *satis erit dicere:* Dominus N. J. C. te &c. *usque ad illud* Passio Domini &c. *Urgente vero aliqua necessitate gravi in periculo mortis breviter dicere poterit:* Ego te absolvo ab omnibus censuris & peccatis, in nomine Patris, & Filii &c. In quibusdam ad hæc particularium Ecclesiarum Ritualibus post absolutionem dicendum præscribitur *Vade, & jam amplius noli peccare;* vel, *Ecce sanus factus es, jam noli peccare &c.* vel saltem, *Vade in pace.*

Atque his partem maximam consentit Ecclesiæ hujus Viennensis Rituale An. 1730. editum, in quo Tit. de Sacr. Pœ-

Pœnit. hæc legere eſt: *Sacerdos Confeſſiones auditurus, tanquam Judex ſedeat indutus ſuperpelliceo & ſtola, idque in aperto loco; unde ſi tenebræ ſint, etiam lumen habeat apud ſe ad tollendam omnem ſuſpicionem.* Ea deinde, quæ ad formam abſolutionis pertinent, plane conformiter ad Rituale Romanum præſcribit. Ac omnino Rituale hoc Rom. regulariter norma eſſe debet omnibus in adminiſtrando Pœnit. Sacramento. Regulariter inquam; ſicubi enim aliqua in deſuetudinem abierunt, aut forte nunquam in uſu fuerint, licebit ſe mori ibidem recepto accomodare: modo tamen ædificationis & decentiæ ratio ſemper habeatur.

II. De Pœnitente idem Rituale hæc ſolum notat: *ut, qua decet humilitate mentis & habitus, accedat; flexis genibus ſigno crucis ſe muniat; - - Confeſſionem generalem dicat, ſcilicet*, Confiteor &c. *vel ſaltem utatur his verbis:* Confiteor Deo Omnipotenti, & tibi Pater. 149

Ad hanc porro, quam in ſuo Rituali Paulus V. requirit, habitus humilitatem pertinet: ne pœnitens, cum ſe pro ſacro tribunali ſiſtit, arma aut baculum deferat, quod jam in Ordine Rom. vetitum, uſuque ipſo roboratum eſt. S. Carolus Borom. in Inſtruct. Confeſſ. C. 2. præterea monet: ne confitentes utantur laſcivo capillorum ornatu, aut palliis intextis auro; quin ibid. prohibet audire mulieres ceruſſatas & fucatas, quod ipſum ſtatuerunt plures Synodi a Franc. Genetto in Theol. Mor. Tract. 6. C. 9. collectæ. Id univerſim a ſeculis jam compluribus, contra veterum morem, apud Latinos receptum novimus: ut pœnitentes flexis genibus non modo abſolutionem excipiant, ſed ipſa etiam peccata Sacerdoti enuncient. Indicatur iſtud in laud. Rituali; expreſſius autem præſcribitur paſſim in Ritualibus particularium Eccleſiarum, ac nominatim in ſupra laud. Rituali Vienneſi, ubi hæc habentur: *Confeſſurus autem Sacerdotem accedens*

cedens utrumque genu coram eo, tanquam Christi Vicario, flectat, - - & primum benedictionem petat.

Ritus ejusdem Sacramenti apud Græcos.

150 Quamvis eodem cum Latinis quoad substantiam ritu Pœnit. Sacramentum ministrent Græci: ex veteri nihilominus disciplina hodie etiam retinent quædam peculiaria, ac a more Latinorum diversa.

Cumprimis certe pœnitentes totam sui accusationem pone Sacerdotem considendo perficiunt, ut testatur Leo Allatius L. 3. Consens. Eccl. Occid. & Orient. C. 9. & ex eo Auctor Perp. Fid. Tom. 5. L. 3. C. 9. ubi simul ex Abrahamo Echellensi addit, Maronitas, ac reliquos fere Orientales quoad situm variare: alios videlicet eorum confiteri sedentes, stantes ac erectos alios, quosdam etiam genibus nixos. In ipsa dein absolutione sacramentali illud peculiare habent, quod eam ut plurimum deprecatione permisceant, eidemque ad veterum morem complures alias adjiciant orationes; atque id partem maximam Orientali Ecclesiæ cum Græcis commune est, ut docent Euchologia & LL. Pœnitentiales. Sed cum primis in satisfactionis rigore Græci & plerique Orientales a nobis dissident: neque enim apud eos arbitrio Sacerdotis injungenda pœnitentia permittitur, verum ad veteres Pœnitentiales Canones illam exigere necesse habent. In eam rem Antoine in Theol. Mor. Tract. de Pœnit. in Append. de Orient. Eccl. discipl. §. 1. complura testimonia refert ex Leone Allatio, Simeone Thessalon. Germano Amathuntis Episcopo, Neophyto Rodino Cyprio &c. Singulare est, quod ibid. de Græcis recitat his Goarii verbis: *publica pœnitentia nulli licet amplius imponatur, aliquos tamen Confessione expiatos a sacra Communione per annum vel plures quandoque arcent.* Hi

non

non ita plene reconciliati privationem Eucharistiæ panis Eulogici sumptione solantur : & Sanguinis Dominici sumendi loco aquam in Theophaniis benedictam, Diacono eam porrigente, Communionis diebus - - summa cum religione hauriunt.

Communis utrique Ecclesiæ disciplina circa Pœnitentiam publicam.

POenitentiam publicam, prout illa olim solemnitatem stationum, hisque nominatim attributa satisfactionis opera complectebatur, in tota Ecclesia jam dudum abrogatam alias meminimus. Istud interim non prohibet, quo minus ex hodierna etiam utriusque Ecclesiæ disciplina publici peccatores publica pœnitentia (tametsi non perinde, ut vetus erat, quoad omnia solemni) castigari possint, imo etiam quandoque debeant. Et quidem

I. De Græcis ac Orientalibus reliquis istud vel inde certum est: quod hodie etiam in sacro Pœnitentiæ tribunali satisfactionem imponant secundum Canones Pœnitentiales; horum quippe complures pro peccatis quibusdam præscribunt publicæ pœnitentiæ opera, ut sunt: a sacra Communione in plures annos segregari, in pane & aqua diu ac continuo jejunare, Missarum solemniis stantem & sine pallio vel calceamentis interesse, funem sub divinis Officiis de collo suspensum gestare &c. Imo Auct. Perp. Fidei Tom. 5. L. 3. C. 7. contendit, apud Orientales nonnullos manifestiora etiam veteris pœnitentiæ publicæ remansisse vestigia. In hanc rem porro recitat quosdam Canones, quorum unus ex MSS. Collect. Can. Arab. Bibliothecæ Reg. Colb. sic habet: *qui occiderit Christianum, præter alias pœnitentias, primo anno non ingredietur Ecclesiam, sed prostratus in terram* (ante fores) *deflebit peccata;* alter vero de parricidis : *uno anno manebunt ad* 151

portam Ecclesiæ, nec deinceps nisi posticam portam ingredientur. Ex Barsalibii autem Collect. Canonum Syriac. de apostatis hunc Can. refert: *quadraginta diebus ad portam Ecclesiæ deplorabunt peccata, seque ingredientium & egredientium precibus commendabunt, & sub Officio divino gestabunt manu cereum accensum.*

152 II. Eadem apud Latinos quoad pœnitentiam publicam disciplina in dubium vocari non potest. Certe Trident. Sess. 24. de Reform. Cap. 8. commemorato Apostoli monito de publice peccantibus palam corrigendis, ita statuit: *quando igitur ab aliquo publice & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuisse, non sit dubitandum: huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet; - - Episcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire.* His consentit Rituale Rom. Tit. de Sacr. Pœnit. passim item Synodorum Provincialium statuta. Peculiari hic dignus est memoria S. Carolus Borom. ut qui in tribus Synodis, videlicet I. III. & V. repetito decreto sanxit, ut juxta Tridentini præscriptum publice peccantibus publica pœnitentia imponeretur. Id ipsum etiam in sua pro Confessar. Instruct. commendat, districtim Parocho præcipiens: *neminem peccatis publicis irretitum ad Communionem excipiet, nisi prius scandalo publico satisfecerit, etiamsi absolutionis a Pœnitentiariis, aut Confessoribus etiam Regularibus, acceptæ testimonium protulerit &c.* Quin in Synodo III. speciatim constituit: publicam correctionem promeritos Episcopo per Parochum deferri oportere ante Quadragesimæ initium, *ut primum ineunte Quadragesima illi pœnitentia affici, tum die Cœnæ Domini Ecclesiæ reconciliari possint solemni ritu.* Atque istud omnino in usum revocari posse ab Episcopis dubitari nequit vel ideo, quod in Pontificali Rom. Clementis VIII. & Urbani

bani VIII. nominatim præſcribatur Ritus tam imponendæ pœnitentiæ publicæ a Feria IV. Cinerum, quam etiam ſolemnis reconciliationis Feria V. Cænæ Domini. Ad hanc ipſam denique comprobandam diſciplinam pertinet nunc quoque uſitatus ſolemniter excommunicandi & abſolvendi Ritus, cujus Ordo deſcribitur in laud. Pontificali Romano.

LIBER VI.

De Extrema Unctione.

POenitentiam ſequitur Sacramentum Extremæ Unctionis, ceu illius conſummativum; quod explanaturi diſſeremus I. de ejus Exiſtentia, Inſtitutione & Natura. II. de Effectibus & Neceſſitate. III. de Miniſtro & Subjecto. IV. de Cæremoniis. Præcipua totius doctrinæ huc pertinentis capita continentur his, quæ jam ſubjicimus, Conciliorum Decretis.

CANONES CONCILII TRIDENTINI.

Ex Seſſ. XIV. de Sacramento Extremæ Unctionis.

I. SI quis dixerit, Extremam Unctionem non eſſe vere, & proprie Sacramentum a Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & a beato Jacobo Apoſtolo promulgatum; ſed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum; anathema ſit.

II.

II. Si quis dixerit Sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum; anathema sit.

III. Si quis dixerit, Extremæ Unctionis ritum & usum, quem observat sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiæ beati Jacobi Apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni; anathema sit.

IV. Si quis dixerit Presbyteros Ecclesiæ, quos beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate Seniores in quavis communitate; ob idque proprium extremæ Unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem; anathema sit.

DECRETA ALIORUM CONCILIORUM.

Concil. Constantiense Sess. 15. *approbavit Decretum Martini V. constituentis*: ab eo, qui de hæresi suspectus fuerit, præter cætera quærendum: an credat, quod Christianus contemnens susceptionem Sacramentorum Confirmationis, vel Extremæ Unctionis, peccet mortaliter?

Florentinum in Decr. Eugenii IV. pro Instruct. Armen. §. *de Extr. Unct.* Quartum Sacramentum est Extrema Unctio, cujus materia est oleum olivæ per Episcopum benedictum. Hoc Sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet; qui in his locis ungendus est: in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem.

Idem

Idem in eodem Decr. Forma hujus Sacramenti est hæc : Per istam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum &c. & similiter in aliis membris.

Idem ibidem Minister hujus Sacramenti est Sacerdos: effectus vero est mentis sanatio, &, in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis. *Demum concludit his verbis:* De hoc Sacramento inquit B. Jacobus Apostolus: Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros.

Propositiones, quæ in hac materia a summis Pontificibus damnatæ forent, occurrunt nullæ.

DISSERTATIO I.

DE EXISTENTIA, INSTITUTIONE, ET NATURA SACRAM. EXTREMÆ UNCTIONIS.

§. I.

Quid Extremæ Unctionis nomine veniat? & an ea sit verum Legis novæ Sacramentum ab ipso Christo institutum?

Extrema Unctio sic dicta, quod in extremo vitæ periculo conferatur, sitque etiam inter sacras unctiones in Ecclesia usitatas ordine postrema, teste Tridentino Sess. 14. in Doctr. de Sacr. Extr. Unct. est Sacramentum ejusmodi, *quod non modo Pœnitentiæ, sed & totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consumativum* Patres existimarunt. At diversum ab his Sectarii nonnulli (quos principio statim no-

minabimus) ſentiunt, cum Extremam Unctionem e Sacramentorum numero expungendam contendunt; qui quidem error nobis ante omnia convellendus erit, quæ deinde ad explananda reliqua præſentis doctrinæ capita expeditior ſit via. Ac ne putent variantes DD. orthodoxorum de inſtitutione hujus Sacramenti opiniones ſibi patrocinari, eas quoque fide integra referemus, adjecto hos inter & illos diſcrimine.

Sectariorum error de Sacramenti Extr. Unct. exiſtentia.

1 I. Qui e Sectariis primi Extremæ Unct. Sacramentum negaverint, non eſt pronum ſtatuere. Bellarminus L. un. de Extr. Unct. C. 1. putat agmen hoc infauſtum duxiſſe Waldenſes Sec. XII. ſecutos dein Albigenſes Sec. XIII. tum Wicleffum Sec. XIV. nonnulli Huſſitas pro Sec. XV. addunt. Verum inficiatur iſtud erud. Boſſuet Ep. Melden. in Hiſtor. Variat. quem e RR. plurimi ſequuntur. Nimirum (ut iſti arguunt) Waldenſes in Profeſſ. Fid. Uladislao Hung. & Bohem. Regi oblata ſeptem Sacramenta confeſſi ſunt; Albigenſium errores damnavit Conc. Lateranenſe IV. nec tamen hujus nominatim meminit; Wicleffi & Joannis Huſs errores pariter damnantur & recenſentur in Conc. Conſtantienſi, quin tamen fiat mentio erroris, de quo agimus. Inde haud abs re exiſtimari poteſt, errorem horum ad ritum duntaxat hujus Sacramenti, ejusque contemptum pertinuiſſe. Certe Innocentius III. L. 1. Ep. 78. a Waldenſibus ad gremium Eccleſiæ redeuntibus hanc ſolum fidei profeſſionem requiſivit: *Unctionem infirmorum cum oleo conſecrato veneramur.* Et Concil. Conſtantienſe Seſſ. ult. Wicleffitas & Huſſitas ad Eccleſiam revertentes interrogari voluit: an credant, *quod Chriſtianus contemnens ſuſceptionem Sacramentorum Confirmationis vel Extremæ Unctio-*

Unctionis - - peccet mortaliter ? Quæ quidem non leve argumentum præbent id, quod asserimus, opinandi: præsertim cum constet quosdam Seculi XIII. Presbyteros abusibus suis occasionem dedisse hujus contemptus; cum videlicet divites tantum sacro oleo ungerent, nec nisi pretio, & luminaribus decem elucentibus, ut legere est in Statutis Synodalibus An. 1294. Guilielmi Ep. Andegav. ubi morem hunc insectatur. Quia interim gravis quoque est auctoritas eorum, quibus nititur Bellarminus, forte non incongrue dixerim; memoratos Sectarios doctrinam suam subinde variasse, aut quandoque dolo vel metu texisse, ac etiam ad speciem negasse. Utut attamen istud se habeat;

II. Lutherum & Calvinum, quibus vel umbras errorum veterum captare libuit, apertis verbis negasse Extr. Unctionis Sacramentum, dubitari nequit. Lutherus certe L. de Capt. Babil. C. de Extr. Unct. docet, unctionem a Marco & Jacobo memoratam corporis duntaxat salutem contulisse, eamdemque, cessante in Ecclesia miraculorum dono, exolevisse; quin nec unquam nisi latiore sensu Sacramenti nomine compellandam, ad eum videlicet fere modum, *ut sunt salis & aquæ consecratio & aspersio.* Audacior Calvinus L. 4. Inst. C. 19. *fictitium*, inquit, *Sacramentum est Extrema unctio, histrionica hypocrisis, quam citra rationem & sine fructu ad Apostolos referre volunt.* Hos secuti sunt Kemnitius, Melanchton, Brentius a Bellarmino citati: hodieque sequuntur universim Lutherani & Calviniani. Opinione videlicet eorum non alia fuit in Apostolis potestas, quam *ordinaria*, seu *potestas verbi* in annuntiando Evangelio sita: *extraordinaria* item, seu *virtus miraculorum,* ad quam referunt Unctionem; hanc jam vero penitus in Ecclesia desiisse ajunt, sola potestate priore remanente. Atque hi sunt errores illi, quos compendio describit Trident. Sess. 14. de Extr. Unct. Cap. 3.

Variantes Orthodoxorum de Extr. Unctionis institutione opiniones.

3 I. COmmunis DD. orthodoxorum est sententia, Extremam Unctionem ab ipso immediate Christo fuisse institutam: & quidem nominatim (ut plures volunt) post Resurrectionem, tum videlicet, cum Joan. 20. peccata remittendi & retinendi potestatem Apostolis contulit. Diversum interim, fateor, ab his veteres quidam opinati sunt. Magister sent. L. 4. dist. 23. institutionem hujus Sacramenti ad Apostolos refert: quod ipsum facit S. Bonaventura in eamd. dist. ac jam ante illos docuit Hugo a S. Victore. Ex iis etiam, qui Sacramenti hujus auctorem solum Christum dicunt, nonnulli existimant, institutum illud fuisse Marci 6. cum videlicet Christus ante mortem suam Apostolis potestatem daret ungendi & sanandi infirmos; pro qua sententia laudantur Victor Antioch. Beda, Theophylactus, & Oecumenius in Cap. 6. Marci commentantes: quibus ætate etiam nostra aliqui e Theologis accedunt cum Maldonato.

4 II. Atque hæ sunt illæ DD. orthodoxorum opiniones, quas in causæ suæ patrocinium apellant Novatores. At quo suo commodo? nullo sane, quod vel ipsos fateri oporteat, si laud. Auctorum Commentarios inspiciant, eorumque doctrinam attendant. Ac eos quidem, qui in soló institutionis tempore variant, nihil omnino cum Novatoribus commune habere certum est; cum aperte fateantur Sacramentum hoc dari, ejusque auctorem esse ipsum Christum: de institutionis autem tempore nihildum sit ab Ecclesia pronunciatum. Sed nec opinione priorum se tueri possunt: dum enim hi asserunt Extremam Unctionem, non a Christo, sed ab Apostolis institutam, intelligunt solum institutionem immediatam, non autem mediatam; agnoscunt quippe Apostolos istud egisse ex instin-

inſtinctu Spiritus ſancti, & poteſtate a Chriſto accepta: fatentur proinde Sacramentum hoc a Chriſto ſaltem mediate inſtitutum, contra quam opinionem pariter Eccleſia nondum decretorio ſuo judicio quidquam conſtituit. Quid jam vero in his omnibus, quod partium ſuarum eſſe velint, aut dicere poſſint Novatores? quando ipſi ex adverſo, non inſtitutionis tempus aut modum, ſed inſtitutionem ipſam, quæ ad Sacramenti rationem ſufficiat, in controverſiam vocant: imo aperte inficiantur Extr. Unctionem eſſe Sacramentum; id quod erroneum eſſe, nec minus S. Literis ac orthodoxæ doctrinæ adverſari mox comprobabimus, præmiſſa prius ex ſenſu Eccleſiæ Extremæ Unctionis definitione.

Definitio Extremæ Unctionis.

Extrema Unctio eſt Sacramentum a Chriſto inſtitutum, quo Sacerdotis miniſterio per unctionem olei & orationem baptizatis ægrotantibus confertur gratia ſanctificans cum auxiliis peccati reliquias abſtergentibus, confortantibusque animam adverſus morbi moleſtias: quandoque etiam peccatorum remiſſio: imo & a corporis infirmitate liberatio, ſi id animæ expediat.

Definitione hac, aut verius deſcriptione conformiter ad 5
mentem Concilii Trident. exponuntur omnia, quæ Extr. Unctionis Sacramento ſunt propria: ejus videlicet inſtitutio, materia, forma, Miniſter, ſubjectum, & effectuum varietas; de quibus deinceps ſpeciatim diſſerendum erit. Atque ad hæc indubie reſpexerunt veteres tam Latini quam Græci, cum Sacramentum hoc variis deſignarent nominibus, nunc videlicet ab ejusdem materia vel forma, ab utraque nonnunquam, vel etiam effectu, aut ſubjecto petitis. Ita apud Latinos ſæpe dicitur: *Unctio ſacrati olei*, *ſacra unctio*, *extrema unctio*, *Sacramentum exeuntium*, ut legere eſt in L. Pœnitentiali Theodori

dori Archiep. Cantuar. Decreto Ivonis, & alibi; apud Græcos autem, præsertim in eorum Euchologiis, Arcudium, Allatium, Protosyncellum, & alios: ἅγιον ἔλαιον *sanctum oleum*, εὐχέλαιον *oratio cum oleo*, ὑστέρα χρίσις *postrema unctio*. Sed jam de ipsa Sacramenti nunc definiti veritate & institutione pronuntiandum est. Sit itaque

ASSERTIO I.

Extrema Unctio est verum & proprie dictum novæ Legis Sacramentum.

6 ARgumentum I. petitur ex Scriptura, illis videlicet Jacobi verbis in ejusd. Ep. C. 5. *infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, &, si in peccatis sit, remittentur ei.*

Ex his jam quid ni ita invicte arguam? Vel per ipsos Novatores omne id est verum Legis novæ Sacramentum, quod constat ritu aliquo sensibili, institutione Christi, promissione gratiæ, mandato demum de hoc ritu observando; quid vero horum, attentis Jacobi verbis, desideres in Extrema Unctione a nobis definita? Certe unctio olei & oratio sunt ritus sensibilis, isque a Christo institutus, ut Assert. II. probabitur. Porro gratiæ promissio primum indicatur illo, *alleviabit eum Dominus*, scilicet per gratiam, qua æger adjutus contra timorem mortis & conscientiæ stimulos in Deo fiduciam collocet, & morbi incommoda levius ferat; item apertissime his verbis, *si in peccatis fuerit, remittentur ei:* neque enim peccati remissio fit sine gratia. Denique mandatum divinum satis prodit laud. Capitis ex Ep. Jacobi contextus: totus quippe hic loci in eo est Apostolus, ut doceat fide-

fideles, quid eos in variis eventis agere oporteat. *Tristatur*, inquit, *aliquis vestrum? oret; - - infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros &c. confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini.* Quibus quidem verbis id saltem innuit, Unctionem hanc in remedium fidelium constanter esse in Ecclesia retinendam, uti re ipsa usque huc retenta est. Quid quod Unctionis hujus adeo utilis, imo non raro necessariæ, potestatem in Presbyteris otiosam esse utique Christus non voluerit? quidquid de eo sit, an mandato hoc fideles ipsi ad percipiendum Extremæ Unct. Sacramentum stringantur, de quo speciatim statuemus Differt. II. §. II.

Argumentum II. est ex Traditione, pro qua ex Patribus primum nominandi sunt Origenes & Chrysostomus. Hic 7
nimirum L. 3. de Sacerdotio, ille vero Hom. 2. in Levitic. post Sacram. Pœnitentiæ continuo commemorant Ritum unctionis, eique pro effectu remissionem peccatorum attribuunt, recitatis in eam rem Jacobi verbis, *infirmatur quis &c.* Conjungitur autem ab utroque Pœnitentia cum Unctione infirmorum, non quod unum idemque putaverint esse Sacramentum: verum quia hæc illius consumativa est, ac propterea a Græcis duo hæc Sacramenta simul conferri solent.

Sed enim ex his Patribus citata loca minus convincentia 8
videri possunt; audiatur itaque Innocentius I. prorsus aperte in rem nostram loquens in Epist. ad Decentium Ep. Eugubin. cui post relata Jacobi verba, *infirmatur quis &c.* ita ad propositas quæstiones respondet. *Quod non est dubium, de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi* (verba scilicet illa Jacobi) *debere, qui sacro oleo chrysmatis perungi possunt; quo, ab Episcopo confecto, non solum Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sua aut suorum necessitate inungendo. Cæterum illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod*

quod Presbyteris licere non dubium est; nam idcirco de Presbyteris dictum est, quia Episcopi aliis occupationibus impediti ad omnes languidos ire non possunt. Cæterum si Episcopus aut potest, aut dignum ducit aliquem a se visitandum & benedicere, & tangere chrismate, sine cunctatione potest, cujus est ipsum chrisma conficere. Nam pœnitentibus (publicis) *istud infundi non potest, quia genus est Sacramenti; nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?*

Ex hoc sane Responso clare elucet: ætate Innocentii I. & Decentii, qui sub finem Seculi IV. & initium Sec. V. floruerunt, pro certo habitum, Extremam Unct. esse verum Sacramentum; jam tum quippe controversiæ quædam enatæ sunt ad usum ejus, Ministrum, & Subjectum pertinentes, quas Decentius ad sedem Apostolicam detulit. Ad has vero Innocentius singillatim respondens, ita demum (quod ad rem præsentem cumprimis facit) concludit: sacram Unctionem non esse adhibendam pœnitentibus publicis nondum reconciliatis, quia est species eorum Sacramentorum, quæ non conferuntur id genus pœnitentibus. Ubi nomine Sacramenti verum & proprie tale intelligit: non autem late duntaxat sumptum, uti sunt sacramentalia, seu sacræ quædam cæremoniæ ab Ecclesia institutæ & usurpatæ; nam Sacramenta hujusmodi late sumpta nunquam negabantur his pœnitentibus, cum constet fuisse consperfos cinere benedicto, manuum impositioni subjectos &c. solis autem Sacramentis proprie dictis privabantur. Quod Innocentii testimonium eo est firmius, quod Epistola hæc sit certa, nec ullus unquam veterum doctrinam in ea contentam reprehenderit; imo universim auctor hic inter sanctos & doctos Pontifices numeretur, ab ipsis etiam Augustino, Hieronymo, & Chrysostomo multum commendatus.

At

At inquies: in hac Ep. Pontifex agit de *oleo chrismatis*, cum tamen infirmorum oleum sit simplex, non chrisma; hoc item oleo ait ipsos fideles uti posse in sua aut suorum necessitate, cum interim Unctio, de qua est sermo, a Presbyteris ministrari debeat; hoc igitur loco non agitur de Extremæ Unctionis Sacramento. Ita equidem argutantur Novatores, at frustra. Etenim in veterum Scriptis non raro legere est, chrisma generatim sumi pro oleo quolibet sacro, ut patet vel ex Cypriani Ep. 70. ad Januar. & ex Augustini Tract. 33. in Joan. ubi generatim oleum olivarum vocat *unguentum* & *chrisma*. Licitum deinde fuit fidelibus etiam laicis ad curandos morbos oleo per Episcopum benedicto se ipsos inungere, ad eum videlicet modum, quo iidem aqua baptismali in eumdem finem utebantur; at utrumque istud fuit sacramentale duntaxat, non vero Sacramentum.

Quod jam vero ad testimonia reliqua Traditionem hanc 9
confirmantia attinet: hanc ipsam, quam tuemur, doctrinam legere est apud Augustinum in *Speculo*, uti & ejusdem (vel ut alii volunt S. Cæsarii, qui sub finem Sec. V. floruit) Serm. 215. de Tempore; item apud Gregorium M. in Sacramentario, ubi simul describit Ritum Extremæ Unctionis; demum apud jam supra cit. Bedam, Innocentium III. Bonaventuram, & alios. Huc faciunt etiam tria Concilia Sec. IX. celebrata, nempe Cabilonense II. Can 48. Aquisgranense Can. 5. Regiaticinum Can. 8. quibus addenda tria œcumenica pro fronte L. hujus cit. Constantiense, Florentinum, & Tridentinum. Demum hanc ipsam Traditionem confirmat Græcorum cum Latinis in eandem de Sacramento Extr. Unctionis doctrinam consensio, pro qua copiosis testimoniis pugnat Auct. Perp. Fid. Tom. 5. L. 5. C. 1. Ac si reliqua desint, vel illud eam evincit: quod, cum in Concilio Lugdunensi II. & Florentino ageretur de unione Græcorum, nulla unquam sit facta quæ-

ctio de hujus Sacramenti veritate; quodque Confessionem Augustanam, in qua Extr. Unctio e numero Sacramentorum expungitur, Jeremias Patriar. Constantinop. acri censura perstrinxerit, quam ipsam confirmavit Concil. Constantinopolitanum, Jassense, & Hierosolymitanum, de quibus jam alias dictum.

ASSERTIO II.

Sacramentum Extr. Unctionis est ab ipso Christo institutum, apud Marcum quidem C. 6. insinuatum, a Jacobo autem promulgatum.

10 Assertio hæc apprime cohæret cum doctrina Tridentini, quod Seff. 14. de Extr. Unct. Cap. 1. declarat: *Instituta est autem sacra hæc Unctio infirmorum - - a Christo D. N. apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum; infirmatur, inquit, quis in vobis &c.* In eamdem deinde sententiam loquitur ibid. Can. 1. Ac omnino de institutione divina dubitari nequit vel ideo, quod Apostolus tam fidenter promittat sacra hac Unctione alleviandum infirmum, eidemque peccata dimittenda; certum quippe est, virtute humana efficaciam tantam signo externo tribui non posse. Eamdem porro institutionem ad ipsum immediate Christum referendam, præter Tridentini nunc laud. verba, satis evincunt ea, quæ generatim de Institutione Sacramentorum dicta sunt L. I. Diss. II. §. III. a N. 57.

11 Consulto autem cum Tridentino addimus, *apud Marcum insinuatum;* cum enim Marc. 6. Apostoli ad prædicandum a Christo missi *ungebant oleo multos ægros & sanabant*, unctione hac, ceu signo & symbolo, adumbrabatur saltem Extr. Unctio-

ctionis Sacramentum a Christo instituendum. Instituendum inquam; communior enim & verisimilior est contra Maldonatum sententia, hoc loco non fuisse institutum: tum quia Apostoli nondum erant Sacerdotes, quibus competit Sacramenti hujus ministerium: tum quia ungebant universim ægros etiam nondum baptizatos, imo necdum credentes, quo videlicet sanitatis restitutio illis esset credibilitatis motivum ad credendum in Christum, quod & in aliis curationibus id genus prodigiosis factum legimus Joan. 9. Act. 3. & alibi: tum denique, quia Unctio, cujus meminit Marcus, ad solam curationem morborum corporis pertinebat. Unde, si quid de institutionis hujus tempore pronuntiandum foret, mallem opinioni (nam certi nihil statui potest) eorum accedere, qui dicunt, Extr. Unctionem a Christo institutam primum post Resurrectionem, & quidem Joan. 20. cum Pœnitentiæ Sacramento, cujus consummativam Patres existimarunt, ut notat Trident. Quocumque interim tempore istud a Christo est præstitum, Jacobo promulgationem hujus Sacramenti esse attribuendam ipsa ejus verba in Ep. C. 5. evincunt; aperte enim illis docet usum Extremæ Unctionis, ejusdemque simul materiam, formam, Ministrum, subjectum, & effectus designat: id quod a nemine alio factum novimus.

Respondetur Novatoribus.

Quæ contra Assertionem II. ex quorumdam DD. opinationibus opponi possunt, peculiari animadversione opus non habent; ad dissolvenda certe illa suffecerit notasse vel momenta, quibus eamdem Assert. affirmare connisi sumus. Respondendum igitur superest Novatoribus, qui ad impugnandam Assertionis I. veritatem

12 Opponunt I. Verum Legis novæ Sacramentum non est, quod Christum auctorem non habet; quo jure autem Extr. Unctionis auctor dicatur Christus, qui nuspiam in S. Literis legitur eam instituisse?

II. Veritas hujus Sacramenti potissimum fundatur in verbis Jacobi ex Epistola ejusdem desumptis; at Epistola hæc non est canonica, cum de auctoritate illius primis Seculis sit dubitatum: ductum igitur ex illa argumentum non est certum. Quid quod

III. Tametsi hæc Ep. foret canonica, nondum tamen res confecta est; etenim unctio, cujus meminit Jacobus, ex fine præcipuo ordinatur ad sanitatem corporis: cum interim Sacramenta *magis ad spem futurorum bonorum* (hoc est animæ salutem) *quam ad retentionem vel adoptionem præsentium pertineant*, ut ait Augustin. Enchir. C. 66. Quin

IV. Ipse hic sanitatis effectus non semper consequitur Extremam Unctionem, quod experientia docemur: cum tamen Sacramenta effectus suos infallibiliter operentur.

Resp. ad I. Extremæ Unctionis auctorem esse Christum satis probant rationes pro Assertione II. allatæ, præsertim eæ, ad quas ex L. I. Differt. II. provocamus. Nec obest Scripturæ silentium: teste enim Joanne Evang. omnia Christi dicta & facta non sunt in sacras tabulas relata, ut adeo complura ex Traditione repetenda sint, quod vel ipsi Novatores faciunt.

Resp. ad II. Epistolæ Jacobi auctoritatem elidere nequit quorumdam veterum dubitatio: quando constat eam ab utraque Ecclesia pro sacra ac divina etiam primis Seculis agnitam. Quam in rem certum est testimonium ex Conc. Carthaginensi III. Sec. III. & Laodiceno Sec. IV. item ex Origene Hom. 7. in Josue, Athanasio in Synopsi, Epiphanio Hær. 76. Hiero-

Hieronymo Ep. ad Paulin. qui omnes una cum Augustino L. 2. de doctr. Christ. & Innocentio I. Ep. ad Decent. hanc Jacobi Epistolam laudant. Demum Gelasius I. eamdem in Concilio Romano Sec. V. consentientibus Patrum suffragiis in Librorum sacrorum Canonem retulit; nihil ut dicamus de Florent. & Trident. Conciliis. An jam vero tot Conciliorum & Patrum, etiam veterum, auctoritati paucorum quorumdam dubitatio, aut Sectariorum protervia prævalebit?

Resp. ad III. falso afferi Unctionem hanc primario ordinari ad sanitatem corporis: hic quippe effectus est duntaxat secundarius, ut Differt. II. §. I. probabimus.

Resp. ad IV. Extremam Unctionem effectum suum primarium, qui juxta dicenda paulo ante cit. §. est gratia sanctificans, in subjecto rite disposito semper ac infallibiliter operari. Quod autem corporis sanitatem non perinde semper operetur, mirum non est: cum effectus hic sit tantum secundarius, idemque simul conditionatus, si videlicet animæ expediat, ut notat Trident. & res ipsa docet.

Verum urgent adhuc Novatores a veterum silentio. Nimirum (quod ajunt 1*mo*) Extremæ Unctionis nulla fit mentio apud primorum Seculorum Patres; tametsi eorum aliqui Religionis Mysteria accurate exposuerint, ut Dionysius Areop. L. de Eccl. Hier. Clemens L. Constit. Justinus in Apolog. Cyrillus Hierosf. in Catechesibus &c. Dein 2*do*, nullus e sex prioribus Seculis proferri potest Scriptor, qui commemoret aliquem ante obitum sacro oleo fuisse unctum; tametsi rursum complures in referenda sanctorum morte occupentur, ut Gregorius Naz. in Orat. de sorore Gorgonia & Basilio, Augustinus L. 9. Confess. de matre Monica &c. An vero hæc pertinaci adeo silentio involvi poterant, si jam primis Ecclesiæ temporibus creditum fuisset Extr. Unctionis Sacramentum? 13

Resp. I. Silentium, quod obtrudunt Novatores, est argumentum duntaxat negativum: hoc autem positivo, quali nos utimur, prævalere non potest juxta sanioris Criticæ regulas; hinc etiam apud *JCtos* duo testes affirmantes prævalent centum negativis. Silentii præterea hujus congrua potest reddi ratio; hinc

Resp. II. Quod ad 1*mum* attinet: Patribus illis non fuit propositum de omnibus Sacramentis agendi; verum de illis solum, quæ aut communiter omnibus & magis erant necessaria: aut a Sectariis impugnata sunt: vel circa quæ dubitationes exortæ, inducti abusus &c. certe Dionysius Areop. in cit. L. ne Pœnitentiæ quidem meminit. Quid quod multa veterum monumenta ad nos usque non pervenerint? Cæterum de priorum Seculorum doctrina satis constat ex Origene, Chrysostomo, Innocentio I. aliisque jam supra laudatis. Sed nec urget, quod 2*do* loco adfertur: cum enim Gregorius Naz. & Augustinus non commemorent sacrum Eucharistiæ viaticum SS. Gorgoniæ & Monicæ datum, quid mirum si de Extr. Unctione pariter sileant? Nimirum res notissimæ & communiter usitatæ in Vitis Sanctorum referri non solent, nisi peculiaris circumstantia id suadeat; inde complures posterioris etiam ætatis Sanctorum vitas est legere, in quibus perinde de sacra hac Unctione ab iis suscepta altum siletur.

§. II.

Quæ sit Sacramenti Extr. Unctionis materia?

AD explicandam Extremæ Unctionis naturam necesse est statuere de ejus materia & forma. Non desunt autem de utraque complures Scholasticorum controversiæ; at nos (ne

(ne longius in differendo excurramus) ſatis habebimus pronuntiare de iis, quibus Sacramentum hoc quoad ſubſtantiam certo, aut ex communiore ſaltem Doctorum ſententia perficitur: de magis controverſis vero opinionibus quaſi per occaſionem tantum, paucisque duntaxat ſenſum noſtrum inſinuabimus. Ac hoc quidem §. de ſola materia, eaque tam remota quam proxima: altero dein de forma ſpeciatim agendum erit.

ASSERTIO I.

Materia remota Extr. Unctionis eſt oleum olivarum: idque, ſaltem ex præcepto Eccleſiæ, benedictum ab Epiſcopo, vel ex delegatione per Presbyterum.

PArs I. certa eſt ex ipſis Jacobi verbis, *ungentes eum oleo*, 14
quo nomine venit proprie ſolum oleum ex olivis expreſſum; ſicut igitur aqua ex floribus aut herbis educta non eſt idonea Baptiſmi materia, nec alius panis quam triticeus Euchariſtiæ: ita nec Extr. Unctionis materia eſſe poteſt alia quam oleum olivarum. Quod ipſum confirmat conſtans praxis Eccleſiæ utriusque, nunquam niſi hoc oleo Extr. Unctionem miniſtrantis. Inde Florent. in Decr. pro Arm. pro materia expreſſis verbis *oleum olivæ* aſſignat. Et Catech. Rom. Par. 2. de Extrema Unct. poſtquam ex Tridentino refert hujus Sacramenti materiam, eſſe oleum continuo ſubjicit: *liquor ſcilicet, non ex quavis pingui & craſſa natura, ſed ex olearum baccis tantummodo expreſſus.* Cujus rationem ſi petas, non alia eſt utique, quam inſtitutio Chriſti, hac nominatim materia, & non alia Sacramentum hoc miniſtrari volentis. Cæterum & aliam a congruo rationem adfert laud. Catechiſmus: quia nimirum *aptiſſime hæc materia illud ſignificat, quod vi Sacramenti interius in anima efficitur;* nam ut oleum ſanat, dolorem lenit, robur

robur addit &c. ſic & Extrema Unctio eosdem effectus in anima, quin ſæpe in corpore etiam operatur, ut ibidem explicat Catechiſmus.

15 Pars II. pariter in dubium vocari non poteſt. Etenim veteres fere omnes, qui materiæ hujus Sacramenti meminerunt, eam eſſe docent oleum ab Epiſcopo conſecratum; id quod legere eſt apud Innocentium I. in Ep. ad Decent. apud Gregorium M. in Sacramentario, ubi ritum hujus conſecrationis deſcribit, apud Bedam in Ep. Jacobi, item in Conc. Cabillonenſi II. quod Can. 48. ait: infirmos *oleo, quod ab Epiſcopis benedicitur, ungi* debere. Idem expreſſis verbis traditur in Conc. Florentini Decr. pro Arm. & Trident. Seſſ. 14. de Extr. Unct. Cap. 1. ubi declarat hujus Sacramenti *materiam eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum.*

Additur: *vel ex delegatione per Presbyterum;* nam certum eſt, apud Græcos oleum infirmorum per ſimplices etiam Sacerdotes benedici, ex tacita nimirum Epiſcoporum & Eccleſiæ conceſſione, ut videre eſt in Græcorum Euchologiis, & apud Goarium in Not. ad Euchólog. quod ipſum hodierna Græcorum praxis docet. Neque ritus hic eorum ab Eccleſia Latina unquam reprobatus legitur; quin approbatum etiam Goarius contendit ex Clementis VIII. Inſtr. ſuper Rit. Græc. An. 1595. data, & auctoritate S. Congr. de prop. Fide. Clemens nimirum in cit. Inſtr. Tit. de oleo infirm. ſtatuens, *non eſſe cogendos Presbyteros Græcos olea ſancta, præter chriſma, ab Epiſcopis Latinis Diœceſanis accipere,* pro cauſa reddit: *cum ejusmodi olea ab eis* (Presbyteris) - - *ex veteri ritu conficiantur & benedicantur.* Congr. autem de prop. Fide approbavit, quin & ſuis impenſis Romæ edidit Neophyti Rhodini *Synopſim vernaculam,* in qua hæc leguntur: *materia Sacramenti Extr. Unctionis eſt oleum oliva expreſſum, a Pontifice, vel a Sacerdotibus, qui præſentes fuerint, juxta Eccleſiæ morem benedictum.*

Ex

Ex his autem ultro deducitur, pro Extr. Unctionis materia, saltem ex præcepto Ecclesiæ, oleum benedictum esse adhibendum; præsertim cum vel communiter recepta Ecclesiæ disciplina, & constans usus vim præcepti obtineant. Num idem autem ad valorem etiam requiratur? controvertitur; de quo nos in Corollario N. 18.

ASSERTIO II.

Materia proxima est unctio; vel unica autem ad valorem Sacramenti sufficit, tametsi ex præcepto Ecclesiæ multiplex adhibenda sit regulariter.

PRimum deducitur tam ex communi principio: universim 16 quippe Sacramentorum, quæ in usu consistunt, materia proxima est remotæ applicatio, qualis in præsenti est unctio oleo facta; quam ex Jacobi verbis, *ungentes eum oleo &c.* quin ex ipsa forma, *per istam sanctam unctionem &c.* Alterum (tametsi controvertant aliqui pro se citantes D. Thomam in 4. dist. 23. qu. 2. Ar. 3.) videtur magis conforme sensui & praxi Ecclesiæ: ut quæ in casu necessitatis, si e. g. mors instet, vel morbus contagiosus Ministrum exponat evidenti periculo, permittit fieri unam duntaxat unctionem, ut Differt. IV. §. II. ex LL. Ritualibus comprobabitur; censet igitur Ecclesia ratum esse Sacramentum, quamvis una tantum unctione ministretur. Quam in rem jure etiam arguitur ex ipsius Jacobi verbis, *orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini:* quæ prorsus similia sunt illis de Baptismo Matth. 20. *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine &c.* sicut igitur vel una ablutio ad Baptismum, sic & unica unctio ad hoc infirmorum Sacramentum sufficit. Regulariter interim (quod tertium Assertionis membrum est) plures unctiones apud Lati-

Latinos perinde ac Græcos adhibendas esse ex præscripto Ecclesiæ infra, paulo ante cit. Differt. & §. docebimus.

Corollarium

de opinionibus circa Extr. Unctionis, per chrisma vel oleum non benedictum collatæ, valorem variantibus.

17 I. CErta est DD. omnium sententia, Sacramentum Extr. Unctionis ex præcepto Ecclesiæ ministrandum esse oleo simplici, non vero composito, seu chrismate; idque omnino evincit vel praxis Ecclesiæ: cum oleum, quod Feria V. Maj. hebd. pro infirmis benedicitur, sit simplex: hocque ipso ungendos infirmos præscribat Rituale Rom. Pauli V. ac etiam alia. At num perinde ratum foret hoc Sacramentum, si chrismate fieret unctio? controversum est: negantibus plurimis, quibusdam tamen cum Tournelyo affirmantibus.

Ego de controversia hac cum distinctione statuendum existimo. Vel enim in chrismate tantum balsami aut extraneæ alterius materiæ oleo admiscetur, ut natura olei mutetur; ac tum ajo chrismate id genus non perficiendum Extr. Unctionis Sacramentum: cum istud sine olivarum oleo proprie tali constare non possit. Inde, num Græcorum chrisma sufficiens sit Extr. Unctionis materia? jure dubitatur; in conficiendo enim illo, præter balsamum, triginta quinque fragrantium aromatum species vino incoctas oleo admiscent: hac vero mixtione vix fieri potest, ut oleum suam naturam integre retineat. Quod si contra mixtio hæc sit adeo modica, ut oleum usuale & proprie tale in æstimatione prudentum remaneat, uti remanet in Latinorum chrismate: probabile videtur, chrisma ejusmodi validam esse hujus Sacramenti materiam. Quid enim

enim illi ad valorem desit? quando aliorum quoque Sacramentorum materiæ non officit modica mixtio, ut alibi dictum est. Atque hæc potiori jure intelligenda sunt de oleo Catechumenorum. Recole in simili dicta L. III. de Confirm. Dissert. IV. N. 87. Quia interim opposita sententia non caret probabilitate, eademque simul est tutior, curandum omnino in praxi: ut, si per errorem chrismate aut catechumenorum oleo unctus sit æger, rursum fiat unctio simplici infirmorum oleo, ac etiam forma conditionate repetatur, id quod nominatim monet S. Carolus Borom. in Instr. de Extr. Unct.

II. Certum est rursus omnibus, oleum pro ungendis in- 18
firmis saltem ex præcepto Ecclesiæ benedictum esse oportere, quod ipsum jam supra Assert. I. ex proposito tuiti sumus; verum, num benedictio hæc sit de necessitate Sacramenti? variant Doctorum opiniones. Necessarium cum Bellarmino contendunt Estius, Suarez, Sylvius, Gotti &c. negant ex adverso Victoria, Cajetanus, Maldonatus, Sanbovius, Natalis Alex. & ex RR. plures cum Auct. de Re Sacram.

Meam si requiras sententiam: vel ipsam hanc gravissimorum Virorum dissensionem satis indicare ajo, nihildum certi de hac controversia statui posse. Quod igitur ad summum dici potest: non est certum ad valorem Extr. Unctionis pertinere olei benedictionem; ut adeo probabilis sit opinio eorum, qui ratum existimant hoc Sacramentum cum oleo non benedicto collatum. Nimirum (ut illi arguunt) tanta hujus benedictionis necessitas nullo certo Scripturæ aut Traditionis testimonio evincitur. Non Scripturæ: nam Jac. 5. dicitur æger ungendus oleo, quin benedictionis fiat mentio; verba quippe ibid. addita, *in nomine Domini*, non ad oleum, sed ad ungendi actum congrue referuntur, ita ut sensus sit: unctionem fieri debere Dei nomine & auctoritate, quæ ipsa est Ven. Bedæ in hunc locum interpretatio. Non etiam Traditionis: tametsi

 enim

enim ex ea constet oleum benedictum adhiberi oportere, non est tamen certum, qua nominatim necessitate; quod ipsum de Conciliis Florentino & Tridentino intelligendum est. Perinde certe in Calice Eucharistico aquam vino miscendam Traditione & Conciliis docemur: quin tamen hinc inferre liceat, mixtionem hanc ad substantiam pertinere. Confer hæc cum iis, quæ L. III. de Confirm. Dissert. IV. N. 90. V. *2do pariter &c.* de Chrismatis benedictione attulimus. At hic rursum notari velim id, quod super. N. de iteratione Extremæ Unctionis monui.

§. III.

Quæ sit Extremæ Unctionis forma?

UT certa ab incertis rursum discernamus, de celebri, quæ hic occurrit, controversia in Corollario statuemus: nunc eam satis fuerit definire formam, quæ certo sufficiat ad valide ministrandum Extr. Unctionis Sacramentum. Et quia, ut fere in aliis, ita in præsenti quoque Græcos inter & Latinos discriminis aliquid intercedit, eorum cumprimis formæ conciliandæ sunt; ac vel ideo utramque prius referemus, adnotata simul præcipua inter eas differentia.

Latinorum & Græcorum formæ, earumque differentia.

19 RE cepta apud Latinos Extremæ Unctionis forma in Rituali Rom. his verbis describitur: *Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum deliquisti, Amen.* Idem est in aliis sensibus mutando duntaxat, *per auditum*, *per odoratum &c.* Græcis vero

vero usitata forma est: Πάτερ ἅγιε, ἰατρὲ τῶν ψυχῶν, καὶ τῶν σωμάτων, ἴασαι τὸν δοῦλόν σου τόνδε ἐκ τῆς περιεχούσης αὐτὸν καὶ ψυχικῆς ἀσθενείας. *Pater sancte, medice animarum & corporum, sana servum tuum hunc ab illa, quæ ipsum detinet, corporis & animi infirmitate.* Ita Arcudius L. 5. Concord. ex Græcorum Eucholog. Huic formæ quidam inserunt & alia verba, nempe: *Pater sancte - - qui misisti filium tuum &c.* ac etiam adjiciunt sequentia: *sana servum tuum - - & vivifica eum per gratiam Christi &c.* tum Deiparæ, Apostolorum, ac aliorum sanctorum invocatione concludunt.

Quæ jam has inter formas sit differentia, facile cuique eas invicem conferenti occurrit. Præcipua autem, & quæ nonnullis visa est substantialis eo continetur: quod Latini actum ministerialem, seu unctionem exprimant, solumque præterea designent spiritualem effectum remissionis peccati; cum ex adverso Græci unctionis penitus non meminerint, meminerint vero spiritualis simul & corporalis effectus, tam corporis quam animi sanitatem deprecantes. Hæc interim differentia neutram formarum reddit irritam, ut patebit partim ex Assert. partim ex Resp. ad Dubit. III. N. 22.

ASSERTIO.

Sacramentum Extr. Unctionis valide ministratur forma mere deprecativa: eaque Græcorum non minus, quam Latinorum.

PArs I. in dubium vocari nequit, cum pro Extr. Unctionis forma Latini perinde ac Græci utantur verbis mere deprecativis: ut adeo eorum usus Ecclesiæ totius, quæ in re tanti momenti errare non potest, judicio approbetur. Judicium porro hoc, imo & præceptum Ecclesiæ docemur ex 20

 LL.

LL. Ritualibus, ipso Concil. Florentino in Decr. pro Arm. quin Tridentino etiam Sess. 14. de Extr. Unct. Cap. 1. ubi hujus Sacramenti declarat esse illa verba: *Per istam unctionem &c.* Ac omnino forma hujusmodi plane conformis est verbis Jacobi, *orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum &c.* Inde Trident. laud. Sess. Can. 3. non dubitavit anathemate ferire eum, *qui dixerit Extr. Unctionis ritum & usum, quem observat S. Rom. Ecclesia, repugnare sententiæ B. Jacobi Apostoli, ideoque eum mutandum;* certe autem hic ritus formam deprecativam complectitur.

21 Pars II. quæ Græcorum concernit formam, perinde indubitata est universæ Ecclesiæ suffragio. Quamvis enim hæc a forma Latinorum diversi quidpiam habeat, eam nihilominus sedes Apostolica nunquam existimavit irritam, imo nec dubiam; id quod satis indicatur ejusdem silentio, cum de Extr. Unctionis forma non legatur unquam Græcis litem movisse, seu dum cum illis de unione ineunda tractaret, seu cum initam conservaret. Quod silentium eo magis ad rem præsentem facit, quod Græcorum in Sacramentis ministrandis ritus tam in Conc. Florentino, quam etiam sub Leone X. Clemente VII. Gregorio XIII. & Clemente VIII. ex proposito in examen sit vocatus, ac de eo aliqua fuerint constituta: quin tamen de Extr. Unctionis materia aut forma quidpiam apud eos mutandum decerneretur. Ipse certe hodie feliciter regnans S. P. BENEDICTUS XIV. in Constit. *Etsi Pastoralis*, An. 1742. edita §. 5. id unum de Extr. Unctione Græco-Italis præcipit, *ut Sacerdos idem, qui ungit, formam respondentem pronuntiet*, in nullo penitus correcta forma iis usitata.

Expe-

Expediuntur Dubitationes.

Dubitari poteſt I. generatim de forma deprecativa: quia Oratio in effectum ſibi reſpondentem influit ſolum ex opere operantis; cum interim Sacramenti cujuslibet forma effectum ſacramentalem ex opere operato efficiat. 22

II. Speciatim de forma Latinorum: nam Extrema Unctio miniſtranda eſt cum Oratione fidei, juxta illud Jac. 5. *orent ſuper eum - - & oratio fidei ſalvabit infirmum;* Oratio autem apud Latinos recepta non eſt ejusmodi, cum nihil myſteriorum fidei exprimat. Atque hæc videtur cauſa, cur plures Græci ſuæ formæ hæc quoque inferant: Pater ſancte - - *qui miſiſti Filium &c.* item: *vivifica eum per gratiam Chriſti &c.*

III. De forma Græcorum: hæc quippe a Latinorum multum diverſa eſt; ſi igitur hæc valeat, alteram oportet eſſe irritam. Diverſitas porro hæc ex collatis invicem formis patet, eamque jam ſupra notavimus.

Reſp. ad I. Quamvis orationi extra Sacramentum ex opere duntaxat operantis effectus reſpondeant: ſecus tamen eſt de Oratione, quæ formæ ſacramentalis rationem habet; cum enim toti Sacramento efficacia ex opere operato agendi a Chriſto ſit indita, eamdem materiæ pariter & formæ convenire oportet.

Reſp. ad II. formam Latinorum vero ſenſu dici *Orationem fidei:* nam & a fide profecta eſt, & fidei innititur Eccleſiæ, cujus Miniſter perſonam gerit; hac certe ſola cauſa Auguſtin. Tract. 80. in Joan. formam quoque Baptiſmi vocat *verbum fidei.* Quid quod oratio quævis ad Deum fuſa ſit teſtimonii inſtar *oratio fidei;* nemo enim invocat Deum, quem non credit

credit juxta illud Apost. ad Rom. 10. *quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt?*

Resp. ad III. Cum totus sacramentalis formæ valor habeatur a Christi institutione, quæ, dum in S. Literis clare non exprimitur, ex sensu Ecclesiæ nobis innotescit: eo ipso, quod certum sit Græcorum perinde ac Latinorum Extr. Unctionis formam ab Ecclesia approbari; certum pariter est utramque perinde ex institutione Christi ratam ac validam esse, nihilque valori huic officere memoratam diversitatem. Ex quo ipso recte deduxeris: differentiam, quæ inter has duas formas intercedit, non esse theologice substantialem; atque adeo ad substantiam formæ Extr. Unctionis ex institutione Christi non requiri, ut in ea nominatim exprimatur actus ungendi ac etiam effectus uterque, nempe tam spiritualis quam corporalis sanitas. Ac revera communior est Doctorum sententia: in Latinorum forma de necessitate Sacramenti hæc sola esse verba, *indulgeat tibi Deus*; in Græcorum autem, *Pater sancte sana hunc servum tuum a spirituali infirmitate*; quæ quoad sensum idem sunt. Interim recitanda sunt ex præscripto Ritualium verba omnia: tam ut tutius ministretur Sacramentum; quam ne a recepto in Ecclesia ritu recedatur.

Corollarium
de controversia ad formæ indicativæ valorem pertinente.

Omnium facile princeps hujus loci controversia est: num forma deprecativa ad necessitatem & substantiam Extr. Unctionis Sacramenti ita pertineat, ut ratum ac validum esse non possit, si verbis mere indicativis ministretur? atque in hoc

hoc definiendo graviſſimi DD. in duas ſcinduntur claſſes. Utriusque Patronos & momenta referam; tum, quam in partem conferendum ſit ſuffragium, paucis inſinuabo. Jam vero

I. Pro ſola deprecativa forma pugnat communior opinio; eamque omnino, poſt D. Thomam in 4. diſt. 23. qu. 1. Ar. 4. & S. Bonaventuram ead. diſt. Ar. 1. qu. 4. amplectuntur paſſim Thomiſtæ, Scotiſtæ, plurimique alii Theologi cum Platellio, Simonetto, Ludov. Habert &c. 23

Eſt vero his momentum duplex. Primum repetunt ex Jacobi verbis, *orent ſuper eum ungentes - - oratio fidei ſalvabit &c.* quibus docet hujus Sacramenti materiam & formam, ut declarat Trident. Seſſ. 14. de Extr. Unct. Cap. 1. hæc autem verba ſolam deprecationem indicant. Alterum ducunt ex ſenſu & praxi Eccleſiæ: ſola quippe deprecativa forma a Conciliis Florent. & Trident. approbata legitur; ſola hæc in uſu eſt, ac ſemper fuit apud Latinos perinde ac Græcos, ut colligimus ex antiquis & modernis LL. Ritualibus; nec proferri poteſt ullum teſtimonium de uſu formæ mere indicativis verbis expreſſæ. Quæ omnia (ut iſti arguunt) certo ſunt argumento: ita Chriſtum inſtituiſſe Extr. Unctionis Sacramentum, ut illud ratum eſſe noluerit, niſi deprecativis verbis miniſtretur.

II. Ex adverſo etiam ſolam mere indicativam formam valere, aut olim ſaltem valuiſſe, contendunt alii; ex antiquioribus quidem ante Concil. Tridentinum Albertus Magnus, Paludanus, Richardus: poſt Concilium vero Navarrus in ſumma C. 22. Becanus de Sacram. C. 27. ac dein poſt Morinum L. 8. de Pœnit. C. 16. Tournely, Auctor Rei Sacram. Berti &c. 24

Quo jam ſe tuentur iſti, id unum eſt: quod olim etiam ſola indicativa forma miniſtratum fuerit Extr. Unctionis Sacra-

mentum. Hujus porro formæ complura referunt exempla. Ita in Sacramentario S. Gregorii hæc legitur: *Inungo te de oleo sancto in nomine Patris &c. ut non lateat in te Spiritus immundus, - - sed in te habitet virtus Christi - - quatenus - - per hanc sacrati olei unctionem, atque nostram deprecationem - - recipere merearis sanitatem, per eundem &c.* Ecclesiæ Mediolanensis Sec. XIII. XIV. & XV. forma, quæ & Ambrosiana est dicta, his verbis describitur: *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris &c. ut more militis uncti præparatus ad certamen, aereas possis superare potestates.* His prorsus similes sunt reliquæ, quæ recitantur ex Codice Tiliano, Remigio-Rhemensi, Ratoldiano; item Rituali Suessionensi, Catalaunensi, Ambianensi, Turonensi, Veneto, & antiquis Germaniæ LL. Ritualibus, quos Albertus Mag. commemorat. Vide Martene L. 1. de ant. Eccl. rit. Menardum in Not. ad Gregorii Sacrament. & Morinum supra cit. Cap. a N. 13.

Ex his jam Patroni hujus sententiæ ita cum Cl. Tournelyo de Extr. Unct. Quæst. 2. Ar. 2. ratiocinantur. Verisimile non videtur, eam in usu & praxi toleratam fuisse Sacramenti formam, quæ nulla foret, invalida, & illegitima; at patet ex cit. testimoniis, in pluribus Ecclesiis formam absolutam & indicativam obtinuisse; ergo (ut laud. Tournelyus concludit) consequens est, ut dicamus validam olim fuisse formam Unctionis extremæ modo absoluto & indicativo expressam: adeoque Christum institutione sua hoc unum voluisse, ut forma hujus Sacramenti idonea foret ad exprimendum ejus effectum, Ecclesiæ vero libertati permisisse determinare modum, sive indicativum, sive deprecatorium.

25 III. Collatis invicem opinionum harum momentis tota, ut nemo non videt, lis eo recidit: num aliquando in Ecclesia formæ mere indicativæ usus in conferendo Extr. Unctionis Sacramento receptus fuerit? aut verius: an formæ super. N. memo-

memoratæ ſint tantum indicativæ, nihilque penitus deprecationis contineant?

Ac iſtud quidem cum ex ipſis formarum verbis definiri debeat, attentis illis, prorſus veriſimile mihi videtur: laud. formas eſſe indicativo - deprecativas. Etenim 1*mo*, in omnibus his formis poſt indicativa verba, *ungo te &c.* ſubjicitur, *ut non lateat in te &c.* vel, *ut poſſis ſuperare &c.* quæ cum optativo modo efferantur, deprecationem ſignificant: unde & plurimæ orationum more terminantur, *per Chriſtum Dominum &c.* Deinde 2*do*, quæcumque ex laud. Ritualibus recitantur formæ plane ſimiles ſunt Gregorianæ, ex Gregorii videlicet Sacrament. depromptæ; at in hac expreſſis verbis dicitur, *per hanc unctionem - - atque noſtram deprecationem - - recipere merearis &c.* ergo tam hæc quam reliquæ, præter verba indicativa, etiam deprecationem continent ſpectato verborum ſenſu & Miniſtri intentione. Demum 3*tio*, ipſe Cl. Tournelyus ſupra cit. Ar. ubi, memoratarum formarum auctoritate inductus, formæ etiam mere indicativæ valorem propugnat, ſpeciatim Concl. 2. aſſerit: formam Gregorianam non eſſe mere indicativam, verum mixtam ex indicativa & deprecatoria; at profecto omnes reliquæ, quas ſeu Tournelyus, ſeu alii usque huc produxerunt, cum hac Gregoriana quoad ſubſtantialem verborum contextum & ſenſum conveniunt; de reliquis igitur etiam idem ſentiendum eſt.

Atque hinc ultro patet: nihildum contra communiorem in præſenti ſententiam prolatum eſſe ejusmodi, quod ab ea recedendum ſuadeat. Quod ſi vero aliquis ſubinde certiora proferat, ac nominatim edoceat: aliquando ſola indicativa forma miniſtratam fuiſſe Extr. Unctionem, ritumque hunc Eccleſiæ judicio probatum; nihil dubitabo mutare opinionem, ac conformiter ad ea, quæ de materia & forma Confirmationis L. III. Diſſert. I. §. III. & IV. tuitus ſum, hic quoque aſſe-

rere: Extr. Unctionis formam a Chriſto disjunctive eſſe inſtitutam, atque adeo ſubſtantiam & valorem illius perinde haberi, ſeu deprecatoria ſit, ſeu mere indicativis verbis concipiatur.

DISSERTATIO II.

DE EFFECTIBUS ET PROPRIETATIBUS EXTREMÆ UNCTIONIS.

§. I.

Quos effectus Sacramentum Extremæ Unctionis operetur?

CUm Sacramentis omnibus commune ſit operari gratiam ſanctificantem cum jure ad peculiaria auxilia, quæ juvent ad finem cuilibet Sacramento proprium: effectum hunc etiam Extr. Unctioni reſpondere, indubitatum eſt. Quod igitur iſthic in quæſtionem vocari poteſt, eo ſolum ſpectat: ut deſignentur nominatim effectus, ad quos auxilia virtute hujus Sacramenti collata ordinantur; hos inter præterea ſtatuatur diſcrimen: qui videlicet eorum ſint primarii, qui ſecundarii tantum?

ASSERTIO I.

Effectus Extr. Unctionis ſunt: infirmi quoad animam alleviatio; peccatorum, ſi quæ ſuperſint, remiſſio; corporis ſanitas, ſi animæ expediat.

26 DEducuntur hæc omnia ex Jacobi Ap. verbis, accedente Tridentini declaratione Seſſ. 14. de Extr. Unct. Cap. 2. Res

Res porro (ait Concil.) *& effectus hujus Sacramenti illis verbis* (Apostoli) *explicatur: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei. Res etenim hæc gratia est Spiritus sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat & confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando: qua infirmus sublevatus, & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit; & sanitatem corporis interdum, ubi animæ saluti expedierit, consequitur.* Cui tam apertæ declarationi id solum videtur addendum: per *reliquias peccati*, quas Trident. ait abstergi, intelligendos cumprimis esse defectus ex peccatis contractos, ut sunt: propensio ad malum, torpor ad bonum, gravedo animam deprimens & a cælestibus abstrahens, mœror & anxietas, ex quibus facile oritur diffidentia &c. hæc igitur Extr. Unctionis virtute in ægro absterguntur secundum illud Jacobi, *alleviabit eum Dominus.*

ASSERTIO II.

Primarius Extr. Unctionis effectus est, animæ alleviatio, seu reliquiarum peccati abstersio; reliqui sunt secundarii.

EX institutione nimirum Christi (ut PP. existimarunt teste Tri- 27
dentino) Sacramentum hoc est Pœnitentiæ *perfectivum & consummativum;* in quo autem illam præcipue perficit ac consummat? non quoad peccati remissionem: hanc enim jam ipsa præcedens Pœnitentia, si obex non adsit, primo & per se operatur; igitur quoad alleviationem memoratam, seu reliquiarum peccati in sensu supra exposito abstersionem. Quid quod effectus reliqui sint tantum conditionati: remissio videlicet

licet peccati, si quod supersit; corporis item sanitas, si animæ expediat: hos igitur Extrema Unctio non semper operatur; cum ex adverso animi alleviatio effectus sit absolutus, idemque ægroto semper necessarius, qui proinde in illo rite disposito semper efficitur. Quæ omnia, opinor, satis indicant: Sacramentum hoc primo ac præcipue ordinari ad alleviandum ægrum per abstersas peccati reliquias; hic ipse nihilominus effectus non semper est æqualis, verum major aut minor pro recipientis dispositione. Momentum denique addat sensus S. Caroli Borrom. qui in Instruct. de Extr. Unct. ait: *prima utilitas & effectus hujus Sacramenti est, quod peccati reliquias tollit, tanquam complementum Sacramenti Pœnitentiæ.*

Occurritur Objectionibus.

28 Contra Assert. I. opponitur I. Post susceptam Extrem. Unctionem in ægris, ac etiam cum convaluerunt, sæpe perseverat ad malum propensio, torpor in bene operando, pusillanimitas &c. igitur per Sacramentum hoc non absterguntur peccati reliquiæ.

II. Sanitas corporis nunquam, aut raro saltem, confertur, per hoc Sacramentum; ergo non est illi adnexa sanitatis corporalis divina promissio: proinde nec dici potest ejus esse effectus ex opere operato.

Resp. ad I. alleviationis gratiam, qua peccati reliquiæ abstergantur, ægrotum rite dispositum semper obtinere; inde, si secus fiat, refundendum est in dispositionis defectum, ut jam alias universim de Sacramentorum effectibus dictum est. Quod autem torpor animi, mæror, aliæque peccati reliquiæ post superatam ægritudinem sæpe redeant, mirum videri non debet: pronum enim est, ut æger recuperata valetudine gratiis non respondeat, aut iis plane indignum se reddat. Sunt imo,

imo, qui existiment, auxilia hæc animam allevìantia virtute Extr. Unctionis solum pro ægritudinis statu concedi.

Resp. ad II. sanitatem corporis non conferri semper propterea, quia effectus hic sub conditione duntaxat est promissus, si animæ videlicet expediat. Inde Doct. Ang. in 4. dist. 23. qu. 1. Ar. 2. recte notat: *quia operans nunquam inducit secundarium effectum, nisi secundum quod expedit ad principalem, ideo ex hoc Sacramento non sequitur corporalis sanatio semper; sed quando expedit ad spiritualem sanationem, tunc semper eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis.* Atque ad hæc conformiter omnino falsum est, quod Lutherus L. de Capt. Babil. asserit: in nullo videlicet hanc sanitatis promissionem impleri virtute Unctionis. Certe primis Ecclesiæ seculis id genus curationes evenisse certum est; nunc etiam non raro experimur extreme unctos melius habere, imo & restitui integre: unde autem Luthero certum, id soli medicinæ, aut aliis naturæ viribus, nunquam autem sacræ huic Unctioni esse attribuendum? Neque tamen restitutio hujusmodi miraculis proprie talibus continuo accensenda est; quamvis enim fiat virtute Sacramenti, atque adeo vires naturæ excedat, non tamen est præter ordinem a Deo constitutum: id quod tamen utrumque D. Thom. requirit ad veri miraculi rationem.

Contra Assert. II. opponitur I. Per ipsum Pœnitentiæ Sacramentum absterguntur peccati reliquiæ, & alleviatur anima: in eo quippe pœnitens aquirit jus ad auxilia, quibus possit tentationi obsistere, concupiscentiam frangere, in bono proficere &c. ergo hæc animæ alleviatio non est Extr. Unctionis ita peculiaris effectus, ut Primarius dici debeat. Quin 29

II. Cum Jacobus, *salvabit infirmum*, inquiens, primo loco & quidem absolute nominet sanitatem corporis, huic potiori jure

jure videtur attribuenda primarii effectus prærogativa. Aut verius

III. Prærogativa hæc tribuenda est soli peccatorum remissioni; solus enim hic effectus commemoratur in Latinorum forma, cum dicitur: *per istam S. Unctionem - - indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti &c.*

Resp. ad I. auxilia, ad quæ in Extr. Unctione jus aquiritur, in eo diversa sunt ab auxiliis virtute Sacramenti Pœnitentiæ collatis, quod ordinentur peculiariter ad statum extremæ ægritudinis, ac vel ideo sint multo copiosiora & validiora: cum status hic omnium sit periculosissimus ob instantem mortem, impendens judicium, acriores conscientiæ stimulos, periculum desperationis, vehementiores dæmonis impulsus &c. Id quod pluribus declarans Trident. Seff. 14. in Prœm. de Extr. Unct. docet, *quod clementissimus Redemptor noster, - - quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis præparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint; ita Extr. Unctionis Sacramento finem vitæ, tanquam firmissimo quodam præsidio, munivit: nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam captet, - - nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suæ versutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitus, & a fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ perspicit.*

Resp. ad II. Quod sanitatem corporis primo loco recenseat Apostolus, id ea duntaxat factum causa, ut magis congruum oratio haberet contextum; cum enim præmiserit, *infirmatur quis in vobis?* consequens erat, ut continuo subjiceret sanitatis recuperandæ effectum. Ita ipse Christus Matth. 19. interroganti Petro, quid sperandum sit omnia relinquentibus? respondit: *omnis, qui reliquerit domum &c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Quod ipsum responsum legitur Lucæ

Lucæ 18. dicente Domino, neminem eorum futurum, qui *non recipiat multo plura in hoc tempore, & in Seculo venturo vitam æternam.* Quis vero hinc inferre audeat? mundi hujus bona propter Chriſtum relinquentibus præmium temporale primario promitti; Ducta igitur ex verbis Jacobi illatio perinde non eſt legitima. Sed nec officit, abſolutis verbis Apoſtolum ſanitatem promittere: ex genere enim ſuo effectus hujus promiſſio conditionem involvit, ſi nempe animæ ſaluti expediat.

Reſp. ad III. per verba, *indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti &c.* deprecationem fieri univerſim pro indulgentia reatus tam culpæ quam pœnæ, ac aliarum etiam peccati reliquiarum. Neque dixeris, expoſitione hac vim inferri verbis: ex recepta enim Eccleſiæ phraſi conſtat, per *indulgentiam* aut *remiſſionem peccati* non raro ſolam pœnæ peccato debitæ condonationem deſignari, ut e. g. cum conceditur *Indulgentia* pro *remiſſione tertiæ partis peccatorum.* At, inquies, obſcure admodum hic alleviationis & abſterſionis effectus ſignificatur per laudatam formam. Sit ita; nec tamen paulo obſcurior hæc ſignificatio quidquam officit, quando eadem in aliorum etiam Sacramentorum formis reperitur. Ita certe in forma Baptiſmi non exprimuntur clare ejusdem Sacramenti effectus; idem eſt de forma, qua Græci communiter utuntur in miniſtrando Confirmationis Sacramento. Cæterum Extr. Unctionis forma apud Latinos recepta, etiam quoad primarium alleviationis effectum, ſat clara eſt, ſi nimirum non nuda duntaxat ejus verba, ſed & uſitata Eccleſiæ phraſis, ac ipſius Sacramenti inſtitutio attendantur.

§. II.

§. II.

Quæ sint Extremæ Unctionis proprietates? quidque de illis sentiendum?

Effectus Sacramenti indicant ejusdem proprietates. Ac spectatis quidem paulo ante recensitis Extr. Unctionis effectibus ultro videtur consequi, Sacramento huic id esse proprium: quod extremum decumbentibus sit necessarium, quodque in iisdem iterari non possit. Sed nempe utrumque istud controversiæ est obnoxium; nos certa discernemus ab incertis, ac de his quoque, quod verisimilius est, statuemus.

De necessitate Extr. Unctionis.

30 I. Omnium sententia certum est, Extr. Unctionis Sacramentum non esse necessarium absolute, hoc est, necessitate medii: cum enim sit vivorum Sacramentum, & quidem Pœnitentiæ consummativum, utique ordinaria lege jam in infirmo supponit justitiæ gratiam, quæ ad salutem consequendam sufficit. Nec tamen propterea sine gravi scelere contemni potest, ut Trident. Sess. 14. de Extr. Unct. declarat Cap. 3. anathemate etiam in oppositum sentientes lato Can. 3. Inde jam antea in Concil. Constantiensi decretum est, ut de hæresi suspectus interrogetur: *num credat, quod Christianus contemnens susceptionem - - Extremæ Unctionis - - peccet mortaliter?* ac dein Concil. Coloniense II. An. 1549. celebratum statuit: *ut si quis Sacramentum illud nobis ab Apost. Jacobo tantopere commendatum contempserit, Ecclesiastica careat sepultura.*

31 II. Quod igitur DD. controvertunt, ad præcepti Divini & Ecclesiastici necessitatem pertinet. Ac hujusmodi quidem de

de suscipienda Extr. Unctione præceptum dari contendunt Lud. Habert, le Droint, Tournely, Auctor Rei Sacram. & quidam e R?. alii pro se laudantes Magistrum sent. L. 4. dist. 23. item S. Bonavent. in eamd. dist. Contra præceptum hoc extare negant Suarez hic Disput. 44. Sect. 1. Estius, Sylvius, Sanbovius, Laymon, Coninck, imo (ut Suarez ait) Doctorum communior cum D. Thoma in 4. dist. 23. qu. 1.

Mihi in controversa hac quæstione sentiendum videtur cum postremis, conformiter ad ea videlicet, quæ L. III. Dissert. II. §. II. de Confirm. necessit. disceptata sunt. Etenim Extremæ Unctionis necessitas & gravis obligatio ex præcepto seu Divino seu Ecclesiastico repeti non potest, nisi constet id genus præceptum extare; quod vero illud? a quo & quando latum? Certe quidquid ab adversæ sententiæ Patronis in hanc rem profertur, prorsus congrue exponitur de consilio & convenientia; aut obligatione levi, ne nimirum per negligentiam omittatur: vel demum de obligatione ea, qua obstringuntur Ecclesiæ Ministri. Si quid enim omnium cumprimis favere videtur Adversariis, est illud Concil. Coloniensis I. An. 1536. habiti statutum: *sacra Unctio impendatur cum expositione mandati Apostolici;* at enim hoc utique mandatum non aliud est, quam, *Infirmatur quis in vobis? inducat &c.* verum cum hæc verba prorsus similiter efferantur, ac illa ibid. præmissa, *tristatur aliquis vestrum? oret; æquo animo est? psallat:* sicut ex his non recte infertur *mandatum Apostolicum* graviter obligans, sic nec ex prioribus. Non nego interim 1*mo*, negligentiam, qua Sacramenti hujus susceptio omittitur, esse peccatum veniale: cum sit quædam salutis incuria, & boni spiritualis prodigalitas eo præsertim tempore, quod periculi est plenum; 2*do*, aliquando infirmum *per accidens* graviter etiam obligari, e. g. si aliud Sacramentum suscipere nequeat, & de sua dispositione ac salute sit dubius: vel etiam

 ratio-

ratione secuturi gravis scandali &c. At in hanc rem plura desumi possunt ex supra laud. §. II. de Confirmat. necessitate.

De iteratione Extremæ Unctionis.

32 I. Veterum quidam circa Extr. Unctionis iterationem variarunt tam in opinione, quam in ritu. Quamvis enim communis semper esset sententia, iterari posse hoc Sacramentum: negarunt id nihilominus aliqui Sec. XII. cum Goffrido Vindocin. L. 2. Ep. 19. ad Ivonem Carnot. ac hic ipse Ivo Ep. 20. ad eund. Goffridum, argumento a pœnitentia publica & Confirmatione ducto. Quod vero ad iterationis ritum attinet: olim in aliquibus Ecclesiis præscriptum fuisse, ut eadem infirmitate æger per septem dies oleo infirmorum ungeretur, constat ex Sacramentario Gregorii apud Menard. & pluribus LL. Ritualibus antiquis, ut observat Cl. Martene L. 1. de antiq. Eccl. Rit. C. 7. Contra apud alios mos invaluerat, nemini intra ejusdem anni spatium sacrum hoc Unctionis remedium bis applicandi; id quod nominatim de Clarevallensium Ordine refert Petrus Cantor in Summa C. 132. & de Turonensi Ecclesia laud. Martene, ex ejusdem antiquissimo MSS. hoc carmen recitans:

Non nisi mense semel tantum communicet æger;
Hic idem solo non bis ungatur in anno.

33 II. Nunc jam a pluribus Seculis de iteratione hac nullus est controversiæ locus, communi videlicet Ecclesiarum omnium sensu & praxi docente: perinde ac Sacramenta alia, quæ characterem non imprimunt, hoc quoque iterationis esse capax; nec tamen nisi semel conferendum infirmo, in eadem ægritudine ac eodem statu constituto; unde si idem ab hac recreatus in aliam aut similem postea incidat, rursum ungi potest.

potest. Ita Trident. Sess. 14. de Extr. Unct. Cap. 3. *quod si, inquit, infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum Sacramenti hujus subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint.* Idem legitur in Catech. Pii V. & Rituali Rom. Pauli V. ac plane consonat verbis Jacobi indefinite dicentis, *infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros &c.*

Nec oppositum argui potest a Pœnitentia publica; neque enim hæc erat Sacramentum: quodque non iteraretur, id solius erat Ecclesiasticæ disciplinæ. Non etiam a Baptismo, Confirmatione, & Ordine; hæc quippe Sacramenta, utpote ad consecrandum destinata, imprimunt characterem: non est igitur cur in eodem subjecto repetantur, imo nec repeti possunt, cum consecratio tamdiu perseverat, quamdiu extant res vel personæ consecratæ. At vero Extr. Unctionis alia est conditio: nam, ut S. Thom. L. 4. contra Gent. C. 73. notat, *hujus Sacramenti inunctio ordinatur ad sanandum; medicina autem sanativa toties iterari debet, quoties infirmitas iteratur.*

DISSERTATIO III.

DE MINISTRO ET SUBJECTO EXTR. UNCTIONIS.

§. I.

Quis Extr. Unctionis sit Minister?

Duplex de Ministro Extr. Unctionis controversia resolvenda est; quarum cum altera ex Novatorum errore, altera simul ex varia Ecclesiæ disciplina originem ducat, de his præfari juverit.

 Nova-

Novatorum error, & varia Ecclesiæ disciplina.

34 I. QUamvis Novatores non admittant sacram Unctionem, de qua agimus, esse Sacramentum: ne quid tamen in Ecclesiæ doctrina absque cavillis prætereant, insectantur Catholicos 1*mo*, quod per *Presbyteros* a Jacobo commemoratos intelligant Sacerdotes, & non potius *ætate Seniores*; 2*do*, quod putent Unctionem hanc posse perfici ab uno, cum tamen Jacobus voce *Presbyteros* pluralem numerum designet. In utroque autem hoc sequuntur duces suos Lutherum & Calvinum. Hic Instit. L. 4. C. 19. *Jacobus vult infirmum ungi a Senioribus Ecclesiæ: isti* (Catholici) *unctionem non admittunt nisi Sacrificorum. - - Quod apud Jacobum Presbyteros interpretantur Sacerdotes, & pluralem numerum ad decorem positum nugantur, frivolum est &c.* Prior vero L. de Cap. Babil. *neque hoc servant ibi, quod Apostolus jubet, Presbyteros Ecclesiæ induci, & super infirmum orari: vix unus Sacerdotulus mittitur, cum Apostolus velit multos adesse, - - quanquam incertum est mihi, an Sacerdotes velit intelligi, cum dicat Presbyteros, id est, Seniores.*

35 II. Jam inde a primordio Ecclesiæ creditum est, vel unum Sacerdotem sufficere ad perficiendum Extr. Unctionis Sacramentum. Varia nihilominus fuit circa hoc ministerium disciplina; ut enim principio communiter apud Latinos unus duntaxat Sacerdos ad illud adhiberetur, subinde tamen pluralitas invaluit. Colligitur vero id ex Sacramentario Gregorii apud Menardum, Codicibus item Ratoldiano, Tiliano, Remigio-Rhemensi &c. Idem probat Waldensium Sec. XII. criminatio, adversus pluralitatem Sacerdotum, pro ungendo infirmo convenientium, ut testatur Reynerus L. de Waldensibus. Eandem praxim Sec. XIII. viguisse constat ex D. Thoma L. 4. contra Gent. C. 73. ubi, *competit* inquit, *huic Sacramento,*

quod

quod multi Sacerdotes interſint &c. Nunc, etſi plures intereſſe poſſint, uſus tamen obtinuit, ut unius miniſterio tota functio ſacra peragatur. Græci contra etiamnum veterem morem retinent: certe eorum Euchologium apud Goarium ſeptem nominatim Sacerdotes requirit; quod ipſum refert Arcudius L. 5. Concord. C. 3. Allatius de Conſenſ. Eccl. C. 16. & conſtat ex Simeonis Theſſalon. L. de Sacram. in quo de Extr. Unct. hæc habet: *quamvis non ſit ſcriptus* (numerus Sacerdotum) *neceſſarium tamen eſt antiquam obſervare Traditionem; & ſint quidem ſeptem, ut veteris moris eſt: ſi vero neceſſitas fuerit, tres ſint ad minus.*

Atque ex his duplex enaſcitur quæſtio: primum, an Extr. Unctionis Miniſter ſit tantum Sacerdos? deinde, an vel unus ſufficiat ad valide miniſtrandam illam?

ASSERTIO.

Solus Sacerdos eſt Miniſter Extr. Unctionis; vel unus autem ſufficit.

PArs I. fide certa eſt; præterquam quod enim doctrinam 36 hanc Trident. Seſſ. 14. de Extr. Unct. Cap. 3. aperte declaraverit, eamdem etiam deinde ibid. Can. 4. expreſſis verbis contra Novatores definivit. Fundatur autem in ipſis Jacobi verbis, *inducat Presbyteros Eccleſiæ &c.* quibus, non ætate Seniores, ſed Sacerdotes tantum intelligi certum eſt tum ideo, quod dicatur nominatim *Eccleſiæ Presbyteros:* tum quod huic Presbyterorum miniſterio attribuatur remiſſio peccatorum; quod utrumque ſolis Sacerdotibus eſt proprium. Sed cumprimis hoc ſenſu accipienda eſſe Jacobi verba conſtat ex Origene, Chryſoſtomo, Innocentio I. aliiſque Patribus jam Differt. I. §. I. laudatis; item perpetua Eccleſiæ praxi, neque enim unquam aliis, quam Sacerdotibus, Sacramenti hujus

jus ministerium est permissum, ut claro in hanc rem testimonio sunt omnes LL. Rituales tam Orientalis, quam Occidentalis Ecclesiæ.

37 At num, inquies, Sacerdos quilibet hoc Sacramentum ministrare possit? valide equidem quilibet: nam ad id satis est habere potestatem Ordinis; non tamen licite, nisi habeat jurisdictionem ordinariam vel delegatam, ut constat ex Clementina I. *de Privilegiis*, in qua sub excommunicationis pœna vetantur Regulares Extr. Unctionem conferre sine licentia Parochi. Quanquam & istud non nisi de eo, quod *regulariter* fieri debet, intelligendum sit; nam communis & certa est (contra Navarrum in Manuali C. 27.) sententia: Clementina hac non comprehendi casum necessitatis, qualis esset, si infirmo in extremis posito abesset Parochus; secus enim lex a Clemente lata non esset ordinatio rationis in bonum commune, sed potius (ut dicitur) in destructionem.

38 Pars II. etiam controverti non potest vel ideo, quod nullum sit plures Ministros requirendi fundamentum, ut patebit ex Resp. ad Obj. N. 41. Quin non requiri plures, unumque etiam sufficere multa evincunt. Certe Innocent. I. in Ep. ad Decent. declarat, etiam Episcopum esse hujus Sacramenti Ministrum: nec tamen exigit, ut is alios in partem ministerii advocet; quod ipsum legere est in Concilio Bracarensi Can. 51. & Pœnitentiali Theodori Ep. Cantuar. Non desunt etiam complura ab uno duntaxat Presbytero jam olim ministratæ Extr. Unctionis exempla; ut ex vita S. Eugendi, qui Sec. VI. floruit: ex vita S. Mauræ, quam solus Prudentius Tricassin. extremum unxit: hisque similia alia, quæ videri possunt apud erud. Martene L. 1. de ant. Ecc. Rit. C. 7. Invictissimum porro (nihil ut dicamus de moderna Ecclesiæ Latinæ disciplina) argumentum est ex antiquis LL. Ritualibus, ut *Baptismali* Viennensi, *Manuali* Laudunensi, Catalaunensi, Ambianensi,

nensi, pluribusque aliis, quorum partem Launojus Oper. suorum Tom. I. edidit; in his nimirum uni duntaxat Sacerdoti sacrum hoc Unctionis ministerium committitur, nulla plurium mentione injecta. Quibus denique omnibus accedunt clara duorum Rom. Pontificum effata. Alexander III. Cap. *Quaesivit.* de Verb. signif. *Sacerdos*, inquit, *uno praesente Clerico*, & *etiam solus potest infirmum ungere.* BENEDICTUS XIV. autem hodie regnans S. P. in Constit. *Etsi Pastoralis*, super ritibus Graecorum §. 5. N. 3. declarat: *Nec refert, utrum eadem Extr. Unctio per unum vel plures Presbyteros fiat, ubi hujusmodi viget consuetudo; dummodo credant & asserant, illud Sacramentum servata debita materia & forma ab uno Presbytero valide & licite confici.*

Observandum est autem in Assert. dici, *sufficit*: nam ex 39
veteri Latinorum, ac hodierna etiam Graecorum disciplina, quin & paulo ante recitatis BENEDICTI XIV. verbis certum est, plures quoque Sacerdotes in hujus Sacramenti ministerio posse concurrere. Quo casu, si quaeras, quomodo a pluribus Sacerdotibus confici possit Extr. Unctionis Sacramentum? expeditum est responsum ex communi DD. sententia, & nunc laudati S. P. Constit. *Etsi Pastoralis*, cit. §. 5. ubi N. 4. ait: *idem Sacerdos materiam adhibere, formamque pronuntiare respective debet; ac propterea qui ungit idem dicat formam respondentem: nec alius ungat, & alius formam pronuntiet.*

Quod igitur est, inquies, in id genus casu reliquorum Sacerdotum munus? ex more apud veteres ut plurimum recepto istud est: ut Ministrum principalem, qui ungit videlicet, & formam profert, adjuvent in ritu accidentali, ut est Psalmorum & Orationum recitatio, impositio manuum, abstersio olei &c. Fateor interim apud veteres hac in re non unam fuisse disciplinam, ut colligitur ex Gregoriani Sacramentarii

variis Codicibus, Rodradiano, Ratoldiano, & Tiliano apud Menardum, ac alios. Aliquando nimirum leguntur singuli unxisse easdem omnes corporis partes, & ungendo formam protulisse: ac tum censendum est singulas unctiones fuisse sacramentales ita, ut ex omnibus unum coalesceret Sacramentum. Alias ab uno fiebat unctio cum forma illi respondente: reliquis ungentibus duntaxat sine enuntiatione sacramentalis formæ, quamvis & ipsi aliquas preces funderent; quo casu sola unctio prima fuit sacramentalis, cæteræ autem mere cæremoniales. Atque hoc postremo sensu accipiendum videtur illud, quod in Codice Rodradi & Tiliano legitur: *Et supplicando dum ungitur infirmus, dicat unus hanc orationem;* unde assentiri non possum Cl. Menardo, cum ex hoc loco in Sacram. Gregor. *Nota* 911. infert: *Notandum, ungente Sacerdote formam ab alio proferri*; minus vero illi, quod ibid. continuo subjicit: *quod favet eorum opinioni, qui dicunt hunc validum esse Baptismum, si uno verba proferente alter mergat, aut aquam infundat.* De Græorum ritu hodie etiam apud eos usitato dicetur Differt. IV. §. II.

Respondetur ad Objecta.

40 QUo præcipue adversus I. partem Assertionis pugnant Novatores, est: quod Jacobus unctionem hanc fieri velit per *Presbyteros*, qua voce *Seniores ætate* designari ajunt; item Innocentii I. ad Decent. Epistola, in qua declarat, omnes Christianos in sua aut suorum necessitate uti posse oleo benedicto ad ungendum. Verum ad hæc ex jam alias dictis expeditum est responsum; ad primum quidem ex N. 36. ad alterum vero ex N. 7. Versu, *At inquies &c.* eodemque plane sensu, quo hic Innocentii verba exposuimus, intelligendæ sunt unctiones, quibus Anachoretæ Ægypti, S. Genovefa, aliique Laici

Laici olim ægrotis sanitatem restituisse leguntur. Certe & hodie in eum finem Laicos novimus uti aqua benedicta aut sacro aliquo oleo, quin ullus tamen ritus hujusmodi Sacramentis accensendos putet. Sed nimirum præter hæc opponi potest;

I. Ven. Beda in Cap. 5. Jacobi Epist. monet infirmos, *ut Seniorum adjutorio curari se meminerint, neque ad juniores, minusque doctos causam suæ imbecillitatis deferant*; censuit ergo nomine *Presbyteri* in laud. Ep. intelligi ætate provectiorem. Certe

II. Hæc ipsa Bedæ verba Thomas Waldensis L. 2. de Sacram. C. 163. expendens, non dubitavit asserere: in defectu Sacerdotis quemlibet Christianum posse Extr. Unctionem ministrare non secus, ac *in extremæ necessitatis articulo liceat christianæ vetulæ baptizare*. Jam vero

III. Thomæ Wald. auctoritas eo magis urget, quod opinionem hanc suam confirmet ex Augustino generatim dicente de ægroto: *corpusculum suum ungat, ut illud - - impleatur in eo, Infirmatur quis &c.* quodque Martinus V. laud. L. 2. de Sacram. examini subjecerit, ac dein approbaverit, ut constat ex ejus Ep. ad Thomam Wald. data apud Launojum Tom. 1.

Resp. ad I. Beda illud Jacobi, *infirmatur quis &c.* cum altero, *confitemini ergo &c.* conjungens, totum hunc contextum exponit de Extr. Unctione simul & Pœnit. Sacramento; inde recte monet, ad Sacramenta hæc simul ministrari solita advocandos esse Seniores, utpote magis expertos: quo nimirum æger in extremo vitæ periculo securius adjuvetur. Cæterum isthic ab eo *Seniorum* nomine intelligi Sacerdotes, satis declarat ipse, cum ibid. paulo post recitatis Jacobi verbis, *orent super eum ungentes &c.* adjiciat: *Hoc & Apostolos fecisse in Evangelio legimus, & nunc Ecclesiæ consuetudo te-*

 net,

net, ut infirmi oleo consecrato ungantur a Presbyteris &c. En! nominat *Apostolos*, qui erant Sacerdotes; laudat *Ecclesiæ consuetudinem:* certe autem ætate illius, hoc est Sec. VIII. soli Sacerdotes ad hoc ministerium adhibebantur, ut constat ex Ordine Rom.

Resp. ad II. Putant aliqui Waldensem isthic loqui de unctione, quæ non sit Sacramentum, sed mera cæremonia, qua infirmus testetur votum Sacramenti Extr. Unctionis: ad eum videlicet modum, sicut olim in extremo vitæ fiebat Confessio Diaconis, aut etiam laicis; ut adeo comparatio, quam a Baptismo affert, non spectet rationem Sacramenti, sed quandam duntaxat ritus similitudinem. Quod si autem re ipsa eo sensu, quem habet Objectio, locutus est: fateri oportet, mentem Ven. Bedæ eum non fuisse assecutum, nec recte sensisse, deserendam proinde ejus opinionem. Unde

Resp. ad III. Augustinus non favet Waldensi, tum quod verba nomine ejus recitata sint desumpta ex L. de Rectitud. Cathol. conversat. qui passim pro supposito habetur; tum etiam, quod eo loci plures cum Estio ex emendatioribus Codicibus legendum putent, *ungatur:* non autem, *ungat.* Non etiam patrocinatur approbatio a Martino S. P. facta: approbatus quippe est laud. L. potissimum ob egregie in eo confutatos Wicleffitas & Hussitas; quod vero memorata opinio non sit expuncta, in causa esse potuit, quia mitiorem etiam expositionem patitur, de qua dictum in Resp. ad II.

41 Assertionis parti II. adversari videtur I. ipse D. Jacobus sæpe laud. C. 5. plures Sacerdotes requirens, cum ait: *Inducat Presbyteros.* Ac revera hac voce

II. Pluralem numerum eum intellexisse, argumento est vetus Ecclesiæ universæ, ac moderna etiam Græcorum disciplina, non in alio, quam Jacobi verbis fundata.

Resp.

Resp. ad I. Dist. assertum: Jacobus Sacerdotes plures requirit, idque ex necessitate Sacramenti N. ex quadam convenientia, Transf. sic tamen, ut hæc ipsa Ecclesiæ arbitrio subjaceat C. secus N. Nimirum summa auctoritas interpretandi Scripturas penes Ecclesiam est; hæc vero ex Jacobi verbis semper intellexit, pluralem Sacerdotum numerum in Sacramenti hujus ministerio non requiri jure divino, nec ad substantiam & valorem: sed rem esse meræ disciplinæ, quam, etsi convenientem, aliis ducta rationibus possit immutare, salva semper, quæ Sacramento debetur, reverentia. Illud vero, quod vocem *Presbyteros* obtrudant Novatores, frivolum est; quis enim nesciat, in S. Literis haud infrequenter pro singulari numero pluralem usurpari? Ita Matth. 27. latrones cum Christo crucifixi dicuntur ipsi improperasse: cum tamen id ab uno eorum duntaxat factum scribat Lucas in Evang. C. 23. Similiter Christus Luc. 17. leprosis dixit, *ostendite vos Sacerdotibus*: ex Lege interim satis erat, si leprosus se vel uni Sacerdoti ostenderet, ut constat ex Levit. C. 14. Plura id genus exempla vide apud Augustinum L. 3. de Consensu Evangelistarum C. 16.

Resp. ad II. tam veterem, quam hodiernam Græcorum disciplinam fundari quidem in Jacobi verbis, at non alio, quam paulo ante diximus, sensu intellectis; a nemine quippe recte credentium unquam existimatum est, propterea ad Extr. Unctionem ministrandam adhibendos esse plures Sacerdotes, quod secus irritum fiat Sacramentum: ipsi certe moderni Græci non aliam ritus sui causam adferunt, quam convenientiam significationis mysticæ, quæ habetur in septenario Sacerdotum numero, ut constat ex Arcudio & Simeone Thessalon.

§. II.

Quibus miniſtrari poſſit Extr. Unctionis Sacramentum?

IN Eccleſia Latina ſoli infirmi: in Græca etiam ſani unguntur infirmorum oleo; hinc merito in quæſtionem vocatur hujus Sacramenti Subjectum.

ASSERTIO.

Soli infirmi ſunt capaces ſuſcipiendi Extr. Unctionis Sacramenti.

42 AC infirmos quidem capaces eſſe hujus Sacramenti, ſatis aperte indicat Jacobus, cum dicit: *Infirmatur quis in vobis? inducat &c. & oratio fidei ſalvabit infirmum.* Ex iisdem porro verbis ſimul deducitur ſolos infirmos eſſe capaces: nam hi duntaxat nominantur; nec conſtat aliunde ad ſanos etiam hanc capacitatem extendi poſſe; imo unanimi (ſi Ludov. Habertum cum paucis excipiam) Doctorum ſenſu, & perpetua Eccleſiæ praxi valentes excluduntur a perceptione hujus Sacramenti. Quod ſi præterea ipſam Eccleſiæ de hoc argumento ſe declarantis mentem attendas penitius, plane indubitata evadit Aſſertio. Etenim Florent. in Decr. pro Armenis, *hoc Sacramentum*, inquit, *niſi infirmo, de cujus morte timetur, dari debet.* Et Trident. Seſſ. 14. de Extr. Unct. Cap. 1. hoc Sacramentum vocat *Unctionem infirmorum;* rurſumque Cap. 3. *declaratur*, inquit, *eſſe hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis vero præſertim, qui tam periculoſe decumbunt, ut in exitu vitæ conſtituti videantur; unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur.* Tridentini vero ſenſum pluribus explicans ejusdem Catechiſmus juſſu Pii V. editus, Tit. de Extr. Unct.

Unct. §. de Subjecto, ita habet. *Docendi sunt fideles, quamvis hoc Sacramentum ad omnes pertineat, quædam tamen hominum genera excipi, quibus administrandum non sit; ac primum excipiuntur, qui sano & firmo corpore sunt: iis enim Extr. Unctionem tribuendam non esse & Apostolus docet, cum inquit, Infirmatur quis in vobis? & ratio ostendit, siquidem ob eam rem instituta est, non modo ut animæ, sed etiam ut corpori medicinam afferat.* His consentiunt Occidentalis Ecclesiæ Ritualia omnia tam antiqua, quam moderna: de Orientalium sensu dicemus infra N. 44. & 45.

Resolvitur Objectio.

Qui sanos etiam hujus Sacramenti capaces esse opinantur, 43
verba Jacobi de infirmis *positive* duntaxat, non *exclusive* intelligenda contendunt: præsertim cum ipsum Trident. nusquam aperte excludat sanos. At hæc profecto non urgent; nam

Resp. Jacobi verba exclusivo sensu accipi oportere satis probant ea, quæ pro Assertione attulimus; certe Catech. Trident. hunc sensum ex Jacobi doctrina deducit. Idem dicendum de mente Tridentini: tum ob ejus apertam explicationem a laud. Catechismo factam; tum, quia Trident. intelligendum est conformiter ad Florentinum, quod in cit. Decr. sanos a perceptione hujus Sacramenti excludit. Denique sensus hic exclusivus vel ideo asserendus est: quod Jacobi verba ex se solos infirmos designent, nec aliunde ex sensu Ecclesiæ, vel ejus exemplo ostendi possit, etiam valentes esse subjectum capax. Sed nimirum adversus istud

Instant I. Verba Jacobi sensu duntaxat positivo accipiendi 44
fundamentum præbent Græci, qui *non tantum infirmos, sed sanos quosque homines Extrema Unctione inungunt*, ut scribit

Alla-

Allatius L. 3. de Consens. Eccl. C. 16. quod ipsum testaturGoarius in Not. ad Euchol. item Arcudius L. 5. de Extr. Unct. C. 4. & ult. addens: morem hunc non in aliquo tantum Græciæ angulo, sed ubique passim vigere. Urget vero hic Græcorum mos eo amplius, quod is a Latinis nunquam sit improbatus, ne quidem in Conc. Lugdunensi II. aut Florentino; imo Innocentius IV. videtur eum approbasse, cum in Epist. ad Episcopum Tusculanum id vetuerit tantum, *ne Sacerdotes Græcorum pro satisfactione pœnitentiæ unctionem aliquam solummodo injungant.*

Resp. Negari non posse hunc Græcorum morem; at num apud eos unctio sanis impensa pro vero habeatur Extr. Unctionis Sacramento, controversum est. Affirmat equidem Arcudius; at Goarius negat, cum quo & ipse existimo, unctionem id genus pro sola duntaxat cæremonia a Græcis observari, ad eum videlicet modum, quo olim fideles se ipsos sacro infirmorum oleo ungebant, ac nunc quoque aqua benedicta utuntur. Estque in hanc rem grave argumentum, quod præcipui Græcorum Scriptores Extr. Unctionis Sacramentum pro infirmis institutum profiteantur: eidemque pro effectu sanitatem corporis attribuant: hanc ipsam imo pro suis unctis deprecentur expressis in forma sacramentali verbis. Scriptores vero hi sunt: Simeon Thessalon. Gregorius Proto-Syncellus, Meletius Syrigus, Gabriel Philadelph. aliique apud AuctoremRei Sacram. L. 7. Quæst. 5. §. 1. laudati, ex quibus ipse concludit, cum Goario esse in præsenti sentiendum. Atque hinc ultro consequitur responsum ad Ecclesiæ Latinæ silentium: cum enim huic semper fuerit persuasum, Extr. Unctionis Sacramentum solis infirmis esse conferendum, nec tamen memoratum Græcorum ritum unquam reprehenderit, & ipsa utique judicavit eum meram esse cæremoniam, ac pro tali duntaxat a Græcis adhiberi. Quod vero ad Innocentium attinet: in cit. Ep. id ei duntaxat erat propositum, ut tolle-

tolleret abusum quorundam, solam unctionem in satisfactionem pœnitentibus imponentium. Non nego interim fuisse Græcorum aliquos, qui, processu temporis invalescente Schismate, etiam valentium unctionem pro Sacramento haberent; at privatorum error Ecclesiæ appingi non debet. Nec officit, cum

Instant II. in hoc ritu Græcos universim observare materiam, formam, & Ministrum Sacramenti Extr. Unctionis; universim igitur in Græca Ecclesia ritus hic existimatur esse Sacramentum. Etenim 45

Resp. Vel ideo, quod Græci judicent (ut jam diximus) Extr. Unctionem esse institutam pro infirmis, sanorum unctionem nequeunt existimare esse Sacramentum defectu Subjecti capacis. Cæterum nec formam sacramentalem eos in hoc ritu adhibere, mihi plane persuasum est: nam in Græca Ecclesia (teste Gabriele Philadelph. in Op. de Sacram.) *forma hujus Sacramenti sunt verba, quæ a Sacerdote super ægros annuntiantur, quæ quidem vim habent dimittendi peccata, sanandique morbos eorum &c.* per eandem formam fieri petitionem pro restitutione sanitatis constat ex forma a nobis jam alias relata; jam vero, quid nisi ridiculum foret? formam hujusmodi deprecatoriam supra valentem recitari.

Corollarium.

de conditione infirmi, cui danda sit Extr. Unctio.

Conditio hæc nobis abunde innotescit ex Florentino & Tridentino. Illud in Decr. pro Arm. ait: *subjectum hujus Sacramenti esse infirmum, de cujus morte timetur;* hoc vero Sess. 14. de Extr. Unct. Cap. 3. declarat, *hanc Unctionem in-* 46

firmis adhibendam, *illis vero præsertim*, *qui tam periculose decumbunt*, *ut in exitu vitæ constituti videantur.* Certum igitur est, Extr. Unctionem ministrandam esse non tantum infirmis jam jam morituris: sed etiam ex gravi morbo decumbentibus, ita ut de morte eorum timeatur, etsi ea nondum sit proxima. Hinc Catech. Rom. & Ritualia passim monent, ne expectetur ultimum periculum: quin potius in eo Pastores evigilent, ut infirmis, integra adhuc mente & sensu præditis, Sacramentum hoc conferant. In censum porro id genus infirmorum veniunt etiam grandævi illi, qui præ senio (tametsi nulla accedat infirmitas) in dies morituri creduntur; ipsa enim hæc ingravescens ætas, eamque secuta virium defectio, infirmitas est morti proxima. Contra infantes nondum rationis capaces, licet gravi ægritudine affligantur, ungendi non sunt: cum nullæ in his supersint peccati reliquiæ, quas sacra hæc unctio abstergat. Neque ungendi sunt adulti illi, qui cætera sano sunt corpore, quamvis probabile, aut etiam certum vitæ periculum adeant; ut sunt navigaturi, prælium commissuri, capite plectendi &c. cujus ratio ex jam dictis clara est.

Copiosius hæc omnia notantur in Catech. Concilii Trident. & passim LL. Ritualibus omnibus. Totam autem doctrinam huc pertinentem S. Carolus Borom. in Conc. Mediolanensi IV. Tit. 6. hoc brevi Decreto est complexus: *Parochus Extr. Unctionis Sacramentum sicut his ministrare debet*, *adultis scilicet periculose ægrotantibus*, *propeque moribundis*, *senio confectis etiam non ægrotis*, *in diem morituris ; ita istis ne ministret*, *nempe pueris rationis usu carentibus*, *mulieribus in partu laborantibus*, *ad bellum proficiscentibus*, *navigantibus*, *peregrinantibus*, *&* *iis*, *qui mox ultimo supplicio mulctandi sunt.*

DISSER-

DISSERTATIO IV.

DE CÆREMONIIS EXTREMÆ UNCTIONIS.

§. I.

Qui sint ritus ad Extremæ Unctionis materiam pertinentes?

JAm supra Differt. I. §. II. dictum est, ex disciplina veteri, eaque constanter observata Sacramentum hoc ministrandum esse oleo olivarum benedicto; atque in hoc Græci etiam consentiunt, nisi quod circa benedictionem diversi quidpiam a Latinis habeant: quod ipsum nunc exponendum erit.

Ritus benedictionis olei apud Latinos.

I. LAtini ungunt infirmos solum oleo per Episcopum consecrato, id quod satis constat ex Innocentii I. Ep. ad Decent. Sacramentario Gregorii, Ritualibus demum tam antiquis quam modernis omnibus. Est autem ritus hujus congrua ratio, quam reddit Estius in 4. dist. 23. §. 8. ubi ait: *Consecratur oleum, ad significandum, quod non suapte natura, sed Spiritus S. virtute morbis animæ medeatur; per Episcopum vero fit ea consecratio, ut significetur omnem virtutem Sacramentorum derivari ex meritis Christi, cujus personam præcipue gerit Episcopus.* 47

Ad tempus porro consecrationis hujus quod attinet, peragitur ea Maj. hebd. Feria V. sub ipso Missæ Sacrificio. Nimirum ante illa Canonis verba, *per quem hæc omnia, Domine,*

ſemper bona creas &c. ad menſam in Presbyterio paratam conſidens Epiſcopus facie ad altare converſa, primum exorcizat oleum, tum illud benedicit per Orationem, qua petitur, ut hæc olivæ pinguedo Spiritus S. benedictione ſit unctis *tutamen mentis & corporis, ad evacuandos omnes dolores, omnes infirmitates, omnemque ægritudinem mentis & corporis.* Ita Pontificale Rom. Clementis VIII. cui conſonat Sacramentarium Gregorii apud Menardum, id ſolum diverſitatis habens: quod in eo referatur benedictio fieri ab Epiſcopo ſimul & Sacerdotibus adſtantibus, & quidem poſt Canonis verba, *accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas.*

48 II. Quia vero oleum hoc ſemel duntaxat intra annum benedicitur, ac facile evenit, ut propter frequentiorem uſum deficiat, in id genus caſu oleum non conſecratum miſceri poteſt cum conſecrato: qua mixtione & illud conſecrationem contrahit. Habetur iſtud Can. *quod in dubiis*, de Confecr. Eccl. non negamus, *quin oleum non conſecratum conſecrato poſſit oleo commiſceri.* Imo mixtio hæc præſcribitur nominatim in Rituali Rom. Pauli V. adjecta nihilominus cautela: *ſi aliud benedictum haberi nequeat;* item, ut modico *oleo non benedicto minori quantitate ſuperinfuſo*, quod ex benedicto eſt reliquum, reparetur. Idem totidem verbis legitur in Rituali Eccleſiæ noſtræ Viennenſis, & paſſim in aliis.

Ejusdem benedictionis ritus apud Græcos.

49 QUamvis Græci non rejiciant oleum ab Epiſcopo conſecratum: ex ritu nihilominus eorum benedicitur illud a ſeptem (ſi id commode fieri poſſit) ſimplicibus Presbyteris, iis ipſis nimirum, qui ad ungendum ægrum conveniunt. Atque hunc Eccleſiæ Græcæ morem eſſe prorſus antiquum, teſtimonio ſunt vel Euchologia, ante mille & amplius annos con-

conscripta. Verum, quo hæc Græcorum disciplina, ejusdemque ratio innotescat certius, juverit ipsum Goarium audire differentem. Jam vero is in Notis ad Euchocolog. sub Tit. *Officium olei sancti*, postquam retulit, ex ritu Græcorum Feria V. in Cæna Dom: ipsum Episcopum oleum benedicere, at totum illud eadem die consumi, ita deinde sermonem prosequitur. *Cuncti enim accessuri ad S. Synaxim in peccatorum expiationem se se ungendos offerunt: & Episcopus ipse primus omnium Oeconomi manu unctionem suscipit, quem deinde omnes alii sequuntur. Hac itaque unctione, quantumvis tantum cæremoniali, cum oleum totum consumitur, facultatem illud denuo consecrandi privato cuicumque Parocho Pontifices tacite ex antiquo more videntur remittere &c.* Ibidem præterea refert totum benedictionis hujus Officium; ex quo certum est, eam regulariter peragi a septem Sacerdotibus in Ecclesia, aut etiam ægroti domo: & quidem in ipso procinctu ad ministrandum Extr. Unctionis mysterium: ac demum multo longiore, ac apud nos fiat, precum apparatu.

Sed nec Orientales reliqui quoad benedictionis Ministrum a Græcis diffident; id vero iis præterea peculiare, quod oleum in lampade septem radiis & elychniis totidem instructa benedicant, singuli videlicet Sacerdotes singulos radios, qui sub ipsa consecratione accenduntur. Ritus, quo tota hæc sacra functio peragitur, admodum prolixus est, constans nimirum multarum Orationum, Psalmorum, Epistolarum & Evangeliorum recitatione. Vide Auctorem Perp. Fid. Tom. 5. L. 5. C. 2.

§. II.

§. II.

Quo ritu ipsum Extr. Unctionis Sacramentum ministretur?

ET isthic rursum Latinam inter & Græcam Ecclesiam diversa est disciplina, ut ex ritu cuique proprio mox referendo patebit.

Ritus Extr. Unctionis apud Latinos.

50 I. OLim in Ecclesia Latina post Sacramentum Poenit. conferebatur Extr. Unctio, ac tum demum sacro Eucharistiæ Viatico æger reficiebatur, ut constat ex Sacrament. Gregorii, Libro Pœnitentiali Theodori Cantuar. Aquisgranensi & Moguntino Seculi IX. Conciliis. Disciplina hæc Sec. XIII. mutari cœpit, subindeque mos invaluit Eucharistiæ ministrationem præmittendi Extremæ Unctioni. Inde Rit. Rom. *illud inprimis*, inquit, *ex generali Ecclesiæ consuetudine observandum est, ut si tempus & infirmi conditio permittat, ante Extr. Unctionem Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta infirmis præbeantur.* Neque tamen istud in legem universalem abiit; nam Card. de Noailles Archiep. Parisien. in suo L. Rituali commendat, ut prior disciplina restituatur, quod & a compluribus Galliarum Episcopis factum novimus. Regiones nostræ, ac etiam partem maximam aliæ Ritualis Romani præscripto insistunt.

51 II. Quocunque interim ordine ministretur Extr. Unctio, ex antiquissimo Ecclesiæ more (si tempus admittat) sacræ Unctioni præmittuntur septem de poenitentia Psalmi, Lytaniæ, & preces quædam; id quod præscriptum legitur in plurimis Ritua-

Ritualibus LL. tam antiquis quam modernis. In plurimis inquam: nam licet omnes hunc precationum ritum commendent, in tempore nihilominus earum variant. Ita juxta Rituale Parisiense septem Psalmi recitari possunt eundo ad infirmum; juxta Narbonense & Tolosanum interferendi sunt unctionibus; juxta Suessionense dicuntur post peractas unctiones &c. Neque hoc Majores nostri contenti erant: ad certius excitandum præterea pœnitentiæ motum ante S. Unctionem ægrotis imponebant cinerem & cilicium; vel eos jam unctos super cilicium cineribus consperſum collocabant; aut denique supra pectus eorum cinis in formam crucis spargebatur. Quam in rem testimonio sunt complures vel Seculo XVI. editi LL. Rituales, ut Anicensis, Noviomensis, Rotomagensis &c. Nunc jam triste hoc ac humile officium exolevit; at Pœnit. Psalmorum recitatio etiamnum (si per tempus liceat) observanda est: cum non tantum in Romano, sed & omnibus Ecclesiarum particularium Ritualibus præcipiatur, aut saltem commendetur.

III. Atque his ritus instar præparatorii præmissis, sequitur Unctio in modum crucis cum præscripta forma unctis partibus respondente, nempe: *Per istam S. Unctionem &c.* tum adjiciuntur Orationes quædam cum impositione manuum, ac demum infirmo datur benedictio. Circa partes porro ungendas jam inde a principio varia fuit disciplina: imo hodie etiam non una est Ecclesiarum praxis. In Sacramentario Greg. apud Menardum præscribuntur ungendi tantum quinque sensus; in Codice Rotaldi præterea collum, pectus, & Scapulæ; in Codice Remigio - Rhemensi etiam tempora; in Eugenii Decr. pro Arm. uti & Rituali Rom. Pauli V. oculi, aures, nares, os, manus, pedes, & renes. Atque hoc postremum in moderna praxi potissimum obtinet: nisi quod ex quarumdam Ecclesiarum ritu in viris perinde ac fœminis 52

loco

loco renum pectus ungatur; vide Rituale nostrum Viennense, Parisiense &c. in quibus simul ex Rituali Rom. additur: Presbyterorum manus non interius, sed exterius ungendas esse, idque ex causa, quam insinuat Anonymi carmen ex vetusto MSS. Codice a Cl. Martene relatum:

Presbyteri palmas non intus, sed foris ungas;
Dicunt Doctores, quod eas non ungere fas fit,
Quas unxit Præsul, dum Presbyterum faciebat.

53 IV. Quantumvis autem regulariter quinque saltem sensus ungendi sint, cum in hoc conspirent omnia Ritualia, antiqua non minus ac moderna: in certis attamen casibus permittitur ministrari hoc Sacramentum vel unius partis unctione. Id genus casus sunt: cum præ mortis instantis periculo omnes unctiones perfici nequeunt, vel cum justus est contagionis metus. De primo Rituale Parisiense ita statuit: *si non possit super infirmum fieri nisi unica unctio, ungatur oculus, vel aliud sensuum organum, & cæteris precibus prætermissis dicatur: Per istam sacri olei unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid peccasti per sensus.* De casu autem altero idem præscribitur, præter Ritualia alia, in nostro Viennensi his verbis: *In morbis contagiosis & peste grassante, ut periculum vitetur, sufficit inungi organum sensus magis ad unctionem expositum ac detectum dicendo: Per istam S. Unctionem - - indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum gustum, tactum & gressum, in nomine Patris &c.* Quæ quidem argumentum præbent cum sæpe nobis laud. BENEDICTO XIV. in Tract. de Synodo Diœcesana L. 7. judicandi: unctionem quinque sensuum, tametsi ea ad Extremæ Unctionis integritatem pertineat, ad ejusdem tamen substantiam & Sacramenti valorem non esse necessariam.

Ritus

Ritus Extr. Unctionis apud Græcos.

QUæ nos inter & Græcos in administrando Extr. Unctionis Sacramento sit diversitas, magnam partem constat ex jam præmissis tribus Dissertationibus; inde isthic pauca duntaxat, quæ præterea illis peculiaria sunt, addenda habemus.

Ac I. quidem occurrit dicendum de loco: tametsi enim 54
communiter in domo infirmi privata, non raro tamen etiam in ipsa Ecclesia sacro Extr. Unctionis ministerio defunguntur. Utriusque hujus testem habemus Goarium in Notis ad Euchol og. Tit. *Officium S. olei*, ubi hæc scribit: *gravi afflictos ægritudine, officio præsenti super eos recitato, unanimi cum Latinis consensu, in domibus Græci ungunt;* mox vero addit, eam esse quorumdam pietatem, *ut aliorum ope & manibus ad Ecclesiam se deferri faciant, ibique plurium nonnunquam dierum spatio in Catechumenis jaceant, pernoctent, morentur, & sacra tandem unctione sibi remedium exposcant.* Id quod eo facilius a Græcis observari potest, quod Sacramentum hoc ministrent ægrotis, etiam non periculose decumbentibus.

II. Extremæ Unctioni non præmittunt Eucharistiæ Via- 55
ticum: verum post Pœnit. Sacramentum continuo procedunt ad ungendum ægrum, nec nisi unctione peracta sacro Viatico eum communiunt. Unctionis porro ritum antecedit prolixa Psalmorum, Orationum & sacrarum lectionum recitatio, manuum, quin etiam Libri Evangeliorum super caput infirmi impositio. Ipsa vero demum S. Unctio regulariter a septem Sacerdotibus ita perficitur, ut, interposita Psalmorum & aliarum precum recitatione, singuli partes ungant singulas, formamque etiam singuli pronuntient: ut constat ex Euchologio, &

Notis Goarii loco supra cit. At, quæ nominatim ex ritu Græcorum ungendæ sint partes, teste eodem Goario, *nusquam Euchologium aperit.* Arcudius L. 5. de Extr. Unct. C. 7. ait, *Sacerdotes græcos ungere frontem, mentum, ambas genas, deinde pectus, tum manus, idque ex utraque parte, postremo pedes.* Simeon Thessalonic. in L. de Sacram. *ungit Sacerdos oleo ad modum crucis*, inquit, *ipsius* (ægri scilicet) *frontem ob contentas in ea cogitationes; faciem quoque inungit propter sensuum organa; postremo manus a pravis cogitationibus & operibus eum expians, sanctoque oleo & signo crucis muniens, & perfecte sanctificans;* ubi vides nullam fieri mentionem pectoris & pedum. Hunc locum Arcudius cit. C. recitans observat: per frontis, menti, genarum, & manuum unctionem liniri omnes sensus; quin etiam addit, hoc tempore non omitti pectoris & pedum unctionem.

Haud absimilis est Coptitarum, Jacobitarum, & aliorum Orientalium disciplina, ut legere est apud Auct. Perp. Fid. Tom. 5. L. 5. C. 2. ubi duo prætetea illis peculiaria esse notat. Primum, quod ante S. Unctionem cum benedicta olei lampade & cereis accensis in Ecclesia processionem ducant, quam infirmus ipse, vel alius ejus nomine comitatur; alterum, quod, post ministratum ægro Unctionis Sacramentum, aliis etiam præsentibus una conferatur unctio, diverso attamen ritu, quique non sit sacramentalis.



LIBER

LIBER VII.

De Ordine.

QUæ ad notitiam de Sacramento Ordinis Theologo necessariam pertinent, hæc sunt potissimum: I. Natura, Existentia, & Institutio hujus Sacramenti, II. ejusdem Materia & Forma, III. Effectus & Ordini adnexa Obligatio, IV. Minister & Subjectum, V. Ritus Ordinationis. Atque de his erunt Dissertationes totidem; quibus præmittemus Tridentinos Canones, & quædam ex aliis Conciliis Decreta. Propositio a Pontificibus damnata, quæ in rem nostram speciatim commemoranda foret, est nulla.

CANONES CONCILII TRIDENTINI.

Ex Seß. XXIII. de Sacramento Ordinis.

I. SI quis dixerit non esse in novo testamento Sacerdotium visibile, & externum; vel non esse potestatem aliquam consecrandi, & offerendi verum corpus & Sanguinem Domini, & peccata remittendi, & retinendi; sed officium tantum, & nudum ministerium prædicandi Evangelium; vel eos, qui non prædicant, prorsus non esse Sacerdotes; anathema sit.

II. Si quis dixerit præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, & majores, & minores, per quos, velut per gradus quosdam, in Sacerdotium tendatur; anathema sit.

III. Si quis dixerit, sive sacram Ordinationem non esse vere, proprie Sacramentum, a Christo Domino institutum,

vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum Ecclesiasticarum imperitis; aut esse tantum ritum quendam eligendi ministros verbi Dei, & Sacramentorum; anathema sit.

IV. Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum sanctum; ac proinde frustra Episcopos dicere: Accipite Spiritum sanctum; aut per eam non imprimi characterem; vel eum, qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse; anathema sit.

V. Si quis dixerit sacram Unctionem, qua Ecclesia in sancta Ordinatione utitur, non tantum non requiri, sed contemnendam, & perniciosam esse, similiter & alias Ordinis cæremonias; anathema sit.

VI. Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam Divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & ministris; anathema sit.

VII. Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem; vel Ordines ab ipsis collatos sine populi, vel potestatis sæcularis consensu, aut vocatione irritos esse; aut eos, qui nec ab Ecclesiastica & canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi & Sacramentorum ministros; anathema sit.

VIII. Si quis dixerit, Episcopis, qui authoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos, & veros Episcopos, sed figmentum humanum; anathema sit.

DE-

DECRETA ALIORUM CONCILIORUM.

Nicænum I. An. 325. *Can.* 4. *de Episcopi ordinatione ita decernit:* Episcopum convenit maxime quidem ab omnibus, qui sunt in Provincia, Episcopis ordinari; si autem hoc difficile fuerit, - - tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus - - tunc ordinatio celebretur.

Idem Can. 9. Presbyteros - - contra Canones manuum impositionem assecutos rejicit; *ordinationem proinde Presbyteri vocat* manuum impositionem.

Idem Can. 19. *Diaconissas Laicis annumerat*, quia nullam habent manus impositionem.

Constantinopolitanum I. An. 381. *Can.* 1. Nicænos Canones confirmat; *idem itaque ejus cum Nicænis Patribus fuit sensus de Ordinatione.*

Chalcedonense An. 451. *Can.* 1. *significat*, Presbyterum ordinari per manus impositionem.

Idem Can. 6. *vetat* Clericos sine titulo aut beneficio ordinari.

Idem Can. 20. prohibens Episcopum, Presbyterum, vel Diaconum ordinari pro pecunia, *causam reddit:* quia gratiam Dei illi censentur vendere &c.

Nicænum II. An. 787. *Can.* 1. confirmat Canones priorum Conciliorum; *speciatim autem Can.* 1. Nicæni I. Can. 4.

Idem Can. 14. *permittit* Lectores a Chorepiscopis ex Episcopi mandato ordinari; *id ipsum dein Abbatibus permittens, ait:* Lectoris autem manus impositionem licentia est unicuique Abbati in proprio Monasterio solummodo faciendi &c.

Præter hæc, tam in nunc memoratis Conciliis, quam in Ephesino An. 431. *Constantinopolitano II. An.* 553. *Constantinopolitano IV. Lateranensi I. II. III. & IV. ac seqq. occurrunt multi Canones, quibus decernitur* de Ordinationibus, ordinandorum habilitate, ordinatorum obligatione, privilegiis &c. *at hæc prolixum foret referre; commodius suis locis per decursum L. insinuabuntur. Nunc Florentini sensa adjecisse suffecerit. Jam vero*

Concil. Florentinum in Decr. pro Armen. §. de Ordine declarat: Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem. Diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem. Subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem: & similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem.

Ibidem continuo addit: Forma Sacerdotii talis est: Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis & mortuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: & sic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur. Ordinarius minister hujus Sacramenti est Episcopus. Effectus, augmentum gratiæ, ut quis sit idoneus minister.



DISSER-

DISSERTATIO I.

DE NATURA, EXISTENTIA, ET INSTITUTIONE SACRAMENTI ORDINIS.

§. I.

Quid ſit Ordo, & quæ in Eccleſia Ordinum varietas?

ORdinis nomen latiſſime diffunditur; generatim quippe ſignificat aptam rerum quarumvis diſpoſitionem cum unius ad alteram relatione: unde factum ut varii in qualibet Republica hominum ſtatus ordinis nomen obtinerent, ut ſunt ordo Eccleſiaſticus, Religioſus, Politicus, Militaris, Civilis &c. Nobis de ſolo Ordine Eccleſiaſtico agendum erit: hunc unum proinde Ordinis nomine deinceps intelligemus. Sed enim hic ipſe duplici ſenſu accipi poteſt; primum quidem pro ſacro ritu, quo fit deputatio ad Altaris & Eccleſiæ miniſterium: deinde pro Hierarchia Eccleſiæ, ſeu ſtatu perſonarum, quæ ad hoc miniſterium deputantur. Atque hoc utroque ſenſu accepti Ordinis ante omnia præmittenda eſt definitio: aſſerenda item Hierarchiæ ſacræ exiſtentia, ejusque deſignandi gradus, ac munia.

Definitio Ordinis.

I. ORdo, prout ſumitur pro ſacro ritu, rectius *Ordinatio* dicitur: eſtque illa cæremonia, ſeu actio ſacra tranſiens, qua quis Euchariſtiam miniſtrandi, aut miniſterio huic 1
ex

ex officio ferviendi ftabilem accipit poteftatem, unaque in ftatu Clericorum conftituitur. Hoc fenfu acceptus Ordo apud Græcos communiter dicitur *χειροτονία manus extenfio, porrectio:* aut etiam *χειροθεσία manus impofitio;* hac enim utuntur in ordinandis Sacerdotibus, aliisque facris Miniftris.

Illud vero hic cumprimis obfervandum: folam hanc actionem facram, feu cæremoniam effe Ordinis aut potius Ordinationis Sacramentum; hinc definitur, effe *novæ Legis Sacramentum, quo fenfibili figno aliquo ftabiliter confertur poteftas & gratia ad Corpus Chrifti confecrandum, vel exercenda cætera munia ad hoc minifterium pertinentia.* Quibus verbis fufficienter defignatur Sacramenti hujus natura, generatim quidem ratio figni fenfibilis ad quodvis Sacramentum requifiti; fpeciatim vero effectus, finis, & officium: tametfi enim foli Sacerdotio fit proprium Euchariftiam confecrare, ad hanc nihilominus, tanquam finem præcipuum, etiam reliquorum Ordinum minifteria referuntur.

2 II. Ex nunc definito ordinationis ritu ultro profluit altero fenfu acceptus Ordo, feu Hierarchia Ecclefiaftica. Quo nomine intelligitur certus in Ecclefia hominum ftatus, eorum videlicet, qui folemni ordinationis cæremonia ad aliquod Altaris & Ecclefiæ minifterium deputantur. Atque hi omnes recepto in Ecclefia vocabulo dicuntur *Clerici*, hoc eft, adlecti in Clerum, feu fortem ac hæreditatem Domini: nam græce κλῆρος, Latinis idem eft, ac *fors, hæreditas.* Inde in Clericos per primam Tonfuram initiandi ex more profitentur: *Dominus pars hæreditatis meæ &c.* & Hieronymus in Ep. ad Nepotian. *Clericus ergo*, inquit, *qui Chrifti fervit Ecclefiæ, interpretetur vocabulum fuum, & nominis definitione prolata nitatur effe quod dicitur; fi enim κλῆρος latine fors appellatur, propterea Clerici dicuntur, quod de forte Domini fint: vel quia Dominus fors, id eft, pars Clericorum eft.*

In

In hac porro Eccleſiæ Hierarchia, ſeu Clericorum ſtatu, diſtinguenda eſt poteſtas duplex: Ordinis videlicet, & jurisdictionis. Prima ſpectat ad Corpus Chriſti reale, ſeu miniſterium Sacrificii Altaris; eſtque propria Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Acolythis, Lectoribus &c. Altera ordinatur ad Corpus Chriſti myſticum, ſeu regimen fidelium; atque hæc cumprimis Papæ competit, tum Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, regulariter Epiſcopis, Archidiaconis, Parochis &c. Nobis, cum ſolum Ordinis Sacramentum explanandum habeamus, de primo duntaxat ſtatu agendum erit, ut qui ſolus ex Sacramento Ordinis proxime profluit, ſuamque poteſtatem accipit; de altero conſulendi ſunt Canoniſtæ, quorum fori eſt de jurisdictione Eccleſiaſtica, ac poteſtatis hujus variis gradibus & prærogativis pertractare.

Exiſtentia Ordinis Eccleſiaſtici contra Sectarios aſſeritur.

PRo Ordine, qui Sacramentum ſit, infra §. II. & III. pugnabimus; unde hic ſolum Ordinis, pro Hierarchia Eccleſiaſtica ſumpti, exiſtentia in ſenſu orthodoxo comprobanda eſt. Nimirum

I. Tertulliani jam ætate fuere hæretici, qui Clerico- 3
rum & Laicorum ordinem confunderent; quorum is errorem perſtringens L. de Præſcript. C. 14. *alius*, inquit, *hodie Epiſcopus, cras alius: hodie Presbyter, qui cras Laicus; nam & Laicis Sacerdotalia munia injungunt:* hinc ibid. ordinationes eorum vocat temerarias, leves, & inconſtantes. Atque hanc ipſam crambem poſt multa ſecula recoxerunt Lutherus & Calvinus, docentes: nihil eſſe Clericos inter & Laicos diſcriminis, omnesque perinde eſſe Sacerdotes, &

Evangelii Ministros. Id quod generatim dictum cum vel ipsis durius videretur, ita subinde se explicant: si quæ tandem (inquiunt) differentia est, ea non a jure divino, sed hominum duntaxat arbitrio repetitur. Non a jure divino: nam potestas & jurisdictio Ecclesiastica toti Ecclesiæ, quæ fideles omnes complectitur, concessa est; ab hominum arbitrio autem: quia a solo populi consensu dependet Ministrorum electio, & usus potestatis. Juxta Novatores igitur ministerii Ecclesiastici potestas non est stabilis: verum uti pro arbitrio populi huic aut illi conferri potest, ita pro arbitrio ejusdem rursum auferri; atque adeo, qui volente populo heri Sacerdos factus est, idem hodie in simplicem Laicorum ordinem redigi potest. Ita Lutherus L. de Capt. Babyl. item L. de abrog. Missa priv. & Calvin. L. 4. Instit. C. 4. Sed enim

4 II. Errori huic oppositum semper fuit dogma orthodoxum, secundum quod fide certum est: dari in Ecclesia Ordinem, pro sacra Hierarchia sumptum, eumque a Laicorum statu omnino esse jure divino diversum. Quid enim illa Apostoli verba 1. Cor. 12. V. 17. *Si totum corpus oculus, ubi auditus? si totum auditus, ubi odoratus? nunc autem posuit Deus multa quidem membra, unumquodque eorum in corpore sicut voluit.* V. 19. *Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ &c.* V. 18. *Quosdam posuit Deus in Ecclesia primum quidem Apostolos, secundo Prophetas &c.* Et demum ad Ephes. 4. V. 11. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus Ministerii in ædificationem Corporis Christi.* Quid inquam hæc, hisque plura in S. Literis similia indicant? nisi non omnibus fidelibus jure divino commune esse Ecclesiæ mi-

miniſterium; hoc igitur eodem jure Miniſtri Eccleſiaſtici a cætero fidelium ſtatu, ſeu Laicis diſcernuntur. Inde Hieronymus ad quemdam ſuum Levitam ſcribens, ut refertur C. 12. qu. 1. Cap. *Duo ſunt*, apertis verbis Clericos inter & Laicos differentiam ab electione divina repetit: *Duo ſunt*, inquit, *genera Chriſtianorum. Eſt autem unum genus, quod mancipatum divino officio - - ab omni ſtrepitu temporalium ceſſare convenit, ut ſunt Clerici - - κλῆρος, latine ſors; inde hujusmodi homines vocantur Clerici, id eſt, ſorte electi: omnes enim Deus in ſuos elegit. - - Aliud vero genus eſt Chriſtianorum, ut ſunt Laici; λαός enim Græce, eſt populus latine &c.*

Pluribus in hanc rem ex Scriptura, Patribus, & Conciliis diſputat Bellarminus Tract. de Clericis; nosque ipſi jam quædam iſthuc facientia retulimus L. I. de Sacr. in gen. Diſſert. IV. §. I. a N. 110. unde ad Novatorum Objecta reſponderi poteſt. Vide etiam Concil. Tridentinum Seſſ. 23. de Sacr. Ord. doctrinam hanc compluribus Capitibus ita declarans, ut demum Can. 6. anathemate feriat eum, *qui dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris.*

Ordinum in Eccleſia varietas.

I. SEptem Eccleſiaſticos Ordines enumerat Conc. Trid. Seſſ. 23. Cap. 2. nimirum Sacerdotis, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Exorciſtæ, Lectoris, & Oſtiarii. Epiſcopatus, tametſi & ipſe ſit Ordo, ſpeciatim tamen inter Ordines non recenſetur: quia includitur in Sacerdotio, eſtque quoddam majoris Sacerdotii genus. Idem eſt de Ordine Cantoris, ſeu Pſalmiſtæ. Hinc Bellarm. L. 1. de Clericis 5.

ricis C. 11. *Etsi enim*, inquit, *Episcopus & Presbyter distinguantur*, *tamen quantum ad Sacrificium* (unde repetitur Ordinum diversitas) *idem omnino ministerium exhibent ; proinde unum Ordinem*, *non duos faciunt : sicut etiam Lector & Cantor*, *seu Psalmista.* Priores porro tres Ordines dicuntur *majores* , & *sacri* : quia per illos plus potestatis confertur, estque illis adnexum castitatis votum, quo ordinati specialiter Deo consecrantur ; reliqui quatuor *minorum & non sacrorum*, nomine veniunt ex ratione opposita.

Atque hos nunc ex Tridentino recensitos Ordines pro veris & proprie talibus tota recipit Latina Ecclesia ; quod vero præterea quidam de eorum numero ac differentia anxie disputant, Scholasticæ duntaxat est controversiæ. Sunt nimirum, qui cum Cajetano Episcopatum ita adjiciendum putent, ut nominatim octo distinctos Ordines numerare sit necessum. Canonistæ etiam multi primam tonsuram (quæ ex communiore opinione est mera ad Ordines præparatio & dispositio) verum Ordinem esse contendunt ; ut adeo his novenarius sit Ordinum numerus. Imo non desunt, qui ex Conc. Carthaginensis IV. Can. 2. decennarium statuant, addito videlicet distincto *Cantorum* Ordine. Hæc interim opinionum varietas unitati doctrinæ Catholicæ non officit ; quando omnes hi DD. in eo consentiunt, supra enumeratos septem Ordines esse veros, eosque in Ecclesia dari : quod unum Synodus Tridentina declarandum suscepit.

6 II. Major controversia est de Orientalibus: num & hi videlicet, præter Sacerdotis, Diaconi, Subdiaconi, & Lectoris Ordines, etiam tres reliquos cum Latinis admittant ?

Ac de hoc quidem si veterum consulantur testimonia, vix certi aliquid statui potest. Equidem Ignatius M. in Ep. ad

ad Antioch. *Saluto*, inquit, *sanctum Presbyterium*, - - *Diaconos*, - - *Subdiaconos*, *Lectores*, *Cantores*, *Ostiarios*, *Laborantes*, *Exorcistas*, *Confessores*, - - *Janitrices*, - - *Virgines*, *&c.* Et Synodus Laodicena Can. 24. hos Ordines recenset: *Presbyteros*, *Diaconos*, *Ministros*, *Lectores*, *Cantores*, *Exorcistas*, *Ostiarios*, *&* *Ascetas.* Demum ipse Epiphanius in Exposit. Fidei C. 21. postquam Ecclesiæ Ministros nominavit *Episcopos*, *Presbyteros*, *Subdiaconos*, *&* *Diaconissas*, addit: *postea sequuntur Exorcistæ & linguarum interpretes*, - - *sequuntur laborantes*, *qui mortuorum corpora curant*, *tum Janitores*, *&* *omnis series.* His inquam locis plures, quam memorati quatuor, numerari videntur Ordines; verum tam ab Ignatio M. (præterquam, quod ejus cit. Epist. multorum opinione sit suppostitia) quam a Synod. Laodicena & Epiphanio non sumitur isthic universim nomen Ordinis in sensu vero ac proprio: præter Episcopos enim, Presbyteros &c. nominantur etiam laborantes, seu Fossarii, Ascetæ, Interpretes linguarum, Janitrices, Virgines &c. qui omnes profecto non consecrabantur peculiari ordinatione. Ex eo itaque, quod laud. locis post Presbyteros & Diaconos fiat mentio Ostiariorum, & Exorcistarum, non continuo sequitur, hos etiam pro veris Ordinibus habitos in Orientali Ecclesia.

Quod si vero posteriora attendas tempora, videtur certum, Orientalibus quatuor duntaxat esse Ordines, Presbyteri scilicet, Diaconi, Subdiaconi, & Lectoris: non autem etiam Acolythi, Exorcistæ, & Ostiarii. Grave in hanc rem argumentum est ex Concilio Constantinopol. IV. An. 869. in hoc enim Act. 10. Can. 5. statutum legimus; ut ad Episcopatus honorem evehendus *per omnes gradus Ecclesiasticos definitis temporibus* - - *transiisse reperiatur*, - - *sic*

 ut

ut in Lectoris munere annum, in Subdiaconi duos, in Diaconi tres, in Sacerdotii quatuor annos expleat; ubi nulla fit mentio trium reliquorum minorum Ordinum. Nec dubium est, hanc ipsam Orientalium disciplinam agnovisse Innocentium IV. in Ep. ad Othonem Cardinalem, eundemque suum in Cypro Legatum An. 1254. data, in qua Græcos Latinis conformari volens hæc scribit: *Expresse præcipimus, quod Episcopi Græci septem Ordines secundum morem Ecclesiæ Romanæ de cætero conferant; cum hucusque tres de minoribus circa ordinandos neglexisse, vel prætermisisse dicantur. Illi tamen, qui jam sunt taliter ordinati per eos, propter nimiam ipsorum multitudinem, in sic susceptis Ordinibus tolerentur.* Hoc interim Pontificis Decretum a Græcis receptum non est, minus ab Orientalibus reliquis. Certe ætate etiam nostra Græcis, Jacobitis, Coptitis, Æthiopibus, Syriis, quin Orientalibus omnibus unum duntaxat Lectoris & Cantoris (nam hos in eodem gradu collocant) in usu esse Minorem Ordinem testatur Auct. Perp. Fid. Tom. 5. L. 5. C. 6. ubi simul addit: ex eorum disciplina per Lectorem exerceri ministeria reliqua, quæ apud Latinos propria sunt Acolythis, Exorcistis, & Ostiariis. Ex quo colligas Orientales una eademque ordinatione Lectori conferre potestatem cæterorum etiam trium Ordinum: atque adeo unum Lectoris Ordinem quatuor distinctis nostris apud eos æquivalere. Quod quidem satis indicat, nos inter & illos non intercedere in substantia differentiam quoad ipsos Minores Ordines.

Ordinum eorundem munia.

NOn aliunde hæc innotescunt certius, atque ex ipsa ordinatione: in hac quippe ordinati de Ordinis accepti po-

potestate, ejusque exercitio speciatim commonentur, ut videre est in Pontificali Romano. Juxta hoc igitur

I. Presbyteri munus est; *offerre* Sacrificium Missæ, *benedicere*, *præesse*, *prædicare*, & *baptizare*; item fideles a peccatis absolvere, ad quod potestas ei confertur per verba, *accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata &c.* In his attamen omnibus dependet ab Episcopo, cujus in Ecclesia adjutorem agit. Inde hæc ipsa munia potiori jure competunt Episcopo, ceu in eminentiore Sacerdotii gradu posito, eidemque Ecclesiæ Pastori & Præposito. Præter hæc interim & alia habet Ordini suo peculiaria; ipsius enim est consecrare, ordinare, & confirmare. De singulis his eum in ordinatione moneri constat ex Pontificali. Ita ante impositionem manuum dicitur: *Episcopum oportet judicare, interpretari, consecrare, ordinare, offerre, baptizare, & confirmare;* deinde vero in Pastoralis Baculi, annuli, & Evangelii porrectione: *ut sit in corrigendis vitiis pie sæviens, judicium sine ira exercens &c. ut sanctam Ecclesiam illibate custodiat, Evangelium prædicet populo sibi commisso.* De his Episcopi muniis copiose agit Trident. Seff. 5. 6. 22. 23. 24. 7

II. E Ministris ad Altaris obsequium deputatis Sacerdoti proximi sunt Diaconus & Subdiaconus. Hinc *Diaconum* (ut notatur in Pontificali) *oportet ministrare ad Altare, baptizare & prædicare;* quo postremo speciatim designatur etiam *Evangelii in Ecclesia lectio*, ad quod potestatem accipit per porrectionem Libri Evangeliorum. In Ecclesia veteri præterea proprium Diaconi munus erat Eucharistiam ad absentes deferre, eamdem absente Sacerdote Laicis porrigere, urgente mortis periculo pœnitentes publicos 8

cos reconciliare Ecclesiæ, ejusdem bona administrare, & dispensare eleemosynas. Subdiaconi ex eodem Pontificali munus est, *aquam ad ministerium Altaris præparare, Diacono ministrare, pallas Altaris & corporalia abluere, Calicem & patenam in usum Sacrificii eidem offerre, ac denique sacras Epistolas in Ecclesia legere.* Ex quo patet, Subdiaconos ordinari in adjutorium Diaconi quoad ministerium Altaris: hinc Latinis (juxta Rabanum & Isidorum) Subdiaconi idem sunt, ac *Subministri*: Græcique eos propterea vocant ὑποδιακόνυς, *hypodiaconos*, vel etiam ὑπηρέτας, administros.

9 III. Quatuor Minorum Ordinum officia his in laud. Pontificali describuntur verbis. *Acolythum oportet ceroferarium ferre; luminaria Ecclesiæ accendere; vinum & aquam ad Eucharistiam ministrare, Exorcistam oportet abjicere dæmones; & dicere populo, ut, qui non communicat, det locum; & aquam in ministerio fundere. Lectorem oportet legere ea, quæ* (speciatim notatur hoc loco, *vel, ei qui*) *prædicat, & Lectiones cantare; & benedicere panem, & omnes fructus novos. Ostiarium oportet percutere cymbalum & campanam; aperire Ecclesiam & Sacrarium; & librum aperire ei, qui prædicat.* Ad hæc omnia peculiaris potestas confertur in memoratis Ordinibus, tametsi ex hodierno Ecclesiæ more complura eorum ab ordinatis non exerceantur.

§. II.

An detur aliquod Ordinis Sacramentum a Christo institutum? & quod illud?

PRæcipua hoc L. nobis est cum Novatoribus controversia de Ordinis, vel potius Ordinationis Sacramento: num

num aliquod videlicet in Eccleſia detur, illudque tale, cujus inſtitutio Chriſtum habeat auctorem? de qua antequam pronuntiemus, notanda erit

Inter Novatorum errorem, & DD. Catholicorum opiniones differentia.

I. Lutherus L. de Capt. Bab. C. de Ord. negat ullam 10
in Eccleſia Ordinationem eſſe verum legis novæ Sacramentum; quem ſecuti ſunt Illyricus in Confeſſ. Antverpienſi C. 11. & Chemnitius Par. 2. Examinis in Diſp. de Sacram. Ordinis. Ejusdem ſententiæ fuit Calvinus, cum (teſte Bellarm. L. de Sacr. Ord. C. 1.) in plerisque locis duo tantum ſtatuat Sacramenta, Baptiſmum videlicet, & Cœnam; idem nihilominus L. 4. Inſtit. C. 14. §. 20. & C. 19. §. 31. agnoſcit Ordinationem eſſe verum Sacramentum: duoque ſe tantum antea poſuiſſe ait propterea, quod loqueretur de Sacramentis, quæ omnibus fidelibus ſunt communia. De hodiernis Sectariis univerſim ſtatui nihil poteſt: quando eorum aliqui Anteſignanorum veſtigia preſſe inſiſtunt, alii magnam partem ab illis declinant. Ipſe certe Philippus Melanchton, tametſi in Locis primo editis cum Luthero ſentiret, in Locis tamen poſterius editis, nempe ſeculi XVI. Ann. 36. 52. & 58. Ordinationem contendit eſſe Sacramentum: idemque docet in Apolog. Conf. Auguſt. Ar. 13. ut refert. laud. Bellarminus.

II. Quod jam vero ad DD. Orthodoxos attinet, ne- 11
mini unquam eorum in mentem venit de Ordinis Sacramento ambigere: dari illud ac tale eſſe ſaltem Sacerdotis ordinationem, omnes profitentur. Inde diſcordes illorum in præſenti opiniones eo duntaxat ſpectant: num, præter

Sacerdotii Ordinem, reliquis etiam ratio Sacramenti conveniat? Atque in hoc omnino variæ sunt DD. sententiæ. Episcopi ordinationem pars major cum Altissiodorensi, Scoto, & Cajetano verum esse Sacramentum admittit; negat contra Dominicus Soto cum quibusdam veteribus. Eadem prærogativa Diaconi, & Subdiaconi ordinationi communiore Scholarum suffragio attribuitur; Durando interim & Cajetano cum paucis, præsertim de Subdiaconatu, oppositum videtur. Plus controversiæ habet Minorum Ordinum collatio: Sacramentis eam accensent Albertus, Richardus, Valentia, Sylvius, Amicus &c. ex adverso e numero eorum expungendam volunt Durandus, Cajetanus, Navarrus, Vasquez, & e Recentioribus multi cum Ludov. Habert. Tournelyo &c. Sed nimirum hæc opinionum varietas nihil commune habet cum Novatorum errore: aliud quippe est (quod illi ajunt) nullum dari Ordinis Sacramentum; aliud existentiam ejus admittere, simul unanimi consensu rationem Sacramenti in Sacerdotio profiteri, solumque de cæteris Ordinibus controvertere, quod unum fit a DD. Catholicis.

Atque hac Novatores inter & Orthodoxos observata in præsenti argumento differentia, id deinceps solum ex proposito disceptandum suscipimus, quod ex sensu Ecclesiæ de Ordinis Sacramento fide certum est contra Sectarios; ea vero, quæ ad Scholasticorum controversias pertinent, compendio expediemus in Corollario. Sit itaque

ASSERTIO I.

Ordinatio saltem aliqua est verum Legis novæ Sacramentum a Christo institutum.

Fide certum esse istud constat ex Trident. quod Sess. 23. de Sacr. Ord. Can. 3. anathemate interposito definit, *Ordi-*

dinem, ſive ſacram Ordinationem eſſe vere & proprie Sacramentum a Chriſto Dom. inſtitutum. Eſt autem hæc definitio conformis Scripturæ & Traditioni, ut docebit argumentum duplex ex his fontibus ductum.

Argumentum I. quod ex Scriptura petitur, ſuggerunt loca ſequentia. Act. 13. V. 3. de Ordinatione Pauli & Barnabæ dicitur: *tunc jejunantes & orantes, imponentesque eis manus dimiſerunt illos.* Paulus monet Timotheum in 1. ad eum Ep. C. 4. *noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per Prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterii.* Et rurſum in 2. ad eundem Ep. C. 1. *admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* His jam vero locis agi de ritu, quo Paulus, Barnabas, & Timotheus in Miniſtros Eccleſiæ ordinati ſunt, dubitari nequit; quid autem ritui huic deſit, quo minus Sacramentum dicatur? 12

Certe vel Novatores ad rationem Sacramenti non plus requirunt, quam ſignum externum, promiſſionem gratiæ, inſtitutionem Chriſti, ſeu mandatum divinum de uſurpando id genus ſigno ad conferendam gratiam. An non autem *oratio & manuum impoſitio* ſunt ſignum externum? An non huic ſigno annexa eſt *gratia*, quam Apoſtolus ait in Timotheo *eſſe per impoſitionem manuum?* gratiam porro hanc peculiarem fuiſſe, eam videlicet, quæ conjuncta fuerit cum poteſtate Ordinis, conſtat ex illo 1. ad Tim. 5. *nemini cito manus impoſueris;* his quippe verbis aperte indicat Apoſtolus, Timotheum per impoſitionem manuum conſecutum fuiſſe etiam poteſtatem aliis manus imponendi, ſive ordinandi. An denique ſignum hoc caruit inſtitutione & mandato Chriſti? quando certum eſt Apoſtolos & eorum Suc-

cessores sacro Ordine initiandis manus imposuisse, utique autem non sine mandato Christi: neque enim alias per manus impositionem conferre potuissent gratiam & potestatem ministerii.

13 Argumentum II. in Traditione fundatum conficitur ex Patribus, Conciliis, & Consensione Occidentalis & Orientalis Ecclesiæ.

Et ex Patribus quidem in rem præsentem Bellarminus L. de Sacr. Ord. C. 3. multos laudat, nimirum Dionysium Areop. Cyprianum, Chrysostomum, Innocentium I. Ambrosium, Hieronymum &c. qui apud eum videri possunt; nobis sat erit duorum verba recitasse. Ac primum quidem audiendus est Augustinus L. 2. contra Epist. Parmen. Donatistas ita impugnans: *explicent, quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, & Sacramentum ordinati possit amitti; si enim utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & illud amittitur? neutri Sacramento injuria facienda est.* Altero loco sit Leo M. qui Ep. 81. ad Dioscorum Alexandr. jejunium esse Ordinationi præmittendum contendens, pro causa reddit: *ut intelligamus, quanta & dantium, & accipientium devotione curandum sit, ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum.* En! ab utroque Ordinatio dicitur Sacramentum: & ab Augustino quidem perinde ac Baptismus, idque tam fidenter, ut neminem de hoc dubitare asserat.

E Conciliis fateor, præter Florent. & Tridentinum, nullum est aliud, quod Ordinationem apertis verbis doceat esse Sacramentum; si tamen eorum Canones invicem conferantur, haud difficulter doctrina eadem ex iis deducitur. Cum

Cum enim velint esse peculiares Ordinationis Ministros, eandem dicant conferri manus impositione, hac vero gratiam Dei &c. ultro consequitur, in Ordinationis ritu rationem Sacramenti agnovisse Concilia. Vide pro fronte hujus Libri cit. Canones. De consensione demum Græcorum cum Latinis non est, quod speciatim differamus; evincunt eam vel illa, quæ L. I. de Sacr. in gen. Differt. II. §. II. N. 46. pro septenario Sacramentorum numero notavimus. Qui plura volet, consulat Auctorem Perp. Fid. Tom. 5. L. 5. C. 4. & seqq.

ASSERTIO II.

Sacerdotis Ordinatio est verum ac proprie tale Sacramentum, illudque ab ipso immediate Christo pridie mortis in Cœna ultima institutum.

PArs I. certa est ex jam præmissa Assertione I. Etenim 14
juxta illam fidei dogma est, aliquam Ordinationem esse Sacramentum; quæ autem illa? de Ordinatione Episcopi, Diaconi, Subdiaconi, & Minorum Ordinum controvertitur non modo a Novatoribus, sed & Catholicis: omnes contra Catholici de Sacerdotio consentiunt, neque ullus omnino est Ordo, cui magis proprie conveniat Sacramenti ratio; ergo fidei dogmatis accenseri debet, Ordinationem Sacerdotis esse Sacramentum.

Atque istud prorsus conforme est Tridentino; tametsi enim hoc nuspiam disertis verbis definiat præsentem doctrinam, certo attamen illa colligitur ex iis, quæ de Sacerdotio docet. Nimirum Seff. 23. Cap. 1. declarat, in Ecclesia Dei esse *externum Sacerdotium, quod a Domino Salvatore institutum est: atque Apostolis, eorumque Successoribus*

 in

in Sacerdotio traditam eſſe poteſtatem conſecrandi, - - nec non & peccata dimittendi & retinendi; Cap. 4. damnat eos, *qui aſſerunt novi Teſtamenti Sacerdotes temporariam poteſtatem habere; ac* (ut omittam alia) Can. 4. anathema fert in eum, *qui dixerit, per ſacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum: ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere,* Accipe Spiritum Sanctum: *aut per eam non imprimi characterem, vel eum, qui Sacerdos ſemel fuit, Laicum rurſus fieri poſſe.* Igitur Tridentinum docet, Sacerdotium eſſe aliquid externum, cui ex inſtitutione Chriſti annexa ſit gratia Spiritus Sancti, ac etiam cum charactere ſtabilis poteſtas conſecrandi & abſolvendi; quid vero amplius deſideres, quo dici poſſit ex mente Tridentini Sacerdotium eſſe verum Sacramentum?

Sed enim (inquies) licet iſtud ex Tridentino recte deducatur, deſideratur attamen aperta definitio. Ita res omnino ſe habet, non diffiteor; at neque nos Aſſertionis hujus doctrinam inter fidei dogmata referimus propter ſolam Tridentini declarationem: verum potiſſimum propter certam Univerſæ Eccleſiæ conſenſionem. Conſtat nimirum univerſim Græcam perinde, ac Latinam Eccleſiam pro vero Legis novæ Sacramento habere Sacerdotis Ordinationem: cum igitur iſtud ad fidei materiam pertineat, & in hac Univerſæ Eccleſiæ judicium falli non poſſit, cenſendum eſt, fide certum eſſe de Sacerdotii Sacramento aſſertum.

15 Pars II. etiam indubitata eſt ex ſenſu Eccleſiæ, de quo ſatis fuerit audire Tridentinum Seſſ. 22. Cap. 1. ubi de Chriſto ait: *In Cœna noviſſima, qua nocte tradebatur - - Sacerdotem ſecundum Ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, Corpus & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus pa-*

panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite &c. *uti semper Ecclesia Catholica intellexit & docuit.* Ex mente igitur Tridentini, & totius Ecclesiæ in Cœna ultima Christus Apostolis contulit præcipuam Sacerdotii potestatem, conficiendi videlicet Eucharistiam, idque per verba, *Hoc facite &c.* quod quid aliud est, quam ipsum Christum instituisse Sacerdotium? Alteram interim potestatem, quæ pariter Sacerdotibus est propria, ac ad remittenda peccata pertinet, non nisi post resurrectionem Joan. 20. fuisse a Christo Apostolis complete concessam, jam alias L. V. Differt. I. §. II. docuimus.

Refelluntur Novatorum argumenta.

COntra primam Assertionem opponunt I. Manus impo- 16
sitio, cujus meminit Lucas in Act. Apost. & Paulus in sua ad Timoth. Epistola, non fuit ritus Ordinationis sacramentalis; haud recte igitur ex ea intuleris Ordinationem esse Sacramentum. Assertum porro hoc suum his fere momentis fulciunt. Manus impositio, ajunt, olim fuit cæremonia communis, qua suffragium ferebatur in electione & deputatione alicujus ad Magistratum profanum perinde ac sacrum; id quod satis indicat vox χειροτονία, nam teste Zonara in Can. 1. Apost. *ipsum suffragium quondam nominatum est chirotonia, - - quatenus eligentes ferunt solitos extendere manus.* Inde & Apostoli ex more tum recepto suffragia sua quælibet manuum impositione exprimebant: seu videlicet pro infirmorum salute orarent juxta illud Marci 16. *super ægros manus imponent;* seu deprecarentur Deum

pro

pro peccatorum venia alicui obtinenda, vel dono Spiritus Sancti Neophytis impetrando; seu cum aliquem ad Ecclesiæ ministerium deputarent. Quid, quod deinde etiam varius in Ecclesia fuerit usus manus impositionis, ut e. g. in cæremoniis Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ, cujuslibet benedictionis &c.

II. Memorata ab Apostolo manuum impositio non poterat esse Sacramentum, nisi per illam conferretur proprius Sacramento effectus, hoc est, gratia sanctificans; at hanc fuisse collatam frustra asseritur: gratia enim illa, cujus Timotheo datæ meminit Paulus, ea duntaxat fuit, quam *gratis datam* dicimus, donum videlicet Prophetiæ, doctrinæ &c. Quam in rem facit illud, quod Apostolus in laud. Epist. utatur voce χαρίσμα, qua significatur *gratia gratis data;* quod item dicat gratiam illam fuisse datam *per Prophetiam*, seu (ut multi exponunt) *in Prophetiam*, proinde ad prophetandum & evangelizandum: quo ipso sensu gratiam hanc interpretantur Hieronymus & Chrysostomus, in cit. Apostoli locum commentantes.

Resp. ad I. N. Ant. cujus falsitas patet ex N. 12. Sed nec momenta Novatorum evincunt quidquam. Fatemur equidem manuum impositionis ritum olim communem fuisse, eumdemque ab Apostolis, ac postea etiam ab Ecclesia in usus complures adhibitum; an vero propterea hæc nominatim manuum impositio, cujus ad Timoth. Paulus meminit, rationem Sacramenti Ordinis habere non potuit? Certe Baptisma etiam olim commune fuit Pharisæis & Judæis omnibus, ejusque usus plane varius: teste enim Marco C. 7. V. 4. *nisi baptisentur, non comedunt; & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum, & urceorum*

rum, *& æramentorum*, *& lectorum;* nec tamen idcirco vel Novatores e numero Sacramentorum expungi volunt Baptiſma, quo initiamur Chriſtiani. Nimirum, cum ritus aliquis eſt communis & ad plura indifferens, per intentionem Miniſtri & verba ab eo prolata ſufficienter determinatur ad id, ut nunc quidem evadat ſacer potius, quam profanus, hocque potius ſpeciatim, quam aliud Sacramentum.

Reſp. ad II. neutrum, quod Novatores proferunt, evincere gratiam duntaxat *gratis datam* eſſe illam, de qua Paulus monet Timotheum. Quamvis enim χαρίσμα etiam id genus gratiam ſignificet, eamque Timotheus per impoſitionem manuum acceperit: propterea attamen non eſt continuo excludenda ſanctificans gratia. Quis enim dicat Neophytos, quibus Apoſtoli imponentes manus conſerebant dona linguarum, prophetiæ &c. ſolas has accepiſſe gratias, & non etiam ſanctificantem gratiam, ſeu charitatem per Spiritum S. in cordibus diffuſam? quam ipſam Apoſtolus vocat *Chariſma melius & excellentius*, ut patebit conferenti verſ. ultimum ex Ep. 1. ad Cor. Cap. 12. cum ſequ. C. 13. Ac revera Timotheo, præter *gratiam gratis datam*, etiam *gratum facientem*, ſeu ſanctificantem eſſe datam ipſe indicat Apoſtolus, cum Ep. 2. ad eund. C. 1. V. 7. gratiam per impoſitionem manuum acceptam vocat *Spiritum virtutis*, *& dilectionis*, *& ſobrietatis;* qui quidem Spiritus referri nequit inter gratias gratis datas, ut quæ in aliorum duntaxat commodum conceduntur.

Hinc jam autem ultro conſequitur: verba illa *per prophetiam*, vel *in prophetiam*, eorumque apud cit. Patres expoſitionem, ſenſu duntaxat poſitivo ſumendam eſſe,

 non

non exclusivo. Quamquam, si rem attentius expendere velimus, multo verisimilius sit, Apostolum isthic illo *per prophetiam* non intellexisse Ordinationis effectum, sed causam; revelationem videlicet sibi factam de Timotheo ordinando. Colligitur istud ex 1. ad Timoth. Ep. C. 1. ubi V. 18. ita scribit: *hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee! secundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam &c.* Ut adeo Apostoli ad Timotheum verba, quæ objiciuntur, hunc sensum faciant: noli negligere gratiam, quæ data est tibi, cum te ordinavi juxta revelationem mihi de tui ordinatione factam. Atque omnino hæc est communior verborum Apostoli interpretatio.

17 Assertio altera his fere impugnatur. I. Christus in ultima Cœna Apostolis contulit Sacerdotium absque ullo ritu externo sacramentali; nec legitur uspiam dedisse mandatum ritus alicujus externi in ordinandis Sacerdotibus usurpandi; quamvis autem idem Joan. 20. in Discipulos insufflaverit, cum eis absolvendi a peccatis potestatem daret, hic nihilominus insufflationis ritus ab Ecclesia Catholica non observatur: actio igitur illa externa, qua Sacerdotes ordinantur, nullo jure dici potest Sacramentum a Christo institutum.

II. Apud ipsos Catholicos controvertitur de Ordinationis Sacerdotalis materia & forma; rectius ergo dicitur Ordinationem hanc fieri per quamlibet electionem, & deputationem solam: præsertim cum constet ex Gregorio Nyss. in vita S. Gregorii Thaumaturgi, eum absentem fuisse in Episcopum consecratum, sola proinde Superiorum voluntate & deputatione. Quod si vero Sacerdotis Ordinatio peragi

agi possit sine ritu externo, qui materiæ & formæ rationem habeat, legitime infertur, eam non esse Sacramentum.

Resp. ad I. Quod ajunt Novatores, nullo ritu externo Christum fuisse usum in conferenda Apostolis Sacerdotali potestate, id omnino falsum est. Quid enim verba illa, *hoc facite in meam commemorationem:* quid item insufflatio cum verbis, *accipite Spiritum S. quorum remiseritis &c.* quid hæc, inquam, nisi signa sensibilia sunt, & ritus externus? At ritus hic (inquient) non erat Sacramentum; esto: iidem certe Apostoli in Pentecoste corroborantem Spiritus S. gratiam sine Confirmationis Sacramento obtinuerunt; verum hinc non recte intuleris, Confirmationis & Ordinis Sacramenta non esse a Christo instituta. Nimirum virtus Christi non erat alligata certis signis aut Sacramentis; potuit ergo ipse Ordinis potestatem & gratiam Apostolis conferre sine ullo ritu, aut signo quolibet, tametsi hoc non esset Sacramentum: iis nihilominus mandatum dare, ut in Successoribus ordinandis ritu Sacramentali uterentur. Tale porro mandatum, etsi nuspiam in Scriptura sit expressum, fuisse tamen a Christo datum, vel inde colligitur: quod & ipsi Apostoli ita ordinasse alios legantur, idemque Ecclesia constanter observaverit. Atque hinc jam expeditum est Responsum ad id, quod Sectarii in Object. altero loco oggerunt; imo etiam ad tertium. Vel ideo enim, quod Apostoli (idem est de Ecclesia) in ordinandis Sacerdotibus insufflatione usi non fuerint, censendum est, nullum esse Christi mandatum de Ordinatione Sacramentali hoc nominatim insufflationis ritu perficienda.

Resp. ad II. Doctorum de materia & forma controversias nihil favere Sectariis; quantumlibet enim illæ (ut vi-

videbimus Diss. II.) graves sint, omnes tamen Catholici in eo consentiunt, ad Sacramentum Ordinis opus esse signo aliquo sensibili; neque sine illo unquam Sacramentalis Ordo ministratur. Istud vero sufficit ad vim argumenti nobis objecti elidendam. Gregorium Nyss. certe perperam appellant Novatores: nam quod de absentis Gregorii Thaumaturgi consecratione scribit, intelligendum est de electione tantum, non etiam ordinatione; præsentem enim deinde fuisse ordinatum satis indicat, cum addit, Episcopi munia eum non exercuisse, nisi *omnibus post hæc, quæ fieri solent, legitimis seu solemnibus in eo peractis.*

Corollarium.

De Ordinatione Episcopi, Diaconi, Subdiaconi, & quatuor Minorum.

18 I. CErtum est, Episcopatum esse verum Ordinis Sacramentum, idque a Presbyteratu diversum.

Ratio 1*mi* fundatur in illo 1. ad Tim. 4. *noli negligere gratiam &c.* quibus verbis, ex communi interpretum sensu, significatur Timothei in Episcopum Ordinatio; hæc vero, cum facta sit ritu externo, eoque a Christo instituto, & gratiæ collativo, ut supra N. 12. probatum est, non potuit non esse verum Sacramentum. Idemque plane ex eadem causa sentiendum est de reliquis deinde in Ecclesia factis, ac hodiernis etiam Episcoporum Ordinationibus; præsertim cum in omnibus Pontifex ordinans Episcopo ordinando imponens manus dicat, *Accipe Spiritum Sanctum*: hæc vero non frustra dici, ac proinde per id genus Ordinationem Spiritum Sanctum, hoc est, ejus gratiam dari definiat Trident. Sess. 23. Can. 4. Atque hoc ipsum jam an-

antea docuerunt Patres; pro omnibus ſit Ambroſius, qui L. de dignitate Sacerd. C. 5. *quis dat*, inquit, *Epiſcopalem gratiam? Deus, ſed tamen per hominem dat Deus; homo imponit manus, Deus largitur gratiam.* Sed & Patres apertis verbis fatentur Epiſcopatus Ordinem eſſe Sacramentum. Ita Leo M. ſerm. 1. in Anniverſario ſuæ aſſumptionis, de conſecrat. Epiſcop. ait: *cum hujus divini Sacerdotii Sacramentum etiam ad humanas pervenit functiones &c.* & Ep. 87. monens, ut juxta Apoſtolum *is Epiſcopus ordinetur, quem unius uxoris virum fuiſſe, aut eſſe conſtiterit &c.* ſubdit, *quis ergo diſſimulare audeat, quod in tanti Sacramenti perpetratur injuriam, bigamum ordinando Epiſcopum?* Reliquos PP. vide apud Bellarm. L. de Sacr. Ord. C. 5. ubi præclara eſt ejus hæc animadverſio: in Scripturæ locis, quibus probatur Ordinis Sacramentum, agi de ordinatione Epiſcopali; ut adeo, ſi hæc non ſit Sacramentum, ex Scriptura aperte probari nequeat Ordinationem eſſe Sacramentum.

Ratio 2*di* eſt, tum quod alio ritu ordinetur Epiſcopus, alio Presbyter, ut conſtat ex pleriſque Cypriani Epiſtolis, item Concilii Carthagin. IV. Can. 2. ac recepta a veteri Eccleſiæ diſciplina; tum quod Epiſcopatus præter poteſtatem Sacerdotii (quod neceſſario ſupponit) aliam præterea poteſtatem ſibi propriam habeat, ordinandi videlicet & confirmandi: diverſum igitur etiam a Sacerdotio characterem, & gratiæ effectum peculiari huic poteſtati reſpondentem. Utrumque vero iſtud Ordinis perinde ac Sacramenti diverſitatem ſatis declarat.

II. Certum etiam eſt Ordinationem Diaconi eſſe Sacramentum. Quid enim illi ad hanc prærogativam deſit? 19

Peragitur ritu externo; ipsi certe jam Apostoli Act. 6. hoc Ordine initiandis *orantes imposuerunt manus.* Ritum porro hunc operari gratiam, indubitatum reddit usitata Latinis forma, *accipe Spiritum Sanctum*: operari vero Ordinis characterem, docet stabilis potestas, unde iterari non potest. Non deesse item Diaconatui institutionem divinam, colligitur tum ex eo, quod jam Apostoli Ordinem hunc contulerint; tum quia Trident. Sess. 23. Can. 6. definit, *Hierarchiam divina institutione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris*: quo postremo nomine Diaconos saltem intelligi necessum est. His omnibus momentum addat communis Theologorum sententia, ac etiam auctoritas Anastasii II. Papæ, qui in sua ad Anastasium Imp. Epistola simul asserit in Presbyterorum & Diaconorum Ordinatione gratiam conferri, simul ordinationem utramque vocat Sacramentum.

Neque dicas: Diaconos non esse a Christo institutos, verum ab Apostolis Act. 6. & quidem in mensarum duntaxat ministerium. Etenim loco cit. ordinasse quidem Diaconos leguntur Apostoli, at non instituisse eorum Ordinem: supposita igitur Christi institutione ipsi deinde ordinationem perfecisse censendi sunt, ut in simili jam supra N. 12. arguimus. Quamvis autem primi Diaconi ex occasione corporalis ministerii ab Apostolis ordinati sint, non tamen ad hoc solum, quin præcipue ad munus spirituale. Nimirum (quod constat ex Pauli Epistolis ad Philipp. ad Timoth. & Tit.) jam tempore Apostolorum fuerunt Diaconi etiam Philippis, Ephesi, & in Creta: quibus tamen locis non erat opus mensarum ministerio, cum ibidem Christiani non viverent in communi. Philippus ipse, e primis Diaconis unus, non dabat mensis præcipue operam, sed prædicatio-

tioni & Baptismo Act. 8. reliquos etiam Diaconos fuisse Altaris & Sacramentorum Ministros certum est ex Justino Apolog. 2. in fine, Tertulliano, & aliis.

At forte Patrum saltem aliqui huic sententiæ adversantur? quod sciam, nullus. Opponitur equidem ex Cypriano L. 3. Ep. 9. verum isthic non aliud vult, quam quod Christus Episcopos tantum & Presbyteros ordinaverit: non etiam Diaconos; at hinc profecto arguere non licet, neque institutum esse a Christo Diaconatus Ordinem. Anacletus autem Ep. 3. & Damasus Ep. 4. contra Chorepiscoporum arrogantiam solum docent: Christum instituisse tantum duos Ordines Sacerdotum, Episcoporum videlicet in Apostolis, & Presbyterorum in 72. Discipulis; nullum proinde Sacerdotum Ordinem præterea dari alium, quem Chorepiscopi arrogabant.

III. Non perinde certum est de Subdiaconatu, mul- 20
to autem amplius controversum de quatuor Minoribus, num hi quoque Ordines inter Sacramenta referendi sint? Nulla nimirum eorum in S. Literis fit mentio; quamvis autem Traditione accepti sint, hæc ipsa nihilominus, quantum ad rationem Sacramenti pertinet, est admodum obscura; non conferuntur manus impositione, quam tamen multi volunt esse essentialem (saltem partialiter) materiam Ordinationis sacramentalis; forma eorum non complectitur ea verba, quibus dicatur ordinato dari Spiritus Sanctus &c.

Ut ut interim ista se habeant, si in re hac controversa Florentinum & Tridentinum Concilia consulamus, ad mentem eorum ceu verisimilius existimandum est, tam Subdiaconatum quam Minores Ordines esse Sacramenta. Ac Florentini quidem pro hac opinione is est locus, quo in Decr. pro Arm. postquam dixit, *sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo*, dein exponens Presbyteratus

&

& Subdiaconatus materiam, continuo subjicit: *Subdiaconatus vero per Calicis vacui cum patena vacua traditionem, & similiter de aliis* (hoc est, Minoribus Ordinibus) *per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem.* Mox vero relata Sacerdotii forma, *accipe potestatem &c. & sic*, inquit, *de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Rom. continentur.* Demum generatim concludit, effectum Ordinis esse *augmentum gratiæ, ut quis sit idoneus Minister.* Ex Tridentino autem huc facit illud, quod Sess. 23. Cap. 2. septem Ordines recenseat, ac dein Cap. 3. nulla limitatione facta declaret: *Cum - - perspicuum sit per sacram Ordinationem, quæ verbis & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, Ordinem esse vere & proprie unum ex septem S. Ecclesiæ Sacramentis.*

Vides utrumque Concilium loqui de omnibus Ordinibus, ac ita generatim Ordini attribuere Sacramenti prærogativam, ut nullum excipiat, quin attento contextu omnes potius complectatur; igitur saltem verisimilius est existimasse, omnes indiscriminatim Ordines, proinde Subdiaconatum etiam & Minores, esse Sacramenta. Haud equidem diffiteor, utriusque Concilii verba sensu etiam restricto exponi posse, ut faciunt Adversarii; verum, dum certius aliquod hujus restrictionis fundamentum proferant, malim ego planum & apertum sequi verbor. sensum.

21 IV. Quod jam isthic contra relatas opiniones generatim pugnare videtur, id unum est: quod si præter Sacerdotium reliqui etiam Ordines sint Sacramenta, Sacramentorum numerum majorem futurum septenario? verum istud difficultatis nihil habet. Cum enim ex sensu Ecclesiæ septem Sacramenta dari dicuntur, sermo est de Sacramentis in specie duntaxat superiori: non etiam in specie infima. Unde septem tantum sunt hoc sensu Sacramentorum species; ita ut Ordo generatim sumptus unam superiorem Sacramenti speciem efficiat: diversæ autem Ordinationes sint diversæ ejusdem Ordinis generatim accepti species infimæ. DIS-

DISSERTATIO II.

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTI ORDINIS.

§. I.

Quæ sit materia & forma Ordinationis Presbyteri?

CUm fide certum sit, Sacerdotium esse verum Ordinis Sacramentum, hujus solius materiam & formam penitius expendere, constitutum habemus; de reliquis vero Ordinationibus satis fuerit explanasse opinionem communiter receptam, id quod §. II. præstabimus. Una autem quæstione complectimur materiam & formam: hæc quippe ita connexa est cum illa, ut, designata Presbyteratus materia, vix ulli de forma dubio locus relinquatur. Inde cumprimis de materia hoc loco Scholasticis omnibus est controversia, eaque (meo quidem judicio) adeo implexa, ut satisfacturum existimem Theologum, si vel tale quid proferat, quod cæteris verisimilius videatur. Nimirum, quamvis constet Ordinis Sacerdotalis materiam & formam definiri certo aliquo sensibili signo: at quod illud sit potissimum? nihildum Ecclesia post tot Scholarum lites pronuntiandum censuit. Eo autem subinde illæ creverunt amplius, quo magis DD. progressu temporis ad calculum revocarunt ritus in ordinando Sacerdote varios, seu primitus, seu deinde in Latina & Græca Ecclesia usitatos. Quæ ritus varietas cum sit præcipuum hujus controversiæ fundamentum, de ea primum: tum de Doctorum opinionibus dicendum est.

Ritus in Ordinatione Presbyteri varietas apud Latinos & Græcos.

22 I. POntificale Romanum Tit. de Ordin. Presbyt. ritum in Ecclesia Latina receptum his describit.

1*mo*, Super caput cujuslibet ordinandi utramque manum imponit Episcopus nihil dicens, quod ipsum post eum faciunt omnes Sacerdotes præsentes; quo peracto tam Episcopus, quam Sacerdotes tenent suspensam manum dextram super ordinandos, solo Episcopo recitante hanc Orationem: *Oremus - - Deum Patrem Omnipot. ut super hos famulos suos, quos ad Presbyterii munus elegit, cœlestia dona multiplicet; & quod ejus dignatione suscipiunt, ipsius consequantur auxilio.* Mox, deposita mitra, conversus ad ordinandos Deum precatur: *Exaudi nos - - & super hos famulos tuos benedictionem S. Spiritus, & gratiæ Sacerdotalis infunde virtutem, ut quos &c.* His subjungitur Præfatio simul Orationem pro ordinandis complectens.

2*do*, Aptat Stolam ante pectus ordinandi, ac deinde eidem imponit Casulam, ad primum dicens: *accipe jugum Domini &c.* ad alterum vero: *accipe vestem Sacerdotalem &c.* Recitata subinde Oratione, *Deus sanctificationum &c.* & Hymno, *Veni Creator Spiritus &c.* manus ordinandorum oleo ungit dicens: *Consecrare & sanctificare digneris Domine manus istas &c.*

3*tio*, Cuilibet ordinando Calicem cum vino & superpositam Patenam cum Hostia porrigit, hæc proferens: *Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, Missasque celebrare &c.* ubi Pontificale Romanum speciatim monet, ut ordinandus

Ca-

Calicem ſimul & Patenam tangat. Poſt hæc continuatur Miſſa ab Epiſcopo, cum quo ordinati una pronuntiant Conſecrationis formam.

4to, Communione Ordinatorum finitâ iterum eis ambas manus Epiſcopus imponit, at ſolus, & ſingulis ſimul dicens: *Accipe Spiritum S. quorum remiſeris peccata &c.* Sequitur explicatio Caſulæ uſque huc implicatæ, & promiſſio obedientiæ: tum ordinatis datur monitum, & terminatur Miſſa.

II. Uſitatos Græcis in ordinatione Presbyteri ritus co- 23
pioſiſſime omnium Cl. Morinus in Comment. de Ordination. Par. 2. refert ex antiquis MSS. Codicibus, quibus demum adjicit Simeonis Theſſalon. Archiep. Librum de Sacr. Ordin. ex Bibliotheca Vaticana depromptum, & quosdam e recentioribus alios. Quamvis autem in his quoad aliqua notetur diverſitas: in præcipuis tamen, quorumque hodie etiam in Græca Eccleſia eſt uſus, omnino conſentiunt. Atque hæc ea plane ſunt, quæ ab Arcudio L. 1. de Sacr. Ord. C. 1. & Goario in Euchol. Græc. recenſentur: quæque ad ſequentia Capita commode reduxerim. Itaque

1mo, Epiſcopus ordinandum ter cruce ſignat: capiti dein ejus partem ſui pallii imponens, ſuperpoſita manu dextera dicit: *Divina gratia, quæ ſemper infirma curat, & quæ deſunt, ſupplet, promovet N. Venerabilem Diaconum in Presbyterum. Oremus pro eo, ut veniat ſuper ipſum gratia SS. Spiritus.* Poſtea ter repetito *Kyrie eleiſon*, iterum eum ter cruce ſignat, manumque tenens ipſi impoſitam, orat: *Deus, qui es principii & finis expers &c.* ac iterum, interpoſitis

 pre-

precibus pro pace, pro Archiepiscopo &c. manum habens ordinando impositam recitat Orationem : *Deus, qui potens es in virtute &c.*

2do, his finitis Episcopus posteriorem Orarii partem ad anterius Ordinati dextrum latus transfert, dicens: *Dignus.* Postea Phelonio (Casula) ipsum induens, iterum exclamat : *Dignus.* Idemque canunt reliqui, qui sunt in Sanctuario. Sequitur salutatio : ordinatus nimirum osculo salutat tam Pontificem, quam Presbyteros adstantes ; ac demum, in loco Presbyterorum consistens, cum iis & Pontifice Liturgiam recitat.

3tio, Cum in Liturgia eo ventum est, ut, Sanctis donis consecratis, dicatur: *ut fiant participantibus &c.* accedit Ordinatus, eique Sanctum Panem tradit Episcopus, dicens: *Accipe depositum istud, & custodi illud usque ad adventum D. N. J. C. quia illud a te est repetiturus.* Ipse vero eo accepto Episcopi manum osculatur, & reversus ad locum pristinum secreto recitat *Kyrie eleison*, & *Miserere mei Deus.* Cum autem dicendum est, *Sancta Sanctis!* reddit Sanctum Panem, ac dein primus ab Episcopo communicatur. Demum solito more terminatur Liturgia.

24 III. Hos jam vero ritus si invicem conferamus, clarum est: Græcam perinde ac Latinam Ecclesiam manuum impositione, huicque respondente Oratione uti in Ordinatione Presbyteri. At in cæteris quanta diversitas! Apud Græcos nimirum solus Episcopus imponit manum, non item Sacerdotes alii ; nulla ordinando porriguntur instrumenta: nam Panis sanctus (seu demum is sit consecratus, seu benedictus tantum, in quo variam esse disciplinam constat ex Goa-

Goario & Arcudio) poſt completam ordinationem traditur; nulla fit manuum unctio & conſecratio; denique cum impoſitione manuum non dicitur unquam: *accipe Spiritum S. quorum remiſeris peccata &c.*

Hæc omnia ex adverſo in uſu ſunt apud Latinos. Quanquam nec horum ſemper eadem videatur fuiſſe diſciplina: cum probabile ſit Apoſtolos ſaltem aliquos, ſola manuum impoſitione Ordinationes perfeciſſe; idemque in primæva Eccleſia, imo & poſterioribus deinde ſeculis quandoque factum haud obſcure colligatur ex Concilio Nicæno I. Toletano IV. Hiſpalenſi II. Meldenſi, & aliis, in quibus, cum de Ordinatione agitur, ſola manuum impoſitio commemoratur. Idem judicium formari poſſe videtur ex quibusdam Patribus.

Certa de hujus Ordinationis ritu Sententia; Status Controverſiæ; variæ Doctorum opiniones.

I. QUantacunque hæc ſit rituum in ordinando Presbytero diverſitas, conſentientia ſunt nihilominus Doctorum ſuffragia in eo primum: quod apud Latinos ad ſubſtantiam Ordinationis non pertineat decuſſatio Stolæ, impoſitio Caſulæ, ejuſdem explicatio, unctio manuum, & promiſſio obedientiæ; apud Græcos vero ſignum crucis ter repetitum, Orarii aut Phelonii impoſitio, & porrectio ſancti Panis. Certum item eſt omnibus, etiam Latinis: Græcorum Ordinationes eſſe validas, tametſi Calicis & Patenæ porrectionem penitus omittant. Neque omnino abſque temeritate iſtud in dubium vocari poteſt, quando vel Romæ ritu ſuo Presbyteros ordinant, nec de eo illis ab Eccleſia 25

lis unquam mota eſt; quin Ordinationes eorum eſſe ratas conſtat declaraſſe SS. Pontifices, Leonem X. Clementem VIII. Paulum V. Urbanum VIII. & alios apud Morinum in Comment. de Ordinat. Par. 1. C. 3. & 4.

26 II. Quod igitur controverſiæ caput eſt, quæritur ſolum de manus impoſitione, & porrectione inſtrumentorum, tanquam materia; de Oratione item & verbis, memoratæ porrectioni reſpondentibus, tanquam forma: num videlicet univerſim aut ſola manus impoſitio cum Oratione, aut etiam ſola inſtrumentorum porrectio cum verbis adjunctis ſufficiant ad perficiendam Presbyteri Ordinationem? num item, ſi utrumque ſimul conjungatur (ut fit in Latina Eccleſia) utrumque habeat rationem materiæ & formæ ſacramentalis? De quibus ſingillatim omnibus ut ſtatui poſſit, ſatis fuerit, (quod nos faciemus) generatim definire: quæ ſit ex inſtitutione Chriſti ad perficiendum Ordinationis Presbyteri Sacramentum materia & forma?

27 III. De hac jam vero controverſia ſi DD. conſulas, in partes eos ſcindi varias reperies.

Ac Recentiorum quidem plurimi poſt Morinum in Comment. de Ordinat. Par. 3. Exercitat. 1. Cap. 1. exiſtimant, ſolam manus impoſitionem & orationem materiæ & formæ rationem habere: porrectionem proinde inſtrumentorum ritum eſſe mere accidentalem. Utrique contra cum Vaſquezio & Bellarmino attribuendam alii putant materiæ & formæ prærogativam; quorum aliqui, ut Græcorum Ordinationes explicent, in ipſa manuum impoſitione, ceu virtute, inſtrumentorum porrectionem ajunt contineri eatenus, quatenus in manu, tanquam *organo organorum*, implicite in-

includuntur inſtrumenta. Quod ipſum dicere neceſſe habent, qui cum Dominico Soto & Eſtio ſolam inſtrumentorum porrectionem, eique adjuncta verba pro materia & forma agnoſcunt.

Sed enim violentum iſtud videtur multis. Quo igitur Græcorum & Latinorum ritus concilient, quidam cum Bellarm. Lugo. & Platel. opinantur, generatim duntaxat Chriſtum inſtituiſſe ſignum aliquod ſenſibile pro materia & forma, ejusque determinationem Eccleſiæ arbitrio reliquiſſe. Determinatam ex adverſo inſtitutionem hanc eſſe contendunt alii, ita nihilominus, ut disjunctive ſolum facta ſit, liberumque eſſet Eccleſiæ vel ſola manuum impoſitione, vel cum hac & inſtrumentorum porrectione ſimul, tanquam adæquata materia, ordinare Presbyteros. Poſtremam opinionem inſinuat Cl. Simonnet in Tract. de Ord. Diſp. 3. Ar. 1. Reſp. 3. ubi ad Object. reſpondet. Atque hanc ipſe etiam amplector, ceu veriſimiliorem reliquis, & ad conciliandos Eccleſiæ ritus accommodatiorem: tametſi non plane in omnibus laud. Simonnetto conſentiam.

ASSERTIO.

Veriſimilius eſt Chriſtum, Ordinis Sacerdotalis Sacramentum inſtituentem, ejus materiam & formam disjunctive tantum determinaſſe, ita videlicet: ut vel ſola manus impoſitio cum Oratione ſufficiat; vel cum hac, ſimul inſtrumentorum porrectio, eique adjuncta verba, pro materia & forma completa adhiberi poſſint.

Cum univerſim nihil eſſe queat Sacramenti materia & forma, quod Chriſtum non habeat auctorem, inſtitutionem dis-

disjunctive factam, quam in præsenti asserimus, satis opinor tuebimur, si comprobemus primum: etiam sola manus impositione & oratione perfici ordinationem Presbyteri; deinde, rationem materiæ & formæ convenire tam memoratæ manus impositioni, quam porrectioni instrumentorum cum adjunctis verbis, dum simul adhibentur, ut fit in Latina Ecclesia.

28 Jam vero I. sola manus impositione & oratione valide ordinari Presbyterum, abunde docet praxis & sensus Ecclesiæ. Etenim probabile admodum est, aliquos saltem Apostolos solo hoc ritu in ordinandis aliis usos: nullius certe alterius meminerunt S. Literæ, cum factas ab Apostolis ordinationes referunt. Item, ut plurimum saltem, observatum fuisse primis temporibus in Ecclesia etiam Latina, prorsus verisimiliter colligitur ex compluribus Conciliis & Patribus: cum iis locis, quibus de Ordinatione Presbyteri agunt, solam commemorent manus impositionem. Ita ex Conciliis Generalibus Nicænum I. Can. 9. Chalcedonense Can. 1. ex particularibus Toletanum IV. An. 633. Can. 28. Hispalense II. An. 619. Cap. 5. ex Patribus Ambrosius L. de Dignit. Sacerdot. C. 5. Innocentius I. Ep. 22. ad Episcopos Macedoniæ C. 5. & plures alii. Sed præcipuum hujus loci argumentum est praxis Ecclesiæ Orientalis, in qua constat, sola manuum impositione & oratione Presbyteros ordinari, & quidem valide, ut supra N. 25. probavimus. Cum igitur nullum Sacramentum esse possit ratum absque materia & forma a Christo instituta, ultro consequitur: ex ejus institutione vel solam manus impositionem & orationem ita esse Presbyteratus materiam & formam completam, ut una illa ad hoc Sacramentum rite ministrandum sufficiat.

Quod

Quod autem ad II. attinet, ita arguo: dum ex more 29
Latinorum ordinatio Sacerdotis peragitur, nec manuum impositioni, nec instrumentorum porrectioni, prout conjunctis cum verborum forma illis respondente, quidquam deest ad rationem materiæ & formæ hujus Sacramenti; jure igitur utrique eam prærogativam attribuerimus.

Ac de manuum quidem impositione & oratione minus dubium esse potest; certe vel sola sufficit ad perficiendam Ordinationem, ut paulo ante comprobatum est: cur vero eadem in consortio alterius virtutem a Christo acceptam penitus deperdat? Quo & illud facit: quod in Presbyteri Ordinatione semper religiose observatus fuerit, ac etiamnum observetur usus manuum impositionis; quodque eam semper etiam posteriorum seculorum, quibus ritus Latinus invaluit, Patres & Concilia commemorent, cum de hoc argumento pertractant. Quid quod & Concil. Tridentinum hujus sententiæ fuisse videatur, cum Sess. 14. de Sacr. Extremæ Unctionis agens, ejus Ministrum Cap. 3. esse dicat aut Episcopos, aut Sacerdotes rite ordinatos *per impositionem manuum Presbyterii*.

Sed & Calicis cum vino, & Patenæ cum Hostia traditio, huicque adjuncta verba, *accipe potestatem offerre Sacrificium &c.* hæc inquam etiam, dum ex ritu Latinorum præter impositionem manuum adhibentur, ad substantiam pertinent Ordinationis, ejusque proinde sunt materia & forma. Cur ita vero? quia signum hoc est prorsus accommodatum ad significandam Sacerdotis præcipuam in reale Christi Corpus potestatem: quin eam illo revera conferri indicant verba, *accipe potestatem &c.* quæ (nisi vim iis inferre velimus) ex notione sua sunt ipsa potestatis collatio, non autem mera

jam prius collatæ poteſtatis declaratio. Ac revera uſque ad hanc inſtrumentorum porrectionem pro Sacerdotio Candidati ſolum *ordinandi* vocantur in Pontif. Romano: poſt eam vero continuo dicuntur *Presbyteri Ordinati*, jubenturque cum Epiſcopo proferre conſecrationis verba. Quæ omnia haud leve momentum ſunt in rem noſtram; præſertim cum Florent. in Decr. pro Arm. dicat: *Sextum Sacramentum eſt Ordinis, cujus materia eſt illud, per cujus traditionem confertur Ordo; ſicut Presbyteratus traditur per Calicis cum vino, & Patenæ cum pane porrectionem;* & infra, *Forma Sacerdotii talis eſt: accipe poteſtatem &c.* Profecto autem violentum eſt dicere: Concilium iſthic ritum duntaxat accidentalem deſignare, quando univerſim materiæ & formæ Sacramentalis nomi..e veniunt partes ipſam Sacramenti ſubſtantiam conficientes.

30 His jam vero invicem collatis, quid ni ita pro Aſſertione generatim arguere liceat? Sacramenti valor haberi nequit ſine materia & forma a Chriſto inſtituta; Sacerdotii Sacramentum eſt ratum, tametſi ſola manuum impoſitione & oratione conferatur, ut fit apud Græcos; ratum idem eſt, cum ex more Latinorum tam memorata manus impoſitione, quam inſtrumentorum porrectione & verbis illi reſpondentibus miniſtratur: utrique huic prætęrea convenit ratio materiæ & formæ Sacramentalis; denique opinio hæc ad conciliandos Eccleſiæ ritus eſt plane accomodata; jure itaque cenſemus, Chriſtum Ordinis Sacerdotalis Sacramentum ita inſtituiſſe, ut ejus materiam & formam disjunctive determinaverit in ſenſu Aſſertionis. Illud interim obſervandum: in Ordinatione ritu Latinorum facta, tam manuum impoſitionem, quam porrectionem inſtrumentorum ſeorſim ſumptas (idem eſt de verborum forma) partialem dun-

duntaxat esse materiam: utramque autem simul in unam totalem coalescere ita, ut utriusque consortio perfectum ac completum efficiatur Presbyteratus Sacramentum.

Quod demum ad controversiam integre expediendam 31 est reliquum, una etiamnum superat difficultas Græco perinde ac Latino ritui communis. In utroque nimirum multiplicem esse manus impositionem constat ex ritu supra descripto; quæ igitur nominatim illa est, cui ex vero conveniat prærogativa materiæ sacramentalis? Rursum isthic DD. in varia abeunt; neque omnino sat pronum est certi aliquid pronuntiare.

Mihi verisimilius videtur, in Ritu Græcorum omnes tres manus impositiones cum totidem Orationibus instar unius materiæ & formæ completæ adhiberi, ac per omnes illas simul conferri potestatem tam consecrandi, quam absolvendi a peccatis. Istud vero sentiendi ratio est: quia quævis earum cum oratione sibi adjuncta habet significationem potestatis Sacerdotalis & gratiæ divinæ; nulla præterea unquam in Ordinatione prætermittitur; ac denique, quia tam post primam quam secundam is, qui Sacerdotio initiatur, vocatur *Ordinandus*: post tertiam autem *Ordinatus*. Hæc omnia videre est in variis Ordinationum Ritibus a Cl. Morino relatis. Non nego interim, vel una manus impositione & oratione Presbyteratum valide conferri posse.

Apud Latinos autem verisimilius est, e tribus manus impositionibus ordine primam non esse de substantia materiæ; hæc enim (ut notatur in Pontif. Romano) fit ab Episcopo nihil dicente: caret proinde verborum forma, quæ semper materiam comitatur. Quod vero ad duas reliquas

attinet, utramque cenſeo eſſe ſubſtantialem Ordinationis materiam. Ac illa quidem, quam Epiſcopus facit, tenens manum ſuper ordinandum cum oratione, *Oremus -- Deum Patrem &c.* pertinet ad conſecrandi poteſtatem, eique adnexam gratiam: poſtrema vero cum verbis, *Accipe Spiritum S. quorum remiſeris &c.* ad abſolvendi poteſtatem, huicque rurſum gratiam reſpondentem. Conſulto autem de priore manus impoſitione dixi, *quam Epiſcopus facit*; tametſi enim tum cum Epiſcopo etiam alii Presbyteri ſuper ordinandum manus teneant, hæc tamen manus impoſitio ab illis facta non videtur eſſe ſubſtantialis materia: tum quia ipſi nulla verba proferunt: tum quia Presbyteri non cenſentur [illegible]iniſtri ſacræ hujus Ordinationis. Quem igitur in finem, inquies, imponunt manus etiam Presbyteri? in ſignum ajo cooptationis & ſocietatis ad idem miniſterium: cui cæremoniæ apud Græcos reſpondet ſalutatio.

Reſpondetur ad Objecta.

Quadruplex Objectionum genus eſt, quibus opinio hæc potiſſimum impugnari poteſt. Vel enim arguitur contra ſolam manus impoſitionem: vel contra inſtrumentorum traditionem: vel utramque ſimul: aut demum adverſus inſtitutionem disjunctive factam. De forma non eſt neceſſum ſpeciatim agere: de hac enim difficultas eſt eadem, quæ de materia. Jam vero

32 Contra manus impoſitionem arguitur I. Gregorius IX. Cap. *Presbyter.* de Sacram. non iter. ait, *impoſitionem manuum eſſe ritum ab Apoſtolis introductum*; at ritus ejuſmodi materia Sacramenti eſſe nequit.

II. So-

II. Sola manus impoſitione perfici Ordinationem Presbyteri, ut plurimum probatur ex Græcorum ritu; at in hoc fit etiam panis ſancti traditio cum verbis, *accipe depoſitum &c.* quæ æquivalet inſtrumentorum porrectioni apud Latinos receptæ, ergo &c.

III. Si ſola manus impoſitio ſit ſufficiens materia, hacque una utantur Græci, quid ni ſola illa pariter apud Latinos valide conferri poſſit Presbyteratus Sacramentum?

Reſp. ad I. cum Bellarmino: ex mente Gregorii Papæ manuum impoſitionem eſſe ab Apoſtolis introductam, non quoad inſtitutionem: verum quoad uſum tantum, cum primi illi ritu hoc a Chriſto inſtituto ſacros Miniſtros ordinaverint.

Reſp. ad II. C. Maj. Diſt. Min. ſic tamen, ut hæc panis traditio in ritu Græcorum non habeat rationem materiæ ſubſtantialis C. ſecus N. Min. una cum Illat. Nimirum hæc panis traditio apud Græcos fit poſt peractam quoad ſubſtantiam ordinationem: cum jam ante illam in Euchologiis dicatur *Ordinatus* Presbyter, ac etiam cum Epiſcopo conſecret.

Reſp. ad III. exiſtimare me omnino, etiam in Eccleſia Latina per ſolam manus impoſitionem cum oratione illi reſpondente valide ordinandum Presbyterum, ſi Miniſter hac una materia & forma uti velit. *Valide* inquam; nam ut *licite* etiam fiat ordinatio, ſuus cuique Eccleſiæ ritus eſt obſervandus. Vide in ſimili dicta de Confirmationis materia L. III. N. 40.

 Con-

33 Contra inſtrumentorum porrectionem opponitur I. ſi hæc ſit etiam materia, perinde igitur illa ſola, ac ſola manuum impoſitione conferri poteſt Ordo Sacerdotii; iſtud admitti nequit: ergo nec primum.

II. Apoſtoli per ſolam manuum impoſitionem ordinarunt: idem factum uſque ad Sec. XI. ab Eccleſia Latina: Græca vero conſtanter tam primis, quam poſterioribus ſeculis, ac etiam hodie hoc uno ritu Ordinis Sacramentum miniſtrat; inſtrumentorum igitur porrectio non eſt materia a Chriſto inſtituta, ſed mera cæremonia a Latinis progreſſu temporis in Eccleſiam invecta.

Reſp. ad I. N. Maj. Ratio diſcriminis eſt: quia (ut momenta N. 28. allata probant) ex inſtitutione Chriſti vel ſola manus impoſitio eſſe poteſt totalis & adæquata Ordinationis materia; ſecus eſt de inſtrumentorum porrectione, cum per hanc ſolam nuſquam noverimus in Eccleſia miniſtratum Presbyteratus Ordinem.

Reſp. ad II. N. Aſſertum quoad prima duo membra. Cenſeo nimirum probabile eſſe, aliquos ſaltem Apoſtolos, qui in Occidente Chriſti gregem rexerunt, quandoque manuum impoſitione ſimul & inſtrumentorum porrectione uſos in ordinandis Sacerdotibus: idemque ſtatim a primis temporibus feciſſe Eccleſiam Latinam.

Ad id vero opinandum inducor vetuſtorum quorumdam Codicum, præſertim Ordinis Romani verbis, quibus pro Ordinatione Sacerdotis inſtrumentorum porrectio præſcribitur. Ita in Ordine Rom. (teſte Simonnetto Tract. 17. de Ord. Diſp. 3. Ar. 3.) de Ordinatione Presbyterorum hæc

hæc leguntur: *Hoc facto* (manibus videlicet unctione consecratis) *accipiat* Episcopus *Patenam cum oblatis*, *& Calicem cum vino*, *& det eis* (ordinandis) *dicens: accipite potestatem offerre Sacrificium Deo, Missamque celebrare tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini.* Idem testatur insignis Criticus, & in veterum Codicum notitia versatissimus Cl. Menardus; verba ejus in L. Sacram. Greg. *Nota* 757. hæc sunt: *In Ordinibus MSS. Sancti Germani a Pratis*, *& Tiliano*, *& in Ordine Romano extat ejusmodi instrumentorum traditio cum sua forma, quæ tamen ibi pluraliter effertur: Accipite potestatem offerre &c.* Igitur jam Seculo VIII. quo Ordo Rom. extabat, Ecclesia Latina instrumentorum porrectione cum verbis ei respondentibus usa est: imo etiam longe antea; nam Ordo Rom. non præscribit ritus novos, sed antiquos, & diuturna Ecclesiæ praxi roboratos. Cum præterea hunc porrectionis ritum ostendi non possit esse ab aliquo Concilio vel Pontifice institutum, juxta sæpe laudatam Tertulliani & Augustini regulam *fine dubio tenendum*, *quod* eum *Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo*, *Christus a Deo suscepit.* Jam vero, si ritus hic ab Apostolis sit traditus, verisimile est, eos etiam illo saltem aliquando fuisse usos.

Quod de Orientali Ecclesia in Object. additur, cum in oppositum nulla (quod sciam) extent testimonia, admittendum est; at hinc id sequitur unum, quod in Assertione contendimus: materiam videlicet & formam hujus Sacramenti a Christo disjunctive tantum esse institutam.

Ritus impositionem manus cum instrumentorum traditione pro materia totali conjungens longe pluribus momentis impugnatur. Ac I. quidem ex Florentino: quod cum 34
in

in Decr. pro Arm. Calicis & Patenæ porrectionem assignet pro materia, nulla impositionis manuum facta mentione, censuisse videtur in Latino ritu solam instrumentorum traditionem materiæ completæ rationem habere: manuum proinde impositionem ne partialem quidem esse materiam.

II. Ejusdem sententiæ jam antea fuisse Gregorium IX. colligitur ex Cap. *Presbyter*, de Sacr. non iter. ubi hæc ejus verba ex Ep. ad Archiep. Lond. data recitantur: *Presbyter & Diaconus cum ordinantur, manus impositionem tactu corporali - - recipiunt; quod si omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad hujusmodi Ordines conferendos caute supplendum, quod per errorem extitit prætermissum.* Non existimavit igitur manus impositionem pertinere ad substantiam materiæ: secus iterandam decrevisset Ordinationem.

III. Saltem per secundam manuum impositionem & instrumentorum traditionem complete confertur Sacerdotii Ordo, cum in Pontif. Rom. continuo dicatur *Ordinatus Presbyter*, ac etiam cum Episcopo consecret; ergo tertia manuum impositio cum verbis, *Accipe Spiritum S. quorum remiseris &c.* non est pars materiæ ad Ordinis substantiam requisitæ.

Resp. ad I. Factam ex Decreti Florent. verbis illationem non esse legitimam; certe silentii hujus causam passim aliunde DD. repetunt, ut legere est apud Bellarm. & alios. Ac mihi quidem videtur, Concilio in hac Armenorum de Sacr. Ord. instructione haud aliud fuisse propositum, quam ut eos doceret, porrectionem instrumentorum in Latina Ecclesia esse substantialem Ordinationis materiam:

id

id quod illi ignorabant, cum ſola manus impoſitione Ordinis Sacramentum miniſtrarent; hinc ex adverſo ſiluit de manus impoſitione, ut quæ jam Armenis nota, imo etiam uſitata fuit. Eo nimirum univerſim ſpectabat Concilium hoc ſuo Decreto, *ne ulla in futurum de fidei veritate apud Armenos hæſitatio eſſe valeat, atque idem per omnia ſapiant cum Sede Apoſtolica:* utque illis traderet *ſub quodam brevi compendio Orthodoxæ fidei veritatem, quam - - Romana profitetur Eccleſia*, ut ſtatim principio præfatur Eugen. in cit. Decr.

Reſp. ad II. hoc loco Pontificem, (quantum quidem ad Presbyteri Ordinationem attinet) agere de tertia manus impoſitione cum verbis, *Accipe Spiritum S. quorum &c.* conjuncta: hæc enim fit *tactu Corporali.* De hac igitur ſtatuit: eam, ſi prætermiſſa fuit, ſupplendam omnino eſſe, quin neceſſe ſit repetere ſecundam manuum impoſitionem, & porrectionem inſtrumentorum jam factam. At enim hinc non aliud inferre licet, quam quod Gregorius exiſtimaverit, poteſtatem conſecrandi conferri poſſe ſeorſim a poteſtate abſolvendi, ſicut revera eam Chriſtus ſeorſim contulit. Conformiter ad quod

Reſp. ad III. Diſt. Ant. per ſecundam manuum impoſitionem, & inſtrumentorum porrectionem complete confertur Sacerdotii Ordo quoad poteſtatem conſecrandi C. etiam quoad poteſtatem abſolvendi N. quo eodem ſenſu Illatio explicanda eſt. Poſt primam nihilominus poteſtatem acceptam ordinatus dicitur abſoluto nomine *Presbyter*, quia poteſtas hæc in Ordine Sacerdotali eſt præcipua; imo altera Judicem potius quam Sacerdotem conſtituit, cum aliunde jam ſacrificandi poteſtatem ſolis Sacerdotibus propriam ſupponat. Jam vero uti hæc poteſtas duplex ac di-

diversa confertur per diversam partialem materiam & formam, ita utrique suus respondet partialis character, & gratiæ effectus: sic tamen, ut, sicut diversæ partiales materiæ & formæ unam totalem conficiunt, sic pariter diversi hi partiales Ordinationis effectus in unum totalem & completum coalescant. Sed enim ex adverso

35 Instari potest: manus impositio, qua ordinatur Presbyter, juxta laud. Gregorium IX. *tactu corporali* recipitur; atqui istud non fit in secunda manus impositione, ut quæ non tactu, sed suspensione manus peragitur; quo igitur jure hæc altera manus impositio nomine materiæ veniat?

Resp. Jam supra in Resp. ad II. insinuavi, Pontificem isthic loqui de tertia duntaxat manus impositione, quam omnino *tactu corporali* Presbyter recipit. Præter hanc autem eum requirere etiam suspensivam manus impositionem, aperte colligitur ex eo, quod recitata ex Cap. *Presbyter* verba his concludat: *Suspensio autem manuum debet fieri, cum oratio super caput effunditur ordinandi.* Quod si interim quis volet primam manuum impositionem, quæ fit contactu capitis & sine ullis verbis, cum altera mere manus suspensiva unam moraliter esse manuum impositionem, proinde & unam partialem materiam, hujus ego quidem opinioni multum repugnare nolim; ac tum quidem vero sensu dici potest, alteram etiam manus impositionem, prout videlicet cum prima conjunctam, *tactu corporali* a Presbytero recipi.

36 Demum contra institutionem disjunctive factam ad eum fere modum argui potest, quo contra materiam Sacramenti Confirmationis disjunctive pariter institutam, de quo vide N. 38.

N. 38. & ſeqq. L. III. de Confirm. unde pronum erit colligere, quid in præſenti quoque ad conſimilia Objecta ſit reſpondendum. Quin cum univerſim opinio, de materia & forma Presbyteratus iſthic a nobis aſſerta, magnam partem cum ea conveniat, quam cit. L. III. de Confirmationis materia & forma tuiti ſumus: admodum utile fuerit recolere ejus L. Diſſert. I. §. III. & IV. præſertim quæ ibid. ad Obj. reſponſa ſunt.

§. II.

Quæ ſit materia & forma reliquorum Ordinum?

HAud minor eſt de materia & forma Ordinum reliquorum, præſertim Sacrorum & Majorum, controverſia; quia interim illis Sacramenti prærogativa attribui non poteſt eadem certitudine, qua Sacerdotio: non eſt, cur perinde hujus ac prioris Quæſiti litibus anxie componendis urgeamur. Inde ſatis fuerit communiorem DD. ſententiam retuliſſe. Secundum hanc vero

I. Epiſcopus ordinatur manus impoſitione, tanquam ma- 37
teria: & verbis ei reſpondentibus, tanquam forma, quæ apud Latinos ſunt: *Accipe Spiritum Sanctum;* apud Græcos autem Oratio: *Divina gratia, quæ ſemper infirma curat &c.* Nec dubium eſt, hanc eſſe apud Græcos completam materiam & formam: hac quippe utuntur una. Eamdem etiam apud Latinos ſaltem partialem eſſe, certum eſt omnibus; idque evincunt ea, quæ de manus impoſitione ordinatoria jam alias ex S. Literis & Conciliis retulimus. Dixi *ſaltem partialem*: non pauci enim exiſtimant, etiam

Pastoralis baculi, annuli, aut saltem Libri Evangeliorum traditionem cum verbis ei adjunctis ad substantiam Episcopalis Ordinationis pertinere; quanquam communior oppositum tueatur. Sed & controversum est: num memorata manus impositio necessario fieri debeat a tribus Episcopis? Et quamvis id absolute requirant aliqui provocantes ad Anacleti Ep. 2. & Joannis III. Ep. ad Epp. German. & Galliæ datam: potior attamen DD. pars censet, saltem cum dispensatione Pontificis, vel ab uno Episcopo hanc Ordinationem valide perfici posse. Quam in rem grave argumentum est, quod Gregorius M. Augustino Ep. Cantuar. concesserit, ut solus Episcopos ordinaret: quod ipsum a Gregorio XIII. concessum Patriarchæ Æthiopiæ recens a se constituto legitur. De his, si lubet, consule Platelium in syn. Th. C. 7. §. 2. a N. 1028.

38 II. Diaconi & Subdiaconi apud Latinos Ordinatio duplicem habet materiam & formam partialem. Nimirum Diaconus ordinatur manus impositione cum verbis, *Accipe Spiritum S. ad robur &c.* & Libri Evangeliorum traditione cum hac forma, *Accipe potestatem legendi Evangelium &c*, Subdiaconus vero sola instrumentorum traditione, primum quidem Calicis vacui & Patenæ vacuæ cum verbis, *videte, cujusmodi ministerium vobis traditur &c.* dein Libri Epistolarum cum verbis, *Accipite Librum Epistolarum, & habete potestatem legendi eas &c.* Apud Græcos contra uterque hic Ordo sola manus impositione confertur, Orationem ei respondentem dicente Episcopo, nempe: *Divina gratia - - promovet N. Lectorem in Subdiaconum*, vel *N. Subdiaconum in Diaconum; oremus igitur pro ipso, ut &c.* Horum omnium ratio generatim est: quia signa hæc externa cum verbis adnexis sufficienter significant potestatem Ordinis, eique

eique reſpondentem gratiæ & characteris effectum: tametſi is in quibusdam ſolum implicite importetur. Inde reliqua, quæ in his Ordinationibus præterea adhibentur, ut ſunt apud Græcos, pallii ſuper caput Ordinandi impoſitio, ſigni crucis repetitio &c. apud Latinos autem benedictio ſuper ordinandos, manipuli vel ſtolæ traditio &c. hæc inquam, & id genus alia ritibus accidentalibus accenſentur.

III. Demum quatuor Minorum Ordinum collatio juxta 39
Concilium Florent. jam cit. & Pontif. Romanum in Ritu Latinæ Eccleſiæ ſola inſtrumentorum traditione, tanquam materia, abſolvitur. Traduntur autem Acolytho urcei vacui, item candelabrum cum cereo extincto: Exorciſtæ Liber Exorciſmorum: Lectori Liber Lectionum: Oſtiario Claves Eccleſiæ; cui traditioni reſpondentia verba ſunt formæ Ordinationibus ſingulis propriæ. Græci contra Lectoris Ordinem, quem unum e Minoribus in uſu habent, ſolo manus impoſitionis & Orationis ritu conferunt, ut videre eſt apud Morinum in Ritibus Ordinat. ſupra laud. & Auct. Perp. Fid. Tom. 5. Lib. 5. Cap. 6.



DISSERTATIO III.

DE SACRAMENTI ORDINIS EFFECTU, ET ADNEXA ORDINIBUS OBLIGATIONE.

§. I.

Qui sint effectus Ordinis Sacramento proprii?

CUm sacra Ordinatio sit verum Legis novæ Sacramentum, idque ejusmodi, ut iterari non possit, ultro consequitur, operari illam tam gratiæ quam characteris sacramentalis effectum. Utrumque porro istud ita se habere satis, opinor, constat ex iis, quæ L. I. de Sacr. in Gen. Dissert. III. §. I. & II. de gratia & charactere sacramentali copiose disputata sunt. Quæ posteaquam Theologiæ studiosus in memoriam revocaverit, id solum videbit sibi esse jam reliquum, ut gratiæ & characteris, prout effectus hi Sacramento Ordinis sunt peculiares, naturam penitius investiget. Atque isthuc conferent duæ, quas subjicimus, animadversiones.

ANIMADVERSIO I.

De Gratia Ordinis.

DIfferentia, quæ inter Ordinis & reliquorum Sacramentorum gratiam intercedit, duobus definitur: quæ ipsa peculiarem ejus naturam constituunt. Nimirum

40 I. Gratia sanctificans, quam Sacramentum Ordinis operatur, quandam in genere gratiæ plenitudinem habet: eam

eam videlicet, qua cumprimis Miniſtri Eccleſiæ opus habent ad ſanƈte obeunda Ordinum miniſteria. Ita indubitanter ſenſit Innocentius I. cum Ep. 18. de Hæreticis ordinantibus ſcribens, dicat: *nec dare ejus* (gratiæ) *plenitudinem poſſunt, quæ maxime in Ordinationibus operatur.* Et Doƈtor Ang. in Suppl. qu. 35. Art. 1. poſtquam comprobavit in Sacramento Ordinis dari gratiam gratum facientem, eam deinde explicans, *ad idoneam*, inquit, *executionem Ordinum non ſufficit bonitas qualiſcunque: ſed requiritur bonitas excellens; ut ſicut illi, qui Ordinem ſuſcipiunt, ſuper plebem conſtituuntur gradu Ordinis, ita & ſuperiores ſint gradu Sanƈtitatis* Ex quibus facile colligas, hanc gratiæ plenitudinem longe diverſam eſſe ab ea, quæ in Confirmationis Sacramento confertur. Hæc nimirum ordinatur ad fidem profitendam, & reliqua cuilibet etiam Laico communia officia: illa vero ad rite exercendum publicum Altaris & Eccleſiæ miniſterium; ſicut igitur facer Clericorum Ordo a communi Chriſtianorum ſtatu eſt diverſus, eoque longe ſuperior: ita gratiæ plenitudo illi propria eſt diverſa, multoque cumulatior ac perfeƈtior.

Sed num, inquies, hanc gratiæ plenitudinem quælibet Ordinatio eadem ratione operatur? imo prorſus diverſa. Uti enim unus Ordo alium perfeƈtione excedit: ita plenitudinis gratiæ exceſſus major eſt in uno, quam in alio; hinc plenior eſt gratia Presbytero collata quam Diacono, hujus rurſum major quam Subdiaconi &c.

II. Alterum, quod gratia hæc ſanƈtificans peculiare habet, eſt jus in ea fundatum ad gratias aƈtuales, quibus opportuno tempore ordinatus juvetur ad rite implenda ſui Ordinis munia. Neque enim fieri poteſt, ut providentiſ- 41

ſimus

simus Deus quemquam ad suum ministerium assumat, nec tamen eidem (modo se indignum non reddat) largiatur conducentia ad illud gratiæ suæ subsidia. Inde Leo M. Serm. 1. in die suæ assumptionis ajebat : *Qui mihi honoris est auctor, ipse mihi fiet administrationis adjutor ; &, ne sub magnitudine gratiæ succumbat infirmus, dabit virtutem, qui contulit dignitatem.*

Ac hic quidem gratiarum affluxus erga primos Ecclesiæ Ministros tantus erat, ut virtute ordinationis etiam gratias gratis datas consequerentur : eas videlicet, quas Apostolus 1. Cor. 12. de *divisionibus ministrationum* loquens, a V. 7. his verbis commemorat : *unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem ; alii quidem, per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, - - alteri fides, - - alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio Spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.* Nimirum *hæc signa* (ut ait Gregor. M. Hom. 29. in Evangelia) *necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt ; ut enim fides cresceret, miraculis fuerat nutrienda : quia & nos cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra coaluisse videamus : at si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit.*

Ex quibus Gregorii verbis pronum est conjicere, cur jam adulto Ecclesiæ statu hæ gratiæ gratis datæ sacris Ministris parcius conferantur : quia videlicet *linguæ* (idem est de reliquis) *in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus*, ut ait Apostolus 1. Cor. 14. Dixi *parcius* : nam & nunc id genus gratias virtus Ordinationis quandoque operatur, quod vel nostrorum temporum experientia docet. Ut autem deessent alia, novimus per rudes etiam & contemptos Ec-

Ecclesiæ Ministros socordiam multis excuti, desperatos in spem erigi, indurata peccatorum pectora ad pœnitentiam emolliri &c. Quod vero est isto majus prodigii genus? non humanæ profecto virtutis, sed divinæ gratiæ sunt hæc opera, eoque etiam curationum signis præstantiora, quo animus præstat corpori. *Nunc* (ait Augustinus de verbis Domini Serm. 88.) *majores sanitates operatur Deus, - - sicut enim animus melior est corpore, sic & melior salus animi quam salus corporis: modo caro cæca non aperit oculos miraculo Domini, & cor cæcum aperit oculos sermone Domini, &c.*

ANIMADVERSIO II.

De Charactere Ordinis

I. CHaracter, qui per Sacramentum Ordinis confertur, 42
est signum quoddam spirituale & indelebile animæ impressum, cui proinde stabilis potestas sacri Ministerii ita adnexa sit, ut Ministri Ecclesiæ a reliquo fidelium cœtu nunquam non discernantur: uti hæc certa sunt partim ex Trident. partim ex ejus Catechismo jussu Pii V. edito. Talem porro characterem in Sacerdotis saltem Ordinatione imprimi, nemo Catholicorum ambigit; de reliquis vero Ordinationibus istud non magis constat, quam certum sit eas esse vera Ordinis Sacramenta. Inde, cum nobis probabile sit visum, etiam Minoribus Ordinibus rationem Sacramenti convenire: probabile quoque est eos characterem operari. Per hos nimirum etiam fit ordinati consecratio, confertur potestas ad sacrum ministerium, eaque ita stabilis, ut collati semel Ordines iterari non possint: quæ omnia haud obscurum præbent argumentum judicandi,

di, his quoque Ordinibus inesse vim efficiendi in anima characteris.

43 II. Quoniam autem Ordinum natura non est eadem, consequens videtur, non eumdem pariter, sed plane distinctum a singulis imprimi characterem. Hac una certe causa differentes esse dicimus Baptismi & Confirmationis characteres; cur non igitur idem dicamus de Ordinibus, quos & potestate & gratiæ effectu invicem differre novimus? Unde non probatur mihi opinio eorum, qui eumdem prorsus in specie esse ajunt omnium Ordinum characterem, solumque intendi illum per accedentes alias Ordinationes. Nemini unquam profecto in mentem venit dicere, characterem Confirmationis non aliud esse, quam extensionem characteris Baptismi; perinde igitur dici nequit characterem Presbyteratus esse meram extensionem characteris Diaconatus, & sic de reliquis Ordinibus. Atque ad hoc conformiter existimo sentiendum esse de duplici quoque charactere Presbyteratus, ut jam præced. Differt. §. I. in Resp. ad III. N. 34. istud ipsum insinuavi.

§. II.

Quæ sit Obligatio Ordinibus adnexa?

SAcramenti Ordinis effectus, plenitudo videlicet gratiæ & sacræ potestatis prærogativa, satis indicat: Ecclesiæ Ministros supra vulgus Christianum evehi, atque in cœtu fidelium sublimiorem locum tenere. Hæc ipsa porro status sublimitas monet, eorum vivendi normam communibus Christiani hominis officiis non definiri; amplius certe ab illis præterea exigi, passim testantur Patres iis locis, qui-

quibus de Vita Clericorum agunt. Audiatur pro omnibus Hieronymi monitum in Ep. ad Nepotian. *Clericus - - inquit, interpretetur vocabulum suum, &, nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur; - - propterea Clerici dicuntur, quod de Sorte Domini sint: vel quia Dominus sors, id est, pars Clericorum est; qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut ipse possideat Dominum, & ipse possideatur a Domino &c.* Atque isthuc spectant Clericorum obligationes, partim ex ipsa Ordinis natura ortum ducentes, partim lege lata, aut constanti usu inductæ; quarum aliæ omnibus Ordinibus sunt communes, aliæ solis Sacris & Majoribus propriæ. Utrasque nunc compendio perstringemus.

Obligationes omnibus Ordinibus communes.

I. QUod primum Clericis universim omnibus incumbit, 44
est obligatio deferendi tonsuram, & habitum Clericalem: talem videlicet, qui eos pro regionis more a sæcularibus distinguat, sitque statui sacro conveniens quoad formam, colorem &c. ut constat ex pluribus Capp. Tit. *de vita & honest. Cleric.* item *de Cler. Conjug.* ac etiam Trident. Sess. 14. & 23. de Reform. Cap. 6. Ut ut autem istud sententia omnium ita se habeat, controvertitur nihilominus: quæ, & quanta sit hæc obligatio? Panormitanus in in Cap. *Si quis.* de vita & honest. Cleric. cum paucis quibusdam docet, omnes Clericos peccare graviter, si absque justa causa per longius tempus tonsuram & habitum non deferant. Vasquez cum Navarro & Bonacina solos Clericos Beneficiatos, & in sacris Ordinibus constitutos gravi hac obligatione obstringi contendit. Cajetanus demum cum Sylvestro, Barbosa, Laymanno, & pluribus aliis exi-

ſtimat, ſecluſo contemptu & ſcandalo aut contumacia neminem peccare graviter, ſed venialiter tantum; id quod concedunt omnes, ſi delatio tonſuræ & habitus ad breve duntaxat tempus negligatur. Opinionum harum momenta apud laud. DD. videri poſſunt. Illud ex Trident. Seſſ. 23. de Reform. Cap. 6. certum eſt omnibus: Clericos in Minoribus conſtitutos fori privilegio privari, ſi longiori tempore habitum & tonſuram Clericalem non deferant.

45 II. Alterum, quo Clerici communiter omnes obſtringuntur, eſt poteſtatis acceptæ miniſterium: quod tum ſaltem ab iis exerceri oportet, cum id aut neceſſitas, aut Eccleſiæ & animarum bonum poſtulat. Quæ quidem obligatio eo magis ſtringit, quo ſublimior eſt Ordinis accepti conditio, ut eſt in Presbyteris & Epiſcopis. An enim Deus otioſam duntaxat in Miniſtris ſuis poteſtatem eſſe velit, quam in Sacramento Ordinis tanta cum plenitudine gratiæ illis impertitur? *Væ mihi*, ajebat Apoſtolus 1. Cor. 9. *ſi non evangeliʒavero*, *neceſſitas enim mihi incumbit*, ex divina ſcilicet vocatione & ordinatione. Hinc idem ſollicite ſuum monebat Timotheum, ne gratiam negligeret, quam per impoſitionem manuum accepit. Nec dubium eſt ipſum Tridentinum iſthuc reſpexiſſe, cum Seſſ. 23. de Reform. Cap. 4. ſtatuit: *Prima tonſura non initientur*, - - *de quibus probabilis conjectura non ſit*, *eos non ſæcularis judicii fraude*, *ſed ut Deo fidelem cultum præſtent*, *hoc vitæ genus elegiſſe*; & rurſum ibid. Cap. 6. *nullus debet ordinari*, *qui judicio ſui Epiſcopi non ſit utilis aut neceſſarius ſuis Eccleſiis.* Multa in hanc rem dici poſſent; at ſuffecerit adjeciſſe monitum Auguſtini Ep. 48. ad Eudoxium: *Vos autem Fratres cohortamur in Domino, ut propoſitum veſtrum cuſtodiatis*, - - *ac*, *ſi quam operam veſtram Mater Eccleſia deſideraverit*, - - *miti corde obtemperetis Deo*, - - *nec veſtrum otium neceſſitatibus*

Ec-

Ecclesiæ præponatis; cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremini, non inveniretis.

III. Quod demum a nemine in Clerum, seu sortem 46
Domini, assumpto absque piaculo negligi potest, est doctrina ad implendum Ordinis ministerium sufficiens, & sanctioris vitæ professio. Utriusque autem hujus necessitatem ex ipsa Ordinis natura profluere dubitari nequit: cum illo initiati ad sublime Altaris & Ecclesiæ ministerium, ac regimen animarum deputentur. Inde sunt illa toties repetita Patrum ac Conciliorum monita, quin gravissima etiam Decreta, quibus Clero sacræ eruditionis studium & vitæ probitas magnopere commendatur.

Ac doctrinam quidem quod attinet, eo potissimum ea referri debet, ut Ministri Ecclesiæ egregiam sibi cognitionem comparent Sacrarum Literarum, Patrum, Conciliorum, Ecclesiæ Canonum, Historiæ & Disciplinæ Ecclesiasticæ. Certe horum ignoratio vacare non potest periculo, præsertim si sacro Ordine initiatus animarum regimen susceperit; hinc Gregor. M. in sua Pastorali, *ab imperitis*, inquit, *Magisterium Pastorale suscipitur in magna temeritate, quoniam ars est artium regimen animarum.* Nimirum, si *cæcus cæco ducatum præstet*, nihil est pronius, quam ut *ambo in foveam cadant*, ut aperte edixit Christus Matth. 15. propterea deinde ibid. C. 23. imperitis id genus Ministris comminatus, *Væ vobis Duces cæci!* Cui malo ut occurreret Deus, per Malachiam monuit: *labia Sacerdotis custodient scientiam;* eum vero qui neglexerit illam, Sacerdotio prohibet apud Oseam, *quia tu*, inquit, *scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Provide igitur a Concilio Tridentino (ut taceam alia) actum,

cum peculiaribus Decretis requirit doctrinam in ordinandis, præsertim autem in promovendis ad regimen animarum, & Ecclesiasticas dignitates. Ita Seff. 23. de Reform. Cap. 7. statuit, ut Episcopus universim omnium *ordinandorum doctrinam diligenter investiget.* Item Seff. 24. Cap. 12. *Nemo*, inquit, *ad quascunque dignitates, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi - - doctrina ad suum munus exequendum necessaria - - commendetur;* imo ibid. sub medium *hortatur, ut, ubi id commode fieri potest, dignitates omnes, & saltem dimidia pars Canonicatuum - - conferantur tantum Magistris, vel Doctoribus, aut Licentiatis in Theologia vel Jure Canonico.* En solicitas Ecclesiæ de Ministrorum doctrina curas! quibus profecto non respondent, qui Scholas egressi, sacræ eruditionis studium in postremis habent.

De sanctioris vitæ obligatione minus dubium esse potest, quando ipsa Ordinum susceptio est sublimioris cujusdam sanctimoniæ professio: id quod docet ipse ordinationis ritus, ac in eo ab Episcopo factæ ad ordinandum cohortationes, quas legere est in Pontificali Rom. Idem certum est ex Patrum sensis, iisque cumprimis Conciliorum & Pontificum Decretis, quibus Clero districtim præcipitur castigata morum ratio, singulare virtutis omnigenæ studium, bonæ vitæ exemplum &c. ex adverso prohibentur sæcularia negotia, consortia mulierum, luxus, comessationes &c. Hæc omnia compendio exposita habentur in Tridentino Seff. 22. in Decr. de Reform. Cap. 1. ubi Canones de vita & honestate Clericorum innovantur. Si porro quæras ad quamnam sanctitatis perfectionem Ordinum, præsertim sacrorum, susceptio obliget? Audi respondentem D. Thomam 2. 2. qu. 184. Ar. 8. ubi, *manifestum est,* inquit,

inquit, *excellere præeminentiam Ordinis quantum ad dignitatem; quia per ſacrum Ordinem aliquis deputatur ad digniſſima miniſteria, - - ad quod major requiritur ſanctitas interior, quam requirat etiam Religioſus ſtatus; - - unde gravius peccat Clericus in ſacris Ordinibus conſtitutus, ſi aliquid contrarium ſanctitati agat, quam aliquis religioſus.* His non abſimilia jam antea ſenſit D. Bernardus, cum Tract. de vita & moribus Cler. Cap. 9. ſtatum Clericorum cœlo, eosque Angelis comparans, diceret: *In Clero, tanquam in cœlo, agens iniqua quid niſi de miniſterio judicetur? cœleſte tenet officium, Angelus Domini exercituum factus eſt, tanquam Angelus aut eligitur, aut reprobatur; inventa quippe in Angelis pravitas & diſtrictius judicetur neceſſe eſt, & inexorabilius, quam humana.*

Obligationes Majoribus Ordinibus propriæ.

I. HAs inter primo loco nominanda eſt obligatio reci- 47
tandi Divinum officium, quod Horas Canonicas complectitur. Eſt vero Officii hujus uſus in Eccleſia antiquiſſimus, ac ab ipſis Apoſtolorum temporibus ad noſtram uſque ætatem derivatus, ut ex Patribus & veterum Scriptorum monumentis erudite comprobat Laymann Theolog. Mor. L. 4. Tract. 1. C. 2. quod ipſum præſtitit erudit. Martene in Tract. de ant. Eccl. diſcipl. ubi Cap. 1. Horarum Canonicarum inſtitutionem ab Apoſtolis repetit, ſeqq. deinde Capp. de earum ritu copioſe differens. Quamvis autem in jure ex Cap. 1. *de celebrat. Miſſæ* ſoli Presbyteri Parochi ad hoc Officium videantur obligari: ex veteri nihilominus & per Eccleſiam recepta conſuetudine, quæ vim Legis obtinet, certum eſt ſub lethali culpa obligationem eamdem extendi ad omnes univerſim Majoribus Ordinibus ini-

initiatos, Presbyteros videlicet, Diaconos, & Subdiaconos. De qua quidem obligatione, modo eam implendi, caussisque ab illa excusantibus, & id genus aliis cum passim diffuse tractent Juris Canonici Scriptores & Morales Theologi, non est, cur nos argumento huic amplius immorari oporteat.

48 II. Peculiare illud est præterea sacris & Majoribus Ordinibus, quod in iis constituti ad perpetuam continentiam adstringantur ita, ut nec Matrimonium inire, nec prius inito (in Latina saltem Ecclesia) amplius uti possint. Lege eadem aliquando in quibusdam Ecclesiis etiam Minoribus Ordinibus initiatos fuisse obstrictos, haud obscure colligitur ex Conc. Carthaginensis V. Cap. 3. & Chalcedonensis Can. 14. at istud nec diu, nec universim, seu in Græca, seu Latina Ecclesia, observatum fuit: ac nunc quidem Legem eam penitus sublatam novimus, nisi quod ex Constitut. Alexandri III. & Innocentii III. beneficio & privilegio Ecclesiastico priventur inferiores Clerici, si Matrimonio eos jungi contingat, ut constat ex Cap. 1. 3. & 7. de Cler. conjug. Secus res habet circa Ministros sacro aliquo Ordine initiatos; ut adeo perpetuæ continentiæ obligatio ad hos solos pertineat.

Estque istud ita certum omnibus, ut solum controvertatur de Legis hujus origine: aliis videlicet eam a jure naturali aut divino, aliis a solo jure Ecclesiastico repetentibus. Verisimilior interim est opinio, ad solum jus Ecclesiasticum referendam esse: uti istud aperte insinuat Tridentinum, cum Sess. 24. de Sacram. Matrim. Can. 9. anathema pronuntiat eum, *qui dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos - - posse matrimonium contrahere, contra-ctum-*

ctumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, quibus postremis verbis satis indicat, legem de Clericorum cœlibatu esse Ecclesiasticam. Ac revera, qui dici possit eam a jure naturali, aut divino profluere? Certe cum Ordine sacro ex natura sua non pugnat Matrimonii usus, ut qui apud Græcos etiamnum Presbyteris permittitur juxta Cap. 6. de Cler. conjug. Sed nec ullum proferri potest præceptum divinum; secus in Ecclesia non fuisset unquam de cœlibatu Clericorum variata disciplina: neque cum Clericis majore aliquo Ordine initiatis dispensari posset ad ineundum Matrimonium, ejusque usum, id quod tamen jam factum novimus.

III. Atque hæc perpetuæ continentiæ lex sancte adeo in 49 Latina Ecclesia semper observata fuit, ut Episcopis, Presbyteris, & Diaconis nunquam omnino post Ordinationem licuerit uxorem ducere, aut ante ducta uti. Certa in hanc rem sunt omnis ævi Patrum, Pontificum, & Conciliorum testimonia, quæ copiose refert Bellarm. de Cler. L. 1. C. 19. & Thomassin. de discipl. Eccl. Par. 1. L. 2. a Cap. 60. ac ex his Tournelyus in suis Prælect. de Sacr. Ord. Quæst. ult. Ar. 2. Concl. 2. ut adeo, si qui contra aliquando egerint, pro transgressoribus semper sint habiti, gravibusque una pœnis coerciti: quanquam maximam partem exempla, quæ Novatores objectant, fabulam sapiant, ut apud laud. AA. videre est. Consulto autem isthic solos Episcopos, Presbyteros, & Diaconos nominavimus: sunt enim non pauci, qui cum cit. Tournelyo existiment, Subdiaconos nec semper, nec universim lege continentiæ adstrictos fuisse etiam in Occidente. Arguunt vero istud ex compluribus Conciliorum Decretis, iis videlicet, in quibus, cum de continentia Clericorum statuitur, soli Episcopi cum Presby-

sbyteris & Diaconis nominantur, nulla Subdiaconorum facta mentione. Id genus Decreta leguntur in Conc. Toletani I. Cap. 1. Toletani III. Cap. 5. Arelatenſis II. Can. 2. & 3. aliisque Conciliis. Quo & illud facit: quod nec Siricius, nec Innocentius I. in ſuis pro Clericorum continentia Decretalibus Subdiaconos appellent.

50 IV. Paulo diverſa fuit, ac etiamnum eſt circa Clericorum continentiam Eccleſiæ Græcæ diſciplina. Ut enim de Subdiaconis nihil dicamus: Diaconis aliquando (& quidem probabilius uſque ad Sec. VII.) conceſſum fuiſſe, ut, ſi in ipſa Ordinatione conteſtarentur non poſſe ſe continentiam ſervare, poſt Ordinationem uxores ducerent, colligitur ex Conc. Ancyrano An. 314. Can. 9. id ipſum vero etiam Epiſcopis & Presbyteris licuiſſe, manifeſta eſt Sectariorum calumnia. Quin primitus in Græca Eccleſia Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos ab uxoribus ante Ordinationem ductis abſtinuiſſe, tametſi nulla legis univerſalis neceſſitate ad id adſtringerentur, conjectare licet ex Euſebio L. 1. Demonſtrat. Evang. Cap. 9. Cyrillo Hieroſol. Catech. 12. Epiphanio, Chryſoſtomo, & Hieronymo apud Tournelyum. Lex porro ad Clericorum continentiam pertinens, quæ univerſim a Græcis recepta eſt, primum in Concilio Trullano An. 692. lata videtur; ſunt autem ejus capita duo. Statuitur nimirum primo: Græcis Epiſcopis non eſſe licitum uxores ante Ordinationem ductas retinere, cum iis cohabitare, minus vero habere conſuetudinem; ac de hoc eſt Can. 12. & 48. uterque deinde religioſe obſervatus. Quin conſtat, eam ſubinde apud Græcos invaluiſſe diſciplinam, ut nemo ad Epiſcopatum aſſumeretur, qui uxorem habeat: verum Religioſus tantum caſtitatem profeſſus, vel certe qui a conjugali commercio fue-

fuerit immunis. Altera legis parte, quæ potius indultum eſt Can. 13. contentum, permittitur Græcis Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis uxores legitimas ante Ordinationem ductas retinere, & omni conjugali jure uti; quem morem hodie etiam tuentur ita, ut præterea nemini ſit integrum poſt ſacrum Ordinem ſuſceptum novo Matrimonii vinculo illigari.

DISSERTATIO IV.

DE SACRAMENTI ORDINIS MINISTRO, ET SUBJECTO.

§. I.

Quis ſit Ordinationis Miniſter?

ORdinatio Miniſtrorum Eccleſiæ nonnunquam a Scriptoribus Eccleſiaſticis promiſcue ſumitur pro electione, conſecratione, aut vocatione; at enim hæc prorſus diverſa ſunt, non confundenda proinde, quod Novatores faciunt. Electio nimirum eſt deſignatio, aut præſentatio certæ perſonæ ad miniſterium vel beneficium Eccleſiaſticum; vocatio, quæ a quibuſdam miſſio dicitur, eſt juriſdictionis ſpiritualis collatio; conſecratio demum eſt ſacra illa actio, qua certo ritu confertur poteſtas Ordinis. Atque de hac ſolum poſtremo ſenſu accepta Ordinatione in præſenti procedit quæſtio propoſita. Ita autem de illa habet

Status Controverſiæ, & Opinionum varietas.

CUm, ut alias notavimus, Sacramenti Miniſter eſſe poſſit 51
ordinarius, vel extraordinarius, de utroque iſthic ſta-

tuendum est. Quamvis autem contra Sectarios, communi Doctorum suffragio solus Episcopus censeatur esse Sacramenti Ordinationis Minister ordinarius: de extraordinario nihilominus, qui videlicet potestate delegata ordinare possit, controvertitur. Sunt nimirum, qui cum Aureolo existiment, simplicem Sacerdotem ex commissione summi Pontificis conferre posse (excepto Episcopatu) omnes Ordines, tam Majores, quam Minores; negat istud contra communior de Presbyteratus Ordine, tametsi multi cum Platelio de Diaconatu & Subdiaconatu concedant; plurimi etiam Diaconatum exclusum volunt; aliqui ad solos Minores Ordines potestatem hanc delegatam extendi putant; pauci demum quidam cum Adriano contendunt, ad nullum omnino Ordinem, seu Majorem, seu Minorem, valide ministrandum concedi posse licentiam simplici Sacerdoti. Opiniones has, earumque momenta cum suis Patronis copiose refert Vasquez in 3. parte D. Thomæ qu. 243. Art. 3. & 4. Nos duabus Assertionibus de tota controversia pronuntiabimus: & quia magnam partem ea fundatur in ministeriali Chorepiscoporum potestate, de hac speciatim in Corollario differemus.

ASSERTIO I.

Solus Episcopus est ordinarius Minister Ordinationis Episcopi & Presbyteri: quin etiam Diaconatus, Subdiaconatus, & quatuor Minorum.

52 PArs I. probatur ex Scriptura & Traditione. Constat enim Act. 14. Paulum & Barnabam Apostolos, proinde Episcopos, per singulas Ecclesias fecisse Ordinationes Presbyterorum: & ad Tim. 1. Timotheum ab Apostolo fuisse ordinatum in Episcopum; nusquam autem legitur Episcopi aut

aut Presbyteri Ordinatio facta a simplice Sacerdote. Post Apostolorum deinde tempora nullus unquam existimatus est Episcopus aut Presbyter valide ordinatus nisi ab Episcopo. Inde vel Novatianus Hæresiarcha, cum Episcopatum Romanum ambiret, tres ex Italia accivit Episcopos, quos deinde crapula oppressos ad se ordinandum coegit, ut ex Cornelii Papæ Epist. ad Fabium Antioch. refert Eusebius L. 6. Hist. C. 43. adeo nimirum vel hæretico homini persuasum fuit, ad conferendum Episcopatus Ordinem opus esse Episcopi ministerio. Et Synodus Alexandrina An. 319. in Ep. synodica declaravit, Ischyram non esse Presbyterum: quia ordinatus est a Collutho, qui non erat Episcopus, sed simplex duntaxat Sacerdos. Plura id genus alia legere est in Hist. Ecclesiastica. Quæ quidem id saltem evincunt: semper in Ecclesia existimatum fuisse jure ordinario potestatem ordinandi Episcopos & Presbyteros solis Episcopis convenire. Verum istud ipsum ex alterius Partis probatione multo certius evadet. Jam vero

Pars II. Probatur rursum tam Scripturæ, quam Traditionis testimonio. Scripturæ quidem: nam Act. 6. primi septem Diaconi ab Apostolis ipsis ordinantur; & Paulus 1. ad Timoth. 3. & 5. ad Titum vero Cap. 1. utrique jam tum Episcopo præscribit, quibus imponenda sit manus; ubi cum generatim loquatur de impositione manus ordinat[illegible] universim Ordinationis cujuslibet jus saltem ordina[illegible] solis Episcopis competere censuerit, pr[illegible]im cum oppositum opinandi nullum sit in Scriptura fundamentum. Sed nimirum magis convincens argumentum suggerit Traditio in Patribus fundata, cum eorum multi universim Ordinum (nullius exceptione facta) collationem attribuant solis Episcopis. Ita Epiphanius Hær. 75. insectatur Aerium, qui 53

 Epi-

Episcopis æquans Presbyteros, his quoque ordinandi jus convenire asserebat. Et Hieronymus Ep. 85. ad Evagrium, *quid enim*, inquit, *excepta Ordinatione, facit Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Chrysostomus vero Hom. 11. in 1. ad Timoth. ait: *Sola Ordinatione superiores sunt Episcopi, atque hoc tantum plus quam Presbyteri habere videntur.*

54 Ad utramque demum Assertionis Partem simul comprobandam præcipuum est momentum ex Conciliis Florentino, & Tridentino. Nimirum Florent. in Decr. pro Arm. de Ordinis Sacramento agens, generatim declarat: *Minister ordinarius hujus Sacramenti est Episcopus.* Et Trident. Sess. 23. Can. 7. definit: *Si quis dixerit Episcopos - - non habere potestatem confirmandi & ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem, - - anathema sit.* Utriusque porro Concilii verba in sensu Assertionis intelligenda esse vel illud suadet, quod nusquam in Ecclesia sciamus ullum, ne Minorem quidem Ordinem ab alio quam Episcopo collatum, nisi ex peculiari Sedis Apostolicæ privilegio.

ASSERTIO II.

Simplex Presbyter potest esse extraordinarius Minister Minorum Ordinum: non item Episcopatus & Sacerdotii; de Diaconatu & Subdiaconatu vix certi aliquid statui potest.

55 PArs I. certa est ex privilegio id genus Ordinationes peragendi simplicibus Sacerdotibus per Pontifices & Concilia concesso, ac sæpe confirmato. Ac primum quidem hujusmodi facultas Abbatibus Presbyteris collata, aut verius confirmata legitur in Conc. Nicæno II. Can. 14. ubi sta-

ſtatutum eſt: *Lectoris autem manus impoſitionem licentia eſt unicuique Abbati in proprio Monaſterio ſolummodo faciendi, - - dum conſtet illum eſſe Presbyterum.* Idem privilegium ſubinde confirmarunt Alexander III. & Innocentius III. ut conſtat ex Cap. *Requiſivit.* de ordinatis ab Epiſcopo: & Cap. *Contingat.* de ætate & qualit. ordinand. in *Extrav.* Quin etiam Trident. Seſſ. 23. de Reform. ſupponit illud, ac tacite approbat, Cap. 10. ita ſtatuens: *Abbatibus & aliis quibuscunque, quantumvis exemptis, non liceat in poſterum intra fines alicujus Diœceſis conſiſtentibus, etiamſi nullius Diœceſis, vel exempti eſſe dicantur, cuiquam, qui Regularis ſubditus ſibi non ſit, Tonſuram vel Minores Ordines conferre.* Huc denique facit praxis vel hodie recepta: nam Cardinales Presbyteri in ſuis Eccleſiis, & Abbates aliqui ſuis Religioſis Minores Ordines re ipſa conferunt.

Pars II. inde arguitur: quod univerſim poteſtas mi- 56
niſtrandi Sacramenti a ſola Chriſti inſtitutione pendeat, hæc vero nobis non ex humanis argutiolis, ſed ex Scriptura duntaxat & Traditione innoteſcat. Jam vero utriusque hujus teſtimonio conſtat, Epiſcopum eſſe Miniſtrum Ordinis Epiſcopatus & Sacerdotii: ex adverſo nullum eſt vel veſtigium poteſtatis, quæ ad hoc miniſterium delegari poſſit ſimplici Presbytero; cenſendum igitur eſt, ita eſſe Epiſcopatus & Sacerdotii Ordinem a Chriſto inſtitutum, ut conferendi ejus poteſtatem delegari noluerint ſimplici Sacerdoti. Certe (quod in hanc rem plurimum momenti habet) nulli unquam ejusmodi poteſtas conceſſa legitur; tametſi ſæpe graviſſima fuerit Eccleſiæ neceſſitas, præſertim primis temporibus, quibus pauci erant Epiſcopi, hique ipſi magnam partem ob ſævitiem Tyrannorum latebant.

Quis

Quis vero credat, tot Seculorum tractu otiosam mansuram fuisse hanc delegandi potestatem, si eam Christus arbitrio Ecclesiæ reliquisset?

57 Pars III. repetitur ab incertitudine argumenti, quo probari solet, dari posse ab Ecclesia licentiam simplici Sacerdoti ordinandi Diaconos & Subdiaconos.

Præcipuum scilicet hujus loci argumentum ducitur ex eo, quod Innocentius VIII. An. 1489. concesserit Abbati Cisterciensi facultatem suis Religiosis conferendi Diaconatus & Subdiaconatus Ordines. Atque concessionis hujus Bullam Vasquez in 3. par. S. Th. *Disp.* 243. C. 4. testatur se legisse, eamdemque asservari in nostro Complutensi Collegio. Idem privilegium pro legitimo agnoscunt Navarrus Consiliorum L. 5. Consil. 13. Major in 4. dist. 7. qu. unic. & Morinus de Ordinat. Par. 3. Exercit. 4. Cap. 3. imo quidam asserunt, extare illud in Ordinis Cistercien. Privilegiorum L. 1. Privileg. 118.

Sed enim Bullam hanc dubiæ ac incertæ fidei esse multi existimant. Nimirum non reperitur illa in Bullario Romæ edito, nec in publicis monumentis, quibus Pontificum Constitutiones & Indulta referuntur. Victoria in summa N. 235. testatur vidisse se Bullam, qua Cisterciensi Abbati conceditur jus suis conferendi Subdiaconatum: at Diaconatus isthic nullam fieri mentionem. Tridentinum Sess. 23. de Reform. Cap. 8. agit ex proposito de Ministro sacræ Ordinationis, & Cap. 10. Prælatorum Episcopis inferiorum privilegia ad Minorum Ordinum collationem pertinentia restringit, quin uspiam ullam injiciat mentionem hujus privilegii. Navarro ipsi suspectum est visum; hinc illud

illud loco cit. *exorbitans* vocat. Hallerius de Min. facræ Ordinat. Sect. 5. Art. 2. §. 2. putat esse suppostitium, addens: *nec nostra, nec Patrum memoria Cistercienses eo privilegio usos fuisse; quod si a S. Sede obtinuissent, nusquam ab ejus usu tamdiu abstinuissent, præsertim in Gallia.* Ex eadem ratione Sylvius in supplem. D. Th. qu. 38. Ar. 1. ambigit de fide Bullæ a Vasquezio visæ.

Quid, quod privilegium hoc (tametsi legitimum foret) sacra Cardinalium Congregatio Tridentini interpres An. 1592. ac rursum Clemens VIII. in Bulla Cisterciensibus data, eo duntaxat sensu accipiendum esse declaraverint: quod Innocentius VIII. concesserit Abbatibus Cisterciensibus, ut cuilibet Episcopo dare possint licentiam ordinandi suos Religiosos absque Ordinarii consensu. Utramque hanc Declarationem commemorat Bensonius L. 2. de Anno Jubilæi C. 23. ejusque expositionem ipse amplectitur.

Jam vero hæc (opinor) satis evincunt, Vasquezianum monumentum in rem præsentem auctoritatis esse dubiæ: proinde nonnisi incertum ex eo argumentum duci. Idem esto judicium de simili privilegio Abbatibus Benedictinis, & Prælatis Franciscanis in India concesso, cujus meminit Henriquez in Summa, in addition. ad L. 10. de Ord. De Chorepiscoporum Ordinationibus dicetur in Corollario. Nihil igitur de memorata potestate delegata certi statui potest, dum certiora ejus proferantur testimonia; id vero si præstiterit aliquis, nihil morabor perinde de Subdiaconatu & Diaconatu, ac de Minoribus Ordinibus pronuntiare.

Diluuntur argumenta Adverſariorum.

58 JUs Ordinationis ordinarium ad ſolos Epiſcopos non pertinere his fere probant. I. Ex Act. 6. Cap. conſtat, ipſos Apoſtolorum Diſcipulos, qui omnes non erant Epiſcopi, jus ſuffragii in Ordinatione Eccleſiæ Miniſtrorum habuiſſe.

II. Conc. Nicænum I. in Ep. Synod. ad Eccl. Alexandr. agens de Clericis, qui ad nullum ſchiſma defecerunt, *jus*, inquit, *habeant & ordinandi, & eos, qui digni Clero fuerint, nominandi.*

III. Qui poteſt majus, poteſt & minus; cum igitur Presbyteri poteſtate ordinaria poſſint conſecrare & abſolvere a peccatis, quod eſt quid majus, cur eadem poteſtate nequeant ordinare, quod eſt quid minus?

Reſp. ad I. ex cit. Cap. clarum eſſe, Apoſtolorum Diſcipulos jus eligendi duntaxat & nominandi Diaconos habuiſſe: nam V. 5. aperte dicitur, *elegerunt Stephanum & Philippum &c.* & V. 6. *hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum*, qui dein (ut ibid. additur) *orantes eis impoſuerunt manus.*

Reſp. ad II. attento Epiſtolæ Nicænæ contextu id colligi unum: memoratis Clericis jus datum, ut Eccleſiæ Miniſtros a populo electos ſolo ſuo ſuffragio approbare & confirmare poſſint, non expectata etiam aliorum Clericorum approbatione & confirmatione; id quod negat Clericis ad Meletii ſchiſma deficientibus, ac ſubinde ad Eccleſiam reverſis. Nec officit vox Græca προχειρίσεσται, qua Con-

Concilium utitur: ſumitur quippe in ſignificatione verbi *præordino*, *deſigno*, ut conſtat ex Act. C. 22. ubi verbum προχειρίσατο, Vulgata reddit *præordinavit*, Anania ſcilicet ad Saulum dicente: *Deus Patrum noſtrorum præordinavit te - - quia eris teſtis illius &c.* hoc eſt deſignavit te in teſtem.

Reſp. ad III. Axioma objectum, ut jam alias L. III. de Confirm. N. 74. in Reſp. ad II. diximus, hoc uno ſenſu verum eſt: poſſe minus eum, qui poteſt majus in eodem genere; ſecus ſi hæc in diverſo genere verſentur. Ita potens remittere peccata gravia, poteſt & levia; contra potens remittere peccata, quod majus eſt, non hoc ipſo poteſt mortuos ſuſcitare, tametſi iſtud ſit minus. Cæterum argutationes hujuſmodi univerſim ſunt futiles in iis, quæ a ſola Chriſti libera voluntate dependent: unde ad hanc unam ſemper contra illas provocandum eſt.

Qui Sacerdotii, aut etiam Epiſcopatus extraordinarium 59
Miniſtrum eſſe volunt ſimplicem Presbyterum, ita arguunt. I. Moyſes, tametſi ipſe non fuerit Sacerdos, Aaronem nihilominus in Sacerdotem unxit & conſecravit Lev. 8.

II. Florentin. in Decr. pro Arm. generatim dicit Sacramenti Ordinis Miniſtrum ordinarium eſſe Epiſcopum; ab oppoſito igitur cenſuit, cujuslibet Ordinis Miniſtrum extraordinarium dari.

III. Complures jam Presbyteri & Epiſcopi a ſimplicibus Sacerdotibus ordinati leguntur. Ita apud Caſſianum Collat. 4. C. 1. Paphnutius Abbas diſcipulum Danielem ordinavit primo in Diaconum, deinde in Presbyterum. Ex

Epiphanio Hær. 73. & Theodoreto L. 4. Hiſt. C. 12. ſub perſecutione Valentis Imper. ejectis in exilium orthodoxis Epiſcopis ſubſtituti ſunt alii per Flavianum & Diodorum Presbyteros. Ex Gregorio Turon. L. 4. Hiſt. Franc. Cap. 5. & ſeqq. colligitur, Catonem Presbyterum, poſt obitum Galli Arvernorum Epiſcopi, propria Epiſcopo munia obiviſſe. Plura his ſimilia congerit Blondellus Calvin. in ſua pro S. Hieronymo Apolog. Sect. 3.

IV. Non deſunt DD. etiam orthodoxi, qui exiſtiment a Summo Pontifice delegari poſſe ſimplicem Sacerdotem ad ordinandos non modo Subdiaconos & Diaconos, ſed etiam Presbyteros. DD. hos commemorat Morinus de Ordinat. Par. 3. Exercit. 4. C. 3. quorum momenta expendens ſupra laud. Vaſquez, de Subdiaconis & Diaconis affirmate pronuntiat primum: de Presbyteris deinde non audet ſtatuere quidquam, ſed Lectoris judicio ſententiam relinquit.

Reſp. ad I. ab ordinatione veteris Legis univerſim argui non poſſe, cum ea imperfectior fuerit, uti & illius Sacerdotium. Moyſen præterea Sacerdotem fuiſſe probabile videtur non paucis: quod ipſum cenſet Leo M. in Ep. 88. arguens ex illis Pſalmi 98. verbis: *Moyſes & Aaron in Sacerdotibus ejus.* Denique Moyſen peculiari voluntate Dei ordinationem Aaronis perfeciſſe conſtat ex cit. Lev. Cap. unde id conſequitur unum: abſoluta Dei voluntate nunc quoque Sacerdotes ordinari poſſe a quolibet, cui Deus id juris pro ſumma ſua poteſtate conceſſerit, quod nos haud inficiamur.

Reſp. ad II. C. Ant. N. Illat. Quod enim Concilium in cit. Decr. *ordinarium* Miniſtrum Ordinis dicat Epiſcopum,

pum, in causa erat: quia ibid. etiam meminit Diaconatus, Subdiaconatus, imo tacite ipsorum Minorum Ordinum; unde, nisi τὸ *ordinarius* adjecisset, facile existimari poterat declarari ab eo, neque horum Ordinum extraordinarios Ministros posse esse Presbyteros: de quo tamen variare Theologorum opiniones noverat. Neque urgeat quis a Confirmationis Ministro: postquam enim Concil. in eod. Decr. dixit, Sacramenti hujus *ordinarium* Ministrum esse Episcopum, continuo ibid. aperte significat, *extraordinarium* præterea esse posse simplicem Sacerdotem: nihil ex adverso simile addit de extraordinario Sacramenti Ordinis Ministro.

Resp. ad III. Dist. assertum: Episcopi & Presbyteri a simplicibus Sacerdotibus ordinati leguntur hoc sensu, quod eos ad hunc sacrum Ordinem promovendo suo suffragio designaverint, elegerint, ac nominaverint, aut etiam jurisdictionem contulerint C. eo sensu, quod re ipsa etiam ritu Sacramentali ordinaverint, potestatem videlicet Ordinis conferentes N. Ita autem rem se habere colligitur tum ex contextu totius narrationis: tum ex Synodo Arausicana I. An. 441. habita, cujus ætatis potissimum exempla profert Blondellus. In hac nimirum Can. 30. statuitur, *ut si quis Episcopus per infirmitatem aut in hebetudinem sensus inciderit, aut oris officium amiserit, ea, quæ nonnisi per Episcopos geruntur, non sub præsentia sua Presbyteros agere permittat, sed Episcopum evocet, & quod in Ecclesia agendum fuerit, imponat.* Quorsum vero istud? si Presbyter ordinare possit, quod præcipuum est Episcopi munus. At sævientibus Tyrannis, inquies, non licebat Episcopos evocare? ita equidem; una attamen constat, Sanctos temporum illorum Præsules tuendæ Religionis studio clam, & mutato sæpe habitu, Provincias Pastoribus viduatas per-

agraſſe. Ita nominatim Euſebius Samoſatenus, *cum multas Eccleſias Paſtoribus privatas comperiret, militarem habitum ſumens --- Syriam, Phænicem, ac Palæſtinam peragravit, Presbyteros ordinans ac Diaconos, aliosque Ordines Eccleſiæ ſupplens*, ut refert Theodoret. L. 4. Hiſt. C. 13. Quod ſi nihilominus fuerint aliqui Presbyteri, qui ſibi (ut indubie aliquando evenit in tanta hæreſum & Schiſmatum varietate) hoc ordinandi jus arrogarent, iſtud non officit: neque enim id genus Ordinationes Eccleſia unquam ratas habuit.

Reſp. ad IV. Ut ut ſit de quorumdam Theologorum ratiociniis & conjecturis; nos in rebus ad Sacramenta pertinentibus (quod olim in ſimili agebat Baſilius) *mentis noſtræ partus non audemus tradere: ſed quæ a SS. Patribus* (Traditionem fundantibus) *edocti ſumus, ea nos interrogantibus annuntiamus.*

Cæterum, quo cumprimis Theologorum quidam in opinionem adverſam adducuntur, ſunt Ordinationes a Chorepiſcopis factæ, quos illi exiſtimant ſimplices fuiſſe duntaxat Presbyteros; at enim momentum hoc eſt futile, aut incertum ſaltem, ut jam videbimus. Sit igitur ſpeciatim

Corollarium
De Chorepiſcoporum Ordine & miniſteriali poteſtate.

PRæ aliis hoc argumentum copioſius pertractant Bellarm. L. 1. de Clericis, Thomaſſinus in vet. & nova Eccl. diſciplina de Benefic. Par. 1. & Morinus de Ordinat. Par. 3. Exer-

Exercit. 4. Ex his nos, quæ ad Chorepiſcoporum inſtitutionem, durationem, & poteſtatem Ordinis pertinent, compendio perſtringemus: oſtenſuri demum, Ordinationes ab illis factas fruſtra nobis Adverſarios oggerere. Jam vero

I. Chorepiſcopi nomen ex communiore ſententia de- 60
rivatur a χῶρος, vel χώρα, χωρίον, quæ idem ſunt, ac *locus*, *regio*, *rus*, *villa*, *pagus*: ut adeo Chorepiſcopus ex vi nominis ſignificet *locum & vices Epiſcopi tenentem*, vel *Epiſcopum ruralem*, *in pago*, *oppido &c.* Ac revera nomini huic Chorepiſcoporum munus reſpondebat. Tametſi enim principio Eccleſias omnes Epiſcopi ipſi adminiſtrarent, creſcente nihilominus ſubinde earum & fidelium numero, ſatis eos diſtinebat cura Eccleſiæ principalis, quam *Matrem* dicimus; inde coacti ſunt minores in pagis & oppidis Eccleſias per Vicarios & ſuffraganeos regere, qui ipſi propterea dicti ſunt τοῦ χόρου ἐπίσκοποι, contractisque in unum vocabulis *Chorepiſcopi.* Idem igitur fere munus erat eorum, quod deinde ac hodie etiam eſt Parochi, aut ſaltem Archidiaconi, vel Decani ruralis. *Fere* inquam: nam licet in Eccleſiæ ſuæ regimine non plus poſſent, quam indulgeret Epiſcopus; communiter attamen indulgebantur eis omnia, quæ Epiſcopo ſunt propria: dempta Presbyteros & Diaconos ordinandi, confirmandi, templa item ac altaria conſecrandi poteſtate. Atque hæc certa ſunt ex Scriptoribus Eccleſiaſticis, cumprimis vero ex copioſis Canonibus, qui referuntur in Decreto Gratiani.

II. Si porro quæras: quonam tempore Chorepiſco- 61
porum munus in Eccleſiam ſit invectum? Si rem hoc nomine expreſſam attendamus, vix dubium eſſe poteſt, ipſo ſta-

ſtatim Eccleſiæ Seculo I. fuiſſe villarum & oppidorum Epiſcopos. Certe Clemens Rom. in ſua ad Corinth. Ep. ait, Apoſtolos *prædicantes per urbes & agros conſtituiſſe Epiſcopos & Diaconos*; idemque Sec. II. & III. factum ab aliis narrat Euſebius Hiſt. L. 5. C. 16. & L. 7. C. 30. Ipſum interim *Chorepiſcopi* nomen ante Seculum IV. in uſu vix fuerit: primum quippe legitur apud Græcos in Conc. Ancyrano Can. 12. & Neo-Cæſarienſi Can. 13. Anni 314. apud Latinos vero in Conc. Regienſi Can. 3. An. 439. Hinc Morinus ſupra cit. Exercit. C. 1. opinatur, Chorepiſcopos quoad eam, quæ deinde illis competebat, poteſtatem non prius quam circa An. Chr. 270. a Synodis quibusdam Provincialibus fuiſſe inſtitutos. Ab eo vero tempore perduravit Chorepiſcoporum Ordo uſque ad Sec. IX. quo exeunte, aut ſaltem ſub medium Seculi X. penitus abrogatus videtur, cum poſterioribus Seculis nulla amplius fiat ejus mentio; id quod probans Morinus in laud. Exerc. C. 6. addit: ſublato nomine & privilegiis Chorepiſcoporum, ſucceſſiſſe iis in Occidente Archipresbyteros, ſive Archidiaconos, & Decanos rurales; in Oriente autem Exarchos. Cauſa porro abrogandi Chorepiſcopos fuit duplex. Primum quidem nonnullorum e Chorepiſcopis præſumptio: erant etenim complures, qui Epiſcoporum jura ſibi integre arrogarent, iis ſubjici renuerent &c. qui abuſus ſæpe in antiquis Canonibus apud Gratian. memorantur. Cauſam alteram præbuit Epiſcoporum deſidia, & muneris ſui negligentia: cum videlicet, toto Epiſcopatus onere in Chorepiſcopos rejecto, multi otio & luxui duntaxat ſe dederent, aut certe partem maximam ſecularibus negotiis & Aularum miniſteriis vacarent, ut legitur in Caroli M. Capitularium L. 6. Cap. 121. & teſtatur Hincmarus Tom. 2. Concil. Gall.

III.

III. Quod jam vero isthic potissimum in quæstionem vocatur, illud est: num Chorepiscopi ordinatione sua veri fuerint Episcopi? aut simplices tantum Presbyteri, jurisdictione peculiari pollentes? Primum opinatus est Rabanus Archiep. Mogunt. quem secuti sunt Lupus, Basnagius, & pauci RR. cum Tournelyo; alterum tuetur Petrus de Marca, Morinus, Thomassinus &c. qui tamen ipsi fatentur evenisse aliquando, ut Chorepiscopatus conferretur alicui vera Episcopali consecratione inaugurato. Inde media has inter duas sententia apud plurimos cum Bellarmino L. 1. de Clr. C. 17. hodie obtinet: Chorepiscopos nimirum ex origine sua & institutione fuisse Presbyteros duntaxat simplices; aliquos nihilominus eorum habuisse etiam Episcopalem Ordinationem & characterem. 62

Primum ex duplici capite certum est. 1mo, Quia nuspiam legitur, consecrari eos oportuisse Episcopi ritu; quin, cum in vetustis pontificalibus aliquando illorum ordinatio describitur, ex toto ritu patet, eum non fuisse sacramentalem, verum meram cæremoniam illi consimilem, qua Archipresbyterorum inauguratio peragitur: ab ea autem, quæ Episcopali Ordini est propria, plane diversam, ut comprobat laud. Morinus. 2do, Quia Leo III. in Responso ad Epp. Gall. & Germ. relato in Capitulari Aquisgran. declarat: Ordinationes Presbyterorum, aut Diaconorum, vel etiam Subdiaconorum a quibusdam Chorepiscopis factas non esse peculiari Decreto irritandas, cum alii unde nullæ sint; omnia proinde a canonice ordinatis Episcopis debere iterum peragi: *quia*, inquit, *quod non ostenditur gestum, ratio non sinit, ut videatur irritatum.* Certe autem ordinationes hæ fuissent validæ, si memoratis Chorepiscopis character & Ordo Episcopatus non defuisset.

Altera autem hujus ſententiæ pars inde evincitur: quod conſtet aliquos Chorepiſcoporum munus adeptos ex iis, qui jam antea in Epiſcopos ordinati, a Sede ſua per Tyrannos ſubinde depulſi ſunt, aut certe ab hæreſi ad Eccleſiam redierunt. Ita Armentarius, Epiſcopatu ſuo Ebrodunenſi dejectus, a ſynodo permiſſus eſt Chorepiſcopum agere in pagis, & urbibus minoribus. Similiter Epiſcopis Novatianis ad fidem converſis Concil. Nicænum I. Can. 8. Chorepiſcopatus dignitatem conceſſit. Plura idgenus vide apud Morinum. Quin etiam prorſus veriſimile eſt, aliquos Epiſcopatus Ordine initiatos fuiſſe a propriis Epiſcopis, iis præſertim, quibus amplæ erant Diœceſes, vel quos ſenium aut ægritudo minus idoneos reddidit ad Paſtorale miniſterium; id quod hodie etiam fieri videmus, cum Epiſcopi aſſumunt Suffraganeos, vel Coadjutores. Ac de talibus Chorepiſcopis videtur loqui Conc. Antiochenum An. 341. dum Can. 10. ſtatuit: *Chorepiſcopi, etiamſi Epiſcopi ordinationem - - acceperint, viſum eſt, ut ſuum modum ſciant &c. Conſtituant Lectores, Hipodiaconos, & Exorciſtas, & eorum promotionem ſufficere exiſtiment; nec Presbyterum, nec Diaconum ordinare audeant abſque Urbis Epiſcopo, cui ſubjicitur regio &c. Fiat autem Chorepiſcopus ab Epiſcopo Civitatis, cui ſubjicitur.*

Pro utraque demum ſimul parte illud facit, quod hac ratione concilientur quam optime pugnantes ad ſpeciem Canones & Pontificum Decreta; quorum aliis declarantur eſſe nullæ ordinationes Presbyteri aut Diaconi a Chorepiſcopis factæ: aliis aperte inſinuatur eſſe tantum illicitas, ſi fiant abſque Epiſcopi licentia.

IV.

IV. Atque ex hac, quam cum Bellarmino tuemur, sententia expeditum est Responsum ad Objectionem, a Chorepiscoporum ordinationibus petitam. Si quando enim Presbyteros consecraverint ordinatione, quam Ecclesia ratam habuit: id ab illis Chorepiscopis factum ajo, qui charactere Episcopali fuerunt insigniti. Si contra ordinationem eamdem attentaverint ii, qui simplices duntaxat erant Sacerdotes: hæc ipsa illa ordinatio fuit, quæ non modo quoad executionem Ordinis, verum quoad ipsum valorem & substantiam pro nulla est habita. Istud vero non arbitrarie, sed cum gravi fundamento sustineri, docent momenta pro hac opinione relata; ut adeo ex Chorepiscoporum ordinationibus perperam inferatur: aliquando ex concessione Ecclesiæ simplices Sacerdotes Presbyteratus Ordinem contulisse. 63

§. II.

Qui sint capaces Sacramenti Ordinis suscipiendi?

QUia Ordinis susceptio esse potest vel valida tantum, aut valida simul & licita: quæ ad utramque ex certa, vel communiore saltem Doctorum sententia requiruntur, isthic exponemus paucis; uberior deinde notitia, eorum præsertim, quæ controversa sunt, petenda erit ex commemorandis Auctoribus.

De valida Ordinis susceptione.

AD hanc I. requiritur in subjecto virilis sexus; hinc mulieres jure divino incapaces sunt Ordinationis sacræ. Prohibentur nimirum illæ loqui & præesse in Ecclesia 1. 64

Cor. 14. & 1. ad Tim. 2. potiori igitur jure etiam ab Ordinibus, quibus proprium est munus regendi Ecclesiam, & in ea prædicandi. Prohibitionem porro hanc ipsum spectare valorem, sensus & praxis Ecclesiæ abunde declarat: cum nullo unquam casu mulierem (tametsi earum aliquæ sapientia non minus quam sanctitate forent illustres) ordinari permiserit; imo istud attentantes hæreticos continuo damnaverit, ut est exemplum in Pepuzianis & Collyridianis teste Epiphanio Hær. 49.

Solemne isthic est quibusdam Novatoribus objectare Joannam Papissam: tum etiam Episcopas & presbyteras, præsertim autem Diaconas, quarum veteris Ecclesiæ monumenta sæpe meminerunt. At enim primum vel ipsi perspicaciores Hæretici fabulis adnumerant, ut nominatim Blondellus in peculiari Differt. de Joanna Papissa; alterum autem quo sensu accipiendum sit, in Corollario dicemus.

65 Requiritur II. ut Ordinationem suscipiens sit initiatus Baptismo, ut qui Ecclesiæ & reliquorum Sacramentorum est janua; inde constanti Traditione habetur, eos, qui sine Baptismo rite suscepto aliquando ordinati sunt, iterum baptizari, tumque rursus ordinari oportuisse. Testimonium hujus certum est ex Conc. Nicæni I. Can. 19. & Innocentii III. ad Ep. Ferrariens. Responso, quod refertur Cap. *Veniens*, de Presbyt. non baptizato.

Illud hic controvertitur: num Sacram. Ordinis mari cuilibet baptizato, proinde etiam infanti ante usum rationis, vel amenti valide conferri possit? Ac communior quidem opinio cum S. Thoma & Bonaventura affirmat, excepto Episcopatu uno; multi cum Præposito & Paludano ne

ne hunc quidem exceptum volunt. Durandus contra cum Tournelyo & paucis aliis omnem id genus Ordinationem contendit esse invalidam. Mihi cum D. Thoma sentiendum videtur, cum in oppositum nullo fundamento solido pugnetur: ex adverso autem paritas a Baptismi & Confirmationis Sacramento urgeat. Id interim certum est omnibus, infantem aut amentem illicite ordinari, cum ordinationes ejusmodi Canonibus Ecclesiasticis adversentur.

Demum III. in adultis requiri intentionem, eamque 66
saltem habitualem, indubitatum est; de quo vide a nobis disputata L. I. de Sacr. in Gen. Differt. V. §. II. Assert. 1. & 2. Unde si rationis usum habens sit invitus, nec ullo pacto in sui ordinationem consentiat, ea omnino est irrita. Aliter nihilominus sentiendum est de iis, qui metu etiam gravi & injuste incusso ordinantur; in his enim non deest simpliciter intentio sufficiens, cum vel coacta voluntas sit voluntas. Ita attamen ordinati non tenentur voto continentiæ Ordinibus adnexo, nisi deinde illud expresse vel tacite ratum habeant.

De licita Ordinis susceptione.

I. QUo licite etiam Ordo suscipi possit, in ordinando 67
(præter statum gratiæ) nominatim requiritur, ne ulla irregularitate sit irretitus. Irregularitatis autem nomine isthic venit impedimentum Canonicum, quo vir baptizatus directe interdicitur susceptione Ordinum, consequenter vero eorum usu, seu exercitio. Varias porro esse irregularitatis species certum est; ego, quantum ad rem præsentem attinet, duas earum classes statuo: alteram

ex defectu, ex delicto alteram. Utriusque species nunc recensendæ sunt. Itaque

68 II. Classis irregularitatum ex defectu ad novem species commode reducitur: eas videlicet, quæ oriuntur ex defectu animæ, corporis, natalium, ætatis, libertatis, obligationis, Sacramenti, bonæ famæ, & lenitatis. Classis altera ex delicto quatuor complectitur species: harum prima est ex homicidio, altera ex iteratione Sacramenti, tertia ex hæresi, ex illicito Ordinis usu ultima. Quo porro sensu singulæ irregularitatum species accipiendæ sint? quando & a quibus incurrantur? quis in illis dispensare possit? hisque similia alia copiosum præbent in Jure Canonico & Morum Theologia disputandi argumentum; cui nos cum immorari non possimus, consulendi erunt Canonistæ & Theologi Morales. Eamdem materiam etiam e Theologis Dogmaticis erudite pertractant Ludov. Habert Tract. de Sacr. Ord. Par. 3. C. 6. §. 1. & seqq. Tournelyus item in Prælect. de Ord. Quæst. 4. Ar. 5.

Corollarium.

De Episcopissis, Presbyterissis, Diaconissis, & Subdiaconissis.

NOmina hæc in pluribus Conciliis & Patrum Operibus occurrunt; ut adeo dubitari nequeat, fuisse olim in Ecclesia Episcopas, Presbyteras, Diaconas, & Subdiaconas. Atque hinc est, quod Novatores crebro declamitent: injuriam a nobis irrogari fœmineo sexui, cum mulieres ab Ordinum susceptione arceantur, imo incapaces etiam eorum pronuntiantur. Sed enim hallucinari istud est, non arguere; ut ex dicendis patebit. Nimirum I. His

I. His nominibus designabantur sacrorum Ministro- 69
rum uxores, quibus post Maritorum ordinationem perpetua fuit continentia observanda, aut etiam in Monasterio solemniter profitenda Religio. Vel eo igitur nomine, quod mulier aliqua Episcopi foret uxor, dicta est Episcopa, idem est de aliis. Atque hoc sensu vocabula hæc a pluribus Conciliis adhibentur; ut cum Conc. Turonense II. Sec. VI. Can. 13. statuit: *Episcopum, Episcopam non habentem, nulla sequatur turba mulierum;* & Can. 19. *Si inventus fuerit Presbyter cum sua Presbytera, aut Diaconus cum sua Diaconissa, aut Subdiaconus cum sua Subdiaconissa, annum integrum excommunicatus habeatur &c.* Idem sensus habetur in Conc. Antisiodorensi Sec. VII. Can. 21. Romano sub Gregorio II. Cap. 1. & 2. pluribusque aliis. His jam autem mulieribus omnibus, quæ a maritis duntaxat, juxta vulgarem loquendi modum, mutuato nomine dicebantur Episcopæ, Presbyteræ &c. nullam fuisse peculiarem ordinationem, nec ullum in Ecclesia ministerium vel inde constat, quod neutrius in monumentis Ecclesiasticis uspiam occurrat vestigium; ut adeo ab his quidem mulieribus frustra erroris sui patrocinium Novatores repetant.

II. At saltem, inquies, Diaconarum nomen eis fa- 70
vere videtur: cum præter illas, quæ a maritis Diaconis nomen hoc mutuarunt, aliæ etiam fuerint, quibus videlicet peculiari ordinatione conferebatur potestas ad Ecclesiæ ministerium. Ac omnino hoc etiam Diaconarum genus olim in Ecclesia fuisse, negari non potest; neque tamen propterea rem confectam putent Sectarii. Tota porro nos inter & illos controversia ut planior evadat,

Fate-

Fatemur 1*mo*, In veteri Ecclesia ad certum Ecclesiastici ministerii genus assumptas quasdam mulieres, quæ propterea Diaconæ vel Diaconissæ dicebantur. Hasque ex mente Interpretum designat Apostolus, cum ad Rom. 16. ait: *commendo vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ*, ubi Græcus textus habet, Phœben διάκονον τῆς ἐκκλησίας, Diaconam Ecclesiæ; item 1. Tim. 5. *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor.* Apertius id præstat Ignatius M. in Ep. ad Antiochen. *saluto*, inquit, *sanctarum portarum custodes, Diaconissas.* Unde liquet primis statim Ecclesiæ temporibus Diaconas fuisse; at quando potissimum desierint, controvertitur. Perdurasse eas in Oriente usque ad Sec. XI. putat Balsamon in Not. ad Can. 15. Concilii Chalcedonensis; in Occidente autem usque ad Sec. XII. Card. Bona in Rer. Liturg. L. 1. C. 25. Illud certum, Diaconarum mentionem fieri Can. 14. & 40. Synodi Quinisextæ, seu Trullanæ An. 692. vel (ut alii cum Cabasutio volunt) An. 707. habitæ. Nullo unquam autem tempore aliæ assumptæ sunt, quam vel Virgines, eæque annorum quadraginta: vel Viduæ, uni duntaxat viro nuptæ, ac jam sexagenariæ; utrisque præterea continentia perpetua fuit servanda. Habentur hæc ex Constit. Apostol. L. 6. C. 17. Epiphanio Cap. ultimo Panarii in expos. Cath. fidei, Conciliis item Chalcedonensi, & Aurelianensi II.

Fatemur 2*do*, his Diaconissis commissa fuisse quædam Ecclesiastica ministeria; commemorat illa Epiphan. Hær. 79. copiosius vero describuntur sparsim in Const. Apost. L. 2. 3. & 8. Præcipua fuerunt: mulieres in sacrum Baptismatis fontem immergendas exuere, & eductas suscipere; imperitas fœminas principia fidei edocere; gerere curam pro-

portæ, qua fœminæ ingrediebantur templum, atque in hoc illis locum designare; internuncias agere mulierum ad Episcopos vel Presbyteros, horumque ad illas &c. Quæ omnia, ut pronum est conjicere, eo spectabant, ut per ministerium Diaconissarum consuleretur decentiæ status Clericalis, & Ministrorum Ecclesiæ existimationi, ac famæ integritati.

Fatemur 3*tio*, Diaconissas fuisse consecratas peculiari quodam ritu, qui speciem ordinationis referret. Sic enim L. 8. Const. Apost. C. 19. præscribitur, *ut* ordinandæ in Diaconam *manus imponat Episcopus, ac dicat: Deus æterne - - respice hanc ancillam electam ad ministerium, & mundam effice, - - ut opus sibi impositum digne perficiat, &c.* Ordo Romanus autem in Bibl. Patrum editus de eadem Ordinatione agens, *tunc*, inquit, *ponat Episcopus Orarium in collo ejus dicens: Stola jucunditatis induat te Dominus.* Plures id genus ordinationis ritus ex vetustis Codicibus refert Morinus de Ordin. Par. 3. Exercit. 10. C. 2. Sed enim

Demum 4*to*, (quod jam contra Novatores est) negamus ritum hunc fuisse Sacramentalem ordinationem, virtute cujus nimirum Diaconissæ verum aliquod Ordinis Sacramentum acciperent, & in Ordine Clericali constituerentur. Cur ita vero? quia quisque Clericorum Ordo est dispositio & gradus ad Sacerdotium, conficiendamque Eucharistiam: Diaconissæ autem non ordinabantur ad suscipiendum aliquando Sacerdotium, & Eucharistiæ administrationem, quamvis similibus fungerentur officiis erga mulieres, quibus Ostiarii & Lectores erga viros. Hinc Epiphanius ad Hær. 79. N. 3. *quamquam*, inquit, *Diaconissarum in Ecclesia Ordo sit, non tamen ad Sacerdotii functionem,*

aut ullam ejusmodi administrationem institutus est; sed ut muliebris sexus honestati consulatur &c.

Qui plura de Diaconissis nosse cupit, consulat Alexandrum Natalem, Thomassinum, ac cumprimis Morinum in Comment. de sacris Ordinat. Par. 3. Exercit. 10.

DISSERTATIO V.
DE RITIBUS AD ORDINIS SACRAMENTUM PERTINENTIBUS.

§. I.
Quæ sint juxta Ecclesiæ disciplinam ante Ordinationem observanda?

JAm inde a principio solicite cavit Ecclesia, ne quis minus idoneus sacro Clericorum Ordini adscriberetur. Inde tot, ac repetita Pontificum & Conciliorum statuta, quibus in ordinandis certæ requiruntur conditiones; ut adeo attento earum fine, jure illas dixerim quamdam ad rite percipiendum Ordinis Sacramentum ex mente Ecclesiæ prærequisitam dispositionem. Uti autem harum conditionum aliquæ ad Ordines præparant vel remote tantum, vel etiam proxime: ita iisdem constans dispositio congrue dividitur in remotam, & proximam; ac de utraque hac nunc compendio agendum habemus.

De remota ad Ordines dispositione.

71 I. PRæcipuum ac prorsus necessarium remotæ hujus dispositionis caput, est divina vocatio; hanc ante omnia sacro-

sacrorum Ordinum Candidatus explorare, hanc in eo Episcopus debet requirere. Nemo quippe (quod Apostolus ad Hebr. 5. monet) *sumit sibi* **honorem** sacri Ministerii, *sed qui vocatur a Deo;* ac si quidem non vocatus sumat, ex eo utique Ministrorum est genere, de quibus Jer. 23. queritur Deus: *non mittebam Prophetas & ipsi currebant;* ac rursum Oseæ 8. *ipsi regnaverunt & non ex me.* Quam vero temerarium istud, ac periculi plenum! hinc sunt profecto illa, quæ non raro lugemus, Ecclesiæ & animarum detrimenta. Unde D. Bernardus in Tract. de vita & moribus Cleric. C. 5. *Videte vocationem vestram, ait vocatus Apostolus; consideremus & nos, an vocati venerimus? & vocati a Deo, cujus hæc vocatio est.* Paucis dein interjectis, *quid istud*, inquit, *temeritatis, imo quid insaniæ est? ubi timor Dei? ubi terribilis illa expectatio judicii? sponsa nec cubiculum ingredi, nisi Rege introducente, præsumit: tu irreverenter irruis nec vocatus, nec introductus.*

Vocationis porro hujus certissimum, quod haberi potest, indicium, est recta mens, & propositum eo consilio sacros Ordines amplectendi, ut gloriam Dei amplius promoveas, & Ecclesiæ ac animarum bona certius procures. Si cui mens alia est: si in sacris Ecclesiæ ministeriis vix animo designat aliud, quam temporalia commoda, opum affluentiam, honores &c. næ is a Deo vocatum se existimaverit. *Sacrum officium* (verba sunt Gregorii M. in Pastorali) *non solum non diligit omnino, sed nescit, qui ad culmen regiminis anhelans in occulta meditatione cæterorum subjectione pascitur, laude propria lætatur, ad honorem cor elevat, rerum affluentium abundantia exultat; Mundi ergo lucrum quæritur sub ejus honoris specie, quo Mundi lucra destrui debuerant &c.* Atque ad hanc ordinandorum vocatio-

 nem,

nem, ejusque indicia attendere Episcopis incumbit, quo sanctionibus Ecclesiæ respondeant, ac cumprimis Conc. Tridentini, quod Sess. 23. de Reform. Cap. 4. aperte decrevit: ut *ne prima* quidem *Tonsura initientur*, - - *de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis judicii fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.*

72 II. Quod præterea ad remotam dispositionem pertinet, est omne id, quo Candidatus Ordinum ad Ecclesiæ ministerium juxta Canonum statuta habilis ac idoneus redditur. Oportet igitur Ordinandum habere Canonicam ætatem, sufficientem scientiam, probitatem vitæ, Titulum Clericalem, honestam Natalium conditionem: eum denique universim esse, qui nulla irregularitate, seu ex defectu, seu ex delicto profecta, sit irretitus; ac si quidem harum conditionum aliqua destituatur, censeri nequit ad suscipiendos Ordines rite comparatus. Quibus demum ex Tridentino addendum: ante Ordines, imo Tonsuram etiam præparationis instar suscipiendum esse Confirmationis Sacramentum; *prima Tonsura*, inquit Concil. Cap. supra cit. *non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint.* Quamvis autem disceptetur: num verba Concilii præceptum, an consilium duntaxat contineant? præscripto nihilominus illorum sancte insistendum est; quando nihil convenientius, atque ut Ecclesiæ Ministri, quorum ductu fideles præliari oportet prælia Domini, non destituantur insignibus Christiano militi propriis.

De proxima ad Ordines dispositione.

73 I. PRoxima ad Ordines dispositio habetur per Tonsuram Clericalem; hinc eam D. Thom. in Supplem. qu. 40.

40. Ar. 2. vocat *præambulum ad Ordinem*; & Trident. Seſſ. 23. Cap. 2. ait, eam eſſe in Eccleſia Ordinum diſtributionem, *ut, qui jam Clericali Tonſura inſigniti eſſent*, per Minores ad Majores gradum facerent. Hujus autem Tonſuræ Clericalis nomine venit ritus ille ab Eccleſia (ut fert communior opinio) inſtitutus, quo quis per capillorum detonſionem in Clerum adſcribitur, & ad ſuſcipiendos Ordines præparatur, eorumque veluti tyrocinium ponit; *ut enim homines ad Baptiſmum exorciſmis, ad Matrimonium ſponſalibus præparari ſolent: ita, tonſo capillo Deo, dedicantur, & aditus ad Ordinis Sacramentum illis aperitur*, ait Catech. Rom. Ex quo quidem patet, quem in finem primæ Tonſuræ ritus in Eccleſiam ſit invectus. Res nimirum plane divina eſt Sacer Ordo; æquum igitur fuit, ut ejus Candidati Eccleſiaſticæ diſciplinæ veluti tyrocinium præmitterent. Inde ab illis, priuſquam ad Ordines admittantur, Eccleſia exigit: ut habitum ſæcularem abjiciant; caput attondeant; veſtem Clericalem aſſumant; ſanctioris vitæ profiteantur diſciplinam; atque *alicui Eccleſiæ* (quod Trid. Seſſ. 23. de Reform. C. 6. ſpeciatim addit) *ex mandato Epiſcopi inſerviant, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Univerſitate, de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad majores Ordines ſuſcipiendos verſentur.*

II. Quod jam vero ad Tonſuræ hujus figuram attinet, tametſi conſtanter orbicularis, quæ coronæ referret ſpeciem, retenta ſit: in modo attamen ejus variatum legimus. Sufficiat in hanc rem teſtimonium ex Concilio Toletano IV. Anni 597. depromptum, quod Can. 15. ita ſtatuit: *Omnes Clerici, vel Lectores, ſicut Levitæ & Sacerdotes, detonſo ſuperius capite toto, inferius ſolam circuli coronam relinquant; non ſicut hucuſque in Galliciæ partibus fa-* 74

 cere

cere Lectores videntur, qui, prolixis ut Laici comis, in ſolo capitis apice modicum circulum tondent.

Si porro de origine ejus, & myſtica ſignificatione quæras: variæ ſunt Doctorum opiniones, quas videre eſt apud Morin. in ſæpe laud. Comment. de Ordin. Par. 3. Exercit. 15. Mihi interim cum Concilii Trident. Catechiſmo Rom. ſentire libet; ita autem ille in Sacram. Ord. §. de variis Ord. Miniſt. iſtud explicat. *Tondentur*, inquit, *capilli ad coronæ ſpeciem, - - quod quidem ex Apoſt. traditione acceptum eſſe, docet Eccleſia; cum de hujusmodi tondendi more SS. Dionyſius Areop. Auguſtin. Hieronym. vetuſtiſſimi, & graviſſimi PP. meminerunt. Primum autem omnium ferunt Apoſtolorum Principem eam conſuetudinem induxiſſe ad memoriam coronæ, quæ, ex ſpinis contexta, Salvatoris noſtri capiti fuit impoſita; ut quod impii ad Chriſti ignominiam & cruciatum excogitarunt, eo Apoſtoli ad decus & gloriam uterentur; ſimulque ſignificarent, curandum eſſe a Miniſtris Eccleſiæ, ut omnibus in rebus Chriſti D. N. ſpeciem & figuram gerant.* Addit deinde & alias juxta quorumdam DD. opinionem ſignificationes.

75 III. Tonſuræ haud incongrue adjeceris piam animi Recollectionem, qua ipſa ſtatus Clericalis Candidatos ad ſuſcipiendos Ordines proxime præparari neceſſe eſt, aut ſaltem prorſus conveniens. Præparationis porro hoc genus jam antiquitus Ordinandis in uſu fuiſſe, colligitur ab exemplo Auguſtini: qui cum a Valerio Hippon. Epiſcopo (non præmiſſa ob temporis anguſtias ſacra id genus exercitatione) in Presbyterum ordinatus fuiſſet, id deinde efflictim poſtulavit ab Antiſtite, ut, priusquam in ſuſcepto Ordine

miniſtraret, liceret ſibi aliquot dierum intervallo rerum divinarum meditationibus ſecreto vacare, quo ſe videlicet ad tantum miniſterium rite compararet *petendo*, *quærendo*, *pulſando*, *orando*, *legendo*, *plangendo*, ut ipſe ait *Ep.* 148. nunc 21.

Poſterioribus deinde temporibus ſacrum hoc Exercitii genus adeo invaluit, ut non modo in morem verteretur, ſed etiam ex præſcripto Præſulum ab Ordinandis obſervandum foret. Certe S. Carolus Borrom. in Concilio Mediolanenſi An. 1576. nominatim conſtituit: ut nemini in ſua Eccleſia ad ſacros Ordines accedere liceret, niſi prius ad eos per ſpiritualia Exercitia aliquot dierum ſpatio ſe comparaſſet. Idem in Romana, & Suburbanis Eccleſiis ſervandum ſanxit Alexander VII. An. 1662. quod deinceps Innocentius XI. & Clemens pariter XI. ad univerſas Italiæ Diœceſes extenderunt. Hodie regnans etiam S. P. BENEDICTUS XIV. id ipſum obſervari magnopere cupit, ut conſtat ex *Notificatione* Bononiæ ab eo edita An. 1734. Haud diſpares ſunt reliquorum Præſulum curæ, quod vel ipſi novimus; in hac certe Metropolitana Viennenſi Eccleſia nulli ad ſacros Ordines (cumprimis autem Presbyteratum) patet aditus, niſi prius ſacra dierum aliquot Aſceſi animum excoluerit, atque de hoc ipſo teſtimonium attulerit. Id ſolum igitur eſt reliquum, ut juſtis adeo & Sanctis Præſulum votis ac conatibus Ordinandi reſpondeant, memores: ne ipſos quidem Apoſtolos, tametſi Chriſti Magiſtri ſui exemplis & doctrina probe excultos, ſacrum Eccleſiæ miniſterium auſpicari prius voluiſſe, quam in cœnaculum a turba ſecedentes, ibique in oratione unanimiter perſeverantes virtute induerentur ex alto.

§. II.

§. II.

Quid de Ritibus in Ordinatione ipsa observari solitis præcipue notandum veniat?

PRolixum foret omnium Ordinationum ritus minutim recensere: multo etiam prolixius singulorum originem, significationem mysticam, & variam circa eos Ecclesiæ disciplinam accuratius expendere. Primum videri potest in Pontificali Rom. Clementis VIII. & Commentario Morini de Ordinat. Par. 2. ex Græcorum, Latinorum, & Syrorum Codicibus ab eo ibid. relatis: alterum apud Menardum in Not. ad Sacram. Gregorii, Martenium de antiqu. Eccl. Ritibus, & cumprimis laud. Morinum sparsim in cit. Comment. Nos ex his præcipua duntaxat referre constitutum habemus: dicturi primum de loco, tempore, & gradibus Ordinationum; dein de manus impositione, & unctione; tum de instrumentorum traditione; de vestibus demum, quibus ad Ordines promoti in ipsa ordinatione induuntur.

De loco, tempore, & gradibus Ordinationum.

76 I. LOcus Ordinationi peragendæ proprius est Ecclesia; & Græci quidem Presbyteros & Diaconos non nisi in *Sanctuario* ordinant: Hypodiaconos autem & Lectores in *Diaconico*, hoc est, loco Ecclesiæ contiguo, & ad sacrorum vasorum custodiam destinato. Atque hic mos est a veteri, ut ex Gelasii Ep. 1. & antiquis LL. Pontificalibus patet; eumdemque confirmat Trident. Sess. 23. de Reform. Cap. 8. statuens: *Ordinationes sacrorum Ordinum - - in Cathedrali Ecclesia, vocatis & præsentibus ad id Ecclesiæ*-

clesiæ Canonicis, *publice celebrentur ; si autem in alio Diœcesis loco*, - - *dignior*, *quantum fieri poterit*, *Ecclesia semper adeatur.* Consulto autem Trid. dicit, *Sacrorum Ordinum*: nam ex more Latinorum *Minores Ordines possunt dari ubicunque*, ut notat Pontificale Rom. in præviis Rubricis ad Tit. de Ordin. confer. Ratio porro publicæ hujus in Ecclesia Ordinationis est, tum decentia & rituum solemnitas: tum etiam, ut de promovendis Cleri & fidelium testimonium habeatur ; hinc jam An. 397. Conc. Carthaginense IV. Can. 22. relato Cap. *Episcopus*. Dist. 24. decrevit : *Episcopus sine concilio Clericorum suorum Clericos non ordinet*, *ita*, *ut civium conniventiam & testimonium quærat.* Sed nimirum hæc omnia de eo duntaxat intelligenda sunt, quod regulariter fieri oportet: ex privilegio enim, aut usu tacita saltem Pontificum consensione approbato, licitum est Episcopis justa de causa in privatis Oratoriis etiam sacros Ordines conferre.

II. Quod ad tempus Ordinationis attinet, duo jam inde ab Ecclesiæ primordiis observata sunt : primum, ne arbitrarium esset quolibet anni tempore sacrum Ordinem ministrare ; alterum, ne sine interstitiis Ordines conferrentur. 77

Primum colligitur ex testimonio Leonis M. qui in Ep. 4. ad Anastas. Thessalon. C. 6. ait repugnare Patrum traditioni, *Presbyteros & Diaconos qualibet die dignitatem accipere :* quod ipsum repetit Ep. 11. ad Dioscorum Alexandrinum; unde Ep. 84. ad Martian. reprehendit Anatolium, quod Aetium *sexta feria in Presbyterum ordinasset*, *Traditionis Apostolicæ aut nescius*, *aut oblitus.* Indubium interim est, circa hæc ipsa stata Ordinationum tempora va-

riationem aliquam in Ecclesia intercessisse ; dum demum partim Pontificum Decretis, partim usu ipso id obtineret, quod in Pontificali Rom. Tit. de Ord. confer. in Rubricis adnotatur his verbis. *Tempora Ordinationum sunt : sabbata in omnibus Quatuor Temporibus ; Sabbatum ante Dominicam de Passione ; & Sabbatum sanctum. Clericatus, seu prima Tonsura, quocunque die, hora, & loco conferri potest. Minores vero Ordines possunt dari singulis Dominicis, & Festivis diebus duplicibus, ubicunque, in mane tamen.* Hæc vero nominatim tempora a multis jam Seculis observari, argumento est Alexandri III. sub med. Seculi XII. Pontificis Epist. ad Episcop. Herfordiensem, relata L. 1. Decr. Cap. 2. & 3. de Tempor. Ordin. ubi contrariam quorumdam *consuetudinem* dicit *institutioni Ecclesiasticæ inimicam ;* unde Urbanus III. ejusdem Seculi S. P. declaravit, ordinatum extra hæc tempora esse suspensum, donec dispensetur cum eo, & Ordinans puniatur, ut habetur Cap. 8. loco paulo ante cit.

Alterum perinde certum est, cum constet antiquum esse in Ecclesia interstitiorum usum. Testis ejus est Cyprianus in Ep. 33. Siricius S. P. in Ep. ad Hymerium, Innocentius I. Ep. 4. ad Felicem. Ac primis quidem Seculis multo plus, atque nunc temporis fuisse inter singulos Ordines interpositum, docemur ex Zozymi sub init. Sec. V. Pontificis Ep. 3. relata Cap. *In singulis*, Dist. 77. ac etiam ex Concilii Constantinopol. VIII. Can. 5. quem rigorem Tridentinum deinde temperavit, ita de Ordinum interstitiis decernens Sess. 23. de Reform. Cap. 11. 13. & 14. Nimirum: ut Minores Ordines per temporum interstitia conferantur; ab his susceptis annus interponatur usque ad Subdiaconatum, ac rursum annus unus ad Diaconatum, ab

ab hoc vero similiter ad Presbyteratus Ordinem: nisi forte Episcopo aliud videretur, ut ibid. addit Concilium. Idem porro laud. Sess. Cap. 11. causam interstitiorum his verbis reddit: *ut in eis* (videlicet ordinandis) *cum ætate vitæ meritum, & doctrina major accrescat; quod & bonorum morum exemplum, & assiduum in Ecclesia ministerium, atque major erga Presbyteros & superiores Ordines reverentia, & crebrior, quam antea, Corporis Christi communio maxime comprobabunt.* Quod vero circa interstitia ex ejusdem Concilii Decreto cumprimis observari oportet, illud est: *ne duo sacri Ordines eodem die, etiam Regularibus, conferantur; privilegiis ac indultis quibusvis concessis non obstantibus*, ut habetur Cap. 13.

III. Gradus Ordinationum ita observandos esse, ut inferiore Ordine prætermisso, superiorem suscipere non liceat, aperte docent complura Pontificum Decreta in Jure Canonico relata. Lege Cap. *solicitudo*, Dist. 52. Cap. *Illud nos*, & Cap. *In singulis gradibus*, Dist. 77. item Cap. *Tuæ Literæ*, de Clerico per saltum promoto, in L. 5. Decr. ac demum Concilii Trident. Sess. 23. de Reform. Cap. 14. sub finem. Ex his certe locis cum pluribus Theologis colligit Suarez: eum qui *per saltum* (ut Jura loquuntur) ordinatus est, ipso jure suspensum esse saltem ab executione superioris Ordinis per saltum suscepti; item non posse suscipere Ordinem prætermissum, nisi prius cum eo dispensetur; demum sic ordinatum, si ministret in Ordine per saltum suscepto, irregularem fieri. 78

De manus Impositione, & Unctione.

I. RItus impositionis manus in Ordinatione Græcis perinde ac Latinis est usitatus, cum eo tamen discrimine: quod Latini eum nonnisi in ordinandis Episcopis, 79

Presbyteris, & Diaconis adhibeant; Græci autem illo universim omnes Ordines, etiam Subdiaconatum & Lectoratum conferant. De ritus antiquitate dubitari non potest, quando tam Christo quam Apostolis ejus usum fuisse familiarem ex Evangg. & Act. Ap. constat. Eumdem ab origine sua pro signo symbolico habitum (ut profanos Scriptores taceam) vel S. Literæ abunde testantur. Ita jam in veteri Lege existimabant Judæi manus impositione conferri supernam quamdam virtutem, eamdemque significari; hinc Deut. 34. Josue fuisse divino Spiritu repletus dicitur, *quia Moyses posuit super eum manus suas.* Et in nova lege (præter alia) ritu hoc designari suffragium & electionem ad ministerium, legimus Act. 14. item 2. Cor. 8. & alibi. In ipsa porro Ordinatione manus impositionem nominatim significare collationem potestatis sacræ, & gratiæ ad eam necessariæ, colligitur tum ex ejus effectu sacramentali, tum ex verbis ritui huic respondentibus.

80 II. Unctio Episcoporum & Presbyterorum apud Latinos usitata, origine sua est omnino antiqua; meminerunt quippe ejus Pacianus Ep. 3. ad Sympron. Leo M. Serm. 8. de Passione Dom. Gregorius M. L. 4. 1. Reg. C. 4. Nicolaus I. ad Consulta Bulg. C. 73. & plures alii. Presbyteris autem manus utraque in modum crucis ungitur oleo Catechumenorum: Episcopis vero tam manus quam caput chrismate. Cujus diversitatis causa, simulque mystica significatio ex Stephano Eduensi de Sacram. Alt. C. 9. hæc est. *Propterea*, inquit, *oleo sancto manus Presbyterorum inunguntur, per quod gratia Spiritus S. eis collata significatur, & quod abundent operibus misericordiæ designatur. In his etiam manus Sacerdotis, quæ in figura crucis oleo sancto signantur, confortantur manibus Christi, & illud insigne miraculum, quod inter manus Sacerdotis fieri creditur,*

ditur, hoc manus Christi operantur &c. Unctio Episcopi fit in capite, quia ordinantur Vicarii illius, qui unctus fuit oleo lætitiæ in plenitudine, &c.

Græcos ritu unctionis non uti in ulla Ordinatione certum est ex eorum Euchologiis, Simeone item Thessalon. in L. de Sacram. aliisque apud Morinum. An autem antiquitus saltem usi fuerint? controvertitur. Ac id quidem nonnulli putant colligi posse ex veterum testimoniis, præsertim Gregorii Naz. Orat. 5. & Auctoris Vitæ Chrysostomi apud Metaphrastem, apud quos sacri Antistites dicuntur *chrismate deliniri.* At aliis istud non videtur esse sufficiens fundamentum propterea, quod in laud. locis *chrysmatis unctionem* mystico duntaxat sensu accipiendam contendant Græcorum rituum periti, ut Arcudius L. 6. de Sacram. C. 1. & Morinus in Comment. de Ord. Par. 3. Exerc. 6. Verum nobis istud insinuasse, satis esto; quando controversiam totam expendere prolixum foret. Si lubet, laud. Morinum consule.

De instrumentorum traditione.

I. QUæ in Ordinatione instrumenta apud Latinos (nam 81 Græcis istud in usu non est) tradantur Presbytero, Diacono, Subdiacono, & inferioribus Clericis, ex Pontificali Rom. jam supra retulimus Differt. II. Ex his ipsis porro instrumentis, ac etiam verborum formis, quæ eorum traditionem comitantur, pronum est cuique statuere, ritu hoc non modo conferri, sed & significari potestatem ministerii singulis Ordinibus proprii. Nec novitium esse ritus hujus usum, comprobant ea, quibus pro antiquitate illius pugnavimus Differt. II. §. I. N. 33. in Resp. ad II. Quod igitur isthic addendum videtur, est ea solum instrumentorum traditio, quæ ex ritu Latinorum fit in Ordinatione Episcopi.

 II. Jam

82 II. Jam vero (ut constat ex Pontif. Rom.) ordinato Episcopo porrigitur *Baculus Pastoralis* Consecratore dicente: *Accipe baculum Pastoralis officii, ut sis in corrigendis vitiis pie saeviens &c.* deinde *Annulus* cum hac verborum forma: *Accipe annulum, fidei scilicet signaculum, quatenus Sponsam Dei Ecclesiam - - intemerate custodias;* demum *Liber Evangeliorum* his verbis: *Accipe Evangelium, & vade, praedica populo tibi commisso &c.* Quibus quidem omnibus quid significationis sacrae insit, ipsa verba instrumentorum traditioni respondentia satis indicant.

Quod si jam de ritus hujus origine quæras: quod certi dicam, nuspiam reperio. Baculi nihilominus & annuli apud Episcopos usum esse vetustum, colligitur ex Conc. Toletano IV. An. 597. & Ordine Romano; in utroque enim fit mentio eorum, ceu Episcopi insignium. Cæterum Baculi Pastoralis non idem semper nomen apud veteres legitur; dictus quippe est a quibusdam *cambuta*, *lituus Pontificius*, *ferula*, *virga Pastoralis &c.* nec materia semper eadem: memorantur enim formati ex argento, auro, cupresso, sambuco, canaa &c. Ad figuram vero quod attinet, apud Latinos (quod sciam) recurva & retorta semper fuit ejus pars summa: apud Græcos contra desinit in globum, vel in signum Crucis, aut instar literæ T. in transversum lignum. Vide de his Card. Bona Rer. Liturg. L. 1. C. 24. Evangelii demum traditio, apud solos Latinos usitata, quibusdam cum Morino videtur recentior, cum eam LL. Rituales ante quingentos annos scripti non commemorent.

De Vestibus, quibus Ordinati induuntur.

VEstes sacris Ministris peculiares, quæ illis in Ordinatione ritu solemni, ac sub certa verborum forma ab Episcopo aptantur, juxta Pontificale Rom. hæ sunt. Nimirum

I. Ad

I. Ad Ordinem Clericatus per Tonſuram promoti induuntur *Superpelliceo*, dicente Epiſcopo: *Induat te Dominus novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt &c.* quod ipſum indumenti genus eſt Ordini cuilibet e quatuor Minoribus proprium. Nomen porro *Superpellicei* Burius in ſuo Onomaſt. putat inde haberi, quod primitus ſuper veſtes pelliceas portaretur, quibus antiqui Canonici veſtiebantur in memoriam primorum Parentum, poſt peccatum tunicis pelliceis indutorum. 83

Uſum ejus aliqui a primis Eccleſiæ temporibus repetunt, exiſtimantes, hoc veſtimenti genus intelligendum eſſe ſub illis veterum vocabulis, *Ephod*, *phelonium*, *lacerna*, *birrus*, *amphibalum*, *&c.* Illud ex S. Hieronymo L. 1. contra Pelag. eſt certius: jam antiquitus Clerum Sacrificiis adſtitiſſe in candidis veſtibus; quod ipſum confirmatur ex Conc. Narbonenſi An. 589. ubi ſancitum fuit, ne Diaconus, Subdiaconus, aut Lector ante finem Miſſæ præſumant ſe *Alba* exuere. Sicut autem Alba talaris eſt, ita etiam ſuperpelliceum olim talare fuiſſe, teſtis eſt Stephanus Tornac. in Ep. ad Albinum, & Honorius Auguſtod. de antiq. Ritu Miſſ. L. 1. C. 232. Progreſſu temporis decurtari cœpit, ut jam hodie vix ad genua pertingat; id quod opinor factum propterea, ut Clerici inferiores in ſuo miniſterio expeditiores eſſent: vel ne quam veſtem cum Superioribus Clericis communem haberent. Apud Græcos interim (Morino teſte) etiamnum Lectores *Camiſium* talare deferunt. In utraque autem Eccleſia candidum ejus colorem eſſe ſemper oportuit: ad commonſtrandum videlicet, Clericum induere debere novum hominem, qui ſit abſque labe & immunditia, ut notat S. Carolus Borom. in Conc. Mediolanenſi V.

II. Subdiacono imponitur primum *Amictus*, deinde *Manipulus*, tum *Tunica*, Epiſcopo ad primum dicente: *Accipe* 84

ami-

amictum, per quem designatur castigatio vocis; ad alterum: *Accipe manipulum, per quem designatur fructus bonorum operum;* ad tertium: *Tunica jucunditatis, & indumento lætitiæ induat te Dominus.* Ac de amictu quidem & Manipulo jam dictum est L. IV. de SS. Euch. N. 203. de sola igitur Subdiaconorum *Tunica* aliquid addendum. Est autem vestis hæc similis Dalmaticæ, qua Diaconi utuntur, minor attamen illa: idcirco a quibusdam dicitur *Dalmatica minor*, & communiter *Tunicella.* Originem ejus referendam opinor longe post Seculum VI. nam ætate Gregorii M. ut ipse commemorat L. 7. Ep. 64. ad Joan. Syracus. Subdiaconi sola Alba induti ministrabant: & in Ordine Rom. iis usus Planetæ (diversæ attamen a Sacerdotum Planeta, ut opinari licet) attribuitur; hinc Honorius Augustod. in Gemma animæ L. 1. serius illis concessam scribit Tunicellam, quam *Subtile* vocat, quia subtilius texebatur. Nunc, quo major sit vestium in Diacono & Subdiacono simul ministrantibus conformitas, nihil differentiæ est inter Dalmaticam & Tunicam. Apud Græcos pariter Subdiaconi deferunt *Tunicam*, quam στιχάριον dicunt, cum eo tamen discrimine, quod (teste Morino) discissa utrinque non sit, ut apud Latinos.

85 III. Diaconus, post impositam *Stolam*, induitur *Dalmatica;* ad stolam Episcopus dicit: *Accipe Stolam candidam de manu Dei, adimple ministerium tuum &c.* ad Dalmaticam vero: *Induat te Dominus indumento salutis, & vestimento lætitiæ, & Dalmatica justitiæ circumdet te semper.* De Stola diximus L. IV. supra cit. N. de Dalmatica vero Card. Bona hæc adnotat. Diaconorum indumentum nunc est Dalmatica ex institutione S. Sylvestri, qui (ut legitur in ejus Actis) præcepit, ut in Ecclesia Dalmaticis uterentur, cum antea Colobiis uti solerent, teste Alcuino. Erant autem Colobia tunicæ sine manicis; non quod manicis carerent, sed quia ad cubitum tantum pertingebant: Dalmaticæ vero manicatæ erant, talares, sericæ, albæ, auro or-

ornatæ, & plagulis, seu clavis ex purpura assutis distinctæ. Hactenus Bona. Nunc addendum & illud: Dalmaticas semper fuisse laxis & apertis manicis in signum liberalitatis, quam Diaconos, utpote eleemosynis erogandis præfectos, exercere oportebat; hinc Innocentius III. *manicarum*, inquit, *latitudo largitatem datoris demonstrat.* Apud Græcos στιχάριον vestis est communis perinde Diacono ac Subdiacono, ut ex Euchologiis & Simeone Thessal. refert Morinus de Ordin. Par. 2. Adnot. in Græcas Ordinat. N. 30.

IV. Presbyter, præter *Stolam*, induitur *Capula*; verba 86
his respondentia sunt: *Accipe jugum Domini, jugum enim ejus suave &c.* item, *Accipe vestem Sacerdotalem, per quam charitas intelligitur &c.* De utroque hoc vestis genere consule dicta L. IV. cit. N. 208.

V. Episcopo sub finem Ordinationis Consecrator impo- 87
nit *Mitram*, tum etiam manibus ejus *Chirothecas*. Ad Mitram autem dicit: *Imponimus, Domine, capiti hujus Antistitis galeam munitionis & salutis, quatenus decorata facie, & armato capite, cornibus utriusque Testamenti terribilis appareat hostibus veritatis &c.* ad Chirothecas vero: *Circumda, Domine, manus hujus Ministri tui munditia novi hominis &c.* Ex quibus verbis facile colligas symbolicam utriusque significationem; quidam interim cum Cl. Berti putant, per Mitram bifidam designari jus spirituale & temporale: per Chirothecas autem manuum custodiam. Sed de utroque hoc vestimenti genere amplius dicendum.

Mitra, a Græco μίτος *filum*, est quodvis capitis tegmen ex filis contextum; subinde interim speciatim Episcoporum pi-

pileus bicornis, qui juxta Burium duo Moyſis cornua refert, hoc nomen obtinuit. Idem apud veteres nonnunquam vocatur *cidaris*, *phrygium*, *corona Sacerdotalis*, *caphia*, *tiara*, *inſula;* quæ poſtrema duo nomina etiamnum ſunt in uſu. De tempore, quo primum Epiſcopi mitra uti cæperunt, variant Eruditorum opiniones. Quidam id ad Sec. X. referendum putant propterea, quod vetera monumenta ad hanc uſque ætatem Epiſcopos, cæteris quidem Pontificalibus ornamentis indutos, at nudo ſemper capite exhibeant. Alii cum Cl. Sauſſay L. 1. Panopl. ab ipſis Apoſtolorum temporibus Mitræ Epiſcopalis originem repetunt, nixi videlicet Epiphanii, Gregorii Naz. & quorumdam PP. aliorum teſtimoniis. Card. Bona utramque opinionem conciliare nititur, exiſtimans: Mitram, qualis eſt hodie, ornatum eſſe nuperum, qui videlicet ante Sec. X. vix fuerit in Eccleſia; aliquod nihilominus tegmen admittendum, quo aliqui ſaltem Epiſcopi a primis Eccleſiæ temporibus caput ornaverint. Atque iſtud probat ex Epiphanio, qui in Hær. Antidicomarianit. affirmat Jacobum Apoſtolum in capite geſtaſſe Pontificale πέταλον, ſeu laminam; quod ipſum de Joanne Apoſtolo refert Hieronymus L. de Script. Eccl. & ex Polycrate Euſebius L. 5. Hiſt. Cap. 24. Ut ut vero iſta ſint: certe Gregorius Naz. in Orat. 5. de ſua Ordinatione loquens, *Cidarim* ait ſuo capiti impoſitam. Eſt vero Cidaris uſus (teſte Morino) etiam apud Epiſcopos Orientales, Maronitas ſcilicet, Neſtorianos, & Jacobitas; non item apud Græcos: quanquam horum aliquos in Regionibus noſtris ſciam uti Mitra, quæ ſpeciem Ducalis pilei habeat. ☙

Chirothecæ Græcis, Latinis ſunt *manicæ:* utriſque a *manu*, ut conſtat. Earum in Eccleſia uſum eſſe traditio-

nis

nis Apoſtolicæ ſcribit Honorius Auguſtod. in Gemma animæ L. 1. Cap. 215. at opinionem hanc plurimi rejiciunt: cum per aliquot Secula nullum earum monumentum reperiatur, nec illis unquam ſit uſa, uti nec hodie utitur Eccleſia Orientalis. Cæterum Ordo Rom. in Ordinatione Epiſcopi Chirothecarum jam meminit: Miſſa item Ratoldi apud Menardum; quæ ſatis indicant earum in Eccleſia vetuſtatem.

Reliqua Epiſcoporum ornamenta, quibus ſub ſolemni Officio veſtiuntur, ad propoſitum noſtrum non faciunt; de iis enim ſolum iſthic agere conſtituimus, quibus Miniſtri Eccleſiæ in ipſa Ordinatione ab Epiſcopo ordinante induuntur. De reliquis poteſt conſuli Bona Rer. Liturg. L. 1. C. 24. ubi *de ſacris indumentis Sacerdotum*, *Pontificum*, *& Miniſtrorum* copioſe, una ac erudite differit.



LIBER VIII.

De Matrimonio.

NE a proposito recedamus, in argumento hoc, facile omnium amplissimo, ita versabimur, ut ea solum, quæ in Matrimonio rationem Sacramenti constituunt, aut ad explicandam illam cumprimis conferunt, in quæstionem vocemus. Atque istud Dissertationibus quatuor præstabimus. I. erit de Natura, Existentia, & Institutione Sacramenti Matrimonii. II. de ejusdem Materia, Forma, Ministro, & Subjecto. III. de Effectibus, & proprietatibus. IV. de Ritibus ad Matrimonii Sacramentum pertinentibus. His omnibus more nostro præmittemus Tridentinos Canones, quædam item aliorum OEcumen. Conciliorum Decreta, tum Propositiones damnatas.

CANONES CONCILII TRIDENTINI

Ex Sess. XXIV. de Sacramento Matrimonii.

I. SI quis dixerit Matrimonium non esse vere, & proprie unum ex septem Legis Evangelicæ Sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum; neque gratiam conferre; anathema sit.

II. Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla Lege divina esse prohibitum; anathema sit.

III. Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis, & affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire

dire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec poſſe Eccleſiam in nonnullis illorum diſpenſare, aut conſtituere, ut plures impediant & dirimant; anathema ſit.

IV. Si quis dixerit Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe; anathema ſit.

V. Si quis dixerit propter hæreſim, aut moleſtam cohabitationem, aut affectatam abſentiam a conjuge diſſolvi poſſe Matrimonii vinculum; anathema ſit.

VI. Si quis dixerit Matrimonium ratum non conſummatum per ſolemnem Religionis profeſſionem alterius conjugum non dirimi; anathema ſit.

VII. Si quis dixerit Eccleſiam errare, cum docuit, & docet juxta Evangelicam & Apoſtolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui cauſam adulterio non dedit, non poſſe altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere; mœcharique eum, qui dimiſſa adultera, aliam duxerit, & eam, quæ dimiſſo adultero, alii nupſerit; anathema ſit.

VIII. Si quis dixerit Eccleſiam errare, cum ob multas cauſas ſeparationem inter conjuges quoad thorum, ſeu quoad cohabitationem, ad certum, incertumve tempus fieri poſſe decernit; anathema ſit.

IX. Si quis dixerit Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos poſſe

Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica vel voto: & oppositum nil aliud esse, quam damnare Matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum; anathema sit: cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari.

X. Si quis dixerit statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cœlibatus, & non esse melius, ac beatius manere in virginitate, aut cœlibatu, quam jungi Matrimonio; anathema sit.

XI. Si quis dixerit prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab Ethnicorum superstitione profectam, aut benedictiones, & alias cæremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit; anathema sit.

XII. Si quis dixerit causas Matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos; anathema sit.

DECRETA ALIORUM CONCILIORUM.

Conc. *Lateranense IV. Can.* 51. prohibet clandestina Matrimonia; prolem ex illis susceptam declarat illegitimam; Parochum, qui conjunctiones in gradibus prohibitis impedire contempserit, & Regularem quemlibet, qui eis interfuerit, per triennium ab officio suspendit.

Ibidem statuit, ut, cum Matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesiis publice proponantur per Presbyteros, competenti termino præfinito.

Con-

Concil. Constantiense Sess. 15. *damnat Joannem Hus, quod (præter alia) de Sacramento Matrimonii male sentiret; hinc approbante Concilio Martinus V. decrevit, ut suspecti de hæresi interrogentur:* an credant? quod Christianus contemnens susceptionem Sacramentorum Confirmationis, vel Extremæ Unctionis, vel Solemnisationis Matrimonii, peccet mortaliter.

Conc. Florentinum in Decr. pro Arm. §. de Matrimon. Septimum est, *inquit*, Sacramentum Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi & Ecclesiæ secundum Apostolum dicentem: Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Causa efficiens Matrimonii, regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.

Idem eodem loco: Assignatur autem triplex bonum Matrimonii: Primum est proles suscipienda & educanda ad cultum Dei. Secundum est fides, quam unus conjugum alteri servare debet. Tertium indivisibilitas Matrimonii propter hoc, quod significat indivisibilem conjunctionem Christi & Ecclesiæ.

Demum concludit: Quamvis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est, cum Matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit.

PROPOSITIONES DAMNATÆ AB INNOCENTIO XI.

IX. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

L. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium: adeoque sufficit in Confessione dicere, se esse fornicatum.

DIS-

DISSERTATIO I.

DE NATURA, EXISTENTIA, ET INSTITUTIONE SACRAMENTI MATRIMONII.

§. I.

Quid sit Matrimonium? quæ item de illo generatim sumpto notanda veniant?

Abstrahendum est tantisper a Sacramenti ratione, quæ in Matrimonio reperitur, quo de illa deinceps expeditius fiat differendi argumentum. Præliminarium igitur instar de Matrimonio generatim sumpto isthic præfabimur pauca: de nomine ejus videlicet, de definitione, substantia, origine, honestate, & necessitate.

Nomina Matrimonii.

1 Hoc ipsum *Matrimonii* nomen omnium usitatissimum est ad significandam rem, quæ illo designatur. Deducitur autem a *Matre;* seu quod prima prolis ex Matrimonio natæ cura incumbat Matri: seu quod hæc prolis onus cumprimis sentiat. *Matri quippe* (ut ait Gregorius IX. Cap. *Ex Literis.* de Conversf. Infid.) *infans ante partum onerosus, dolorosus in partu, post partum laboriosus; ac ex hoc legitima conjunctio maris & fœminæ magis Matrimonium, quam Patrimonium nuncupatur.* Atque hinc est, quod communiter existimetur *Matrimonium* esse quasi *Matris munium,* seu officium. Idem porro Græci vocant γάμος a verbo δαμῶ, quod idem est, ac *domo:* idque juxta Arcudium de Matrim. L. 7. propterea, *quod conjuges domet.* Cui plane

ne conſentit haud infrequens apud Latinos *Conjugii* nomen, multorum opinione derivatum a *jugo*; per Matrimonium enim mas & fœmina conjunguntur ſub eodem quaſi jugo, cum quisque eorum corporis ſui poteſtatem & libertatem amittat, ſeque alter alteri ſubdat juxta illud 1. Cor. 7. *mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet ſed mulier.*

Definitio, & Subſtantia Matrimonii.

I. MAtrimonium ſumi poteſt vel pro contractu, vel 2
pro vinculo jam per contractum inducto; ſeu quod idem eſt, pro Matrimonio *in fieri*, vel *in facto eſſe*, ut Scholæ loquuntur.

Primo modo ſumptum eſt *contractus, quo vir & fœmina mutuo ſibi tradunt & accipiunt jus ad ſua corpora in ordine ad actum conjugalem, ſeque ad mutua obſequia in perpetuum obligant.* Atque hic contractus, ſi ſpectetur ut actus mere naturalis, eſt in officium naturæ ad propagationem generis humani neceſſarium; ſi vero ſpectetur ut eſt ſimul actus civilis, perfectionem ſuam habet a legibus Reipublicæ, ex quarum præſcripto celebratur.

Pro vinculo ſumptum Matrimonium eſt *viri & fœminæ conjunctio maritalis, individuam vitæ conſuetudinem retinens*; ubi per conjunctionem deſignatur nexus ex contractu ortus, idemque habitualiter perſeverans. Dicitur autem *maritalis* ad ſignificandum Matrimonii finem & objectum, mutuam ſcilicet corporum traditionem. Reliquis verbis ſignificatur vinculi indiſſolubilitas, & perpetua ad mutuam vitæ ſocietatem obligatio.

3 II. Ex his jam definitionibus pronum eſt ſtatuere, quid Matrimonii ſubſtantiam conſtituat. Ac illud quidem pro *contractu* acceptum, ſeu ut eſt actus mere tranſiens, in ſolo mutuo contrahentium conſenſu legitime expreſſo conſiſtere, nemo negat; idemque facile evincitur ab exemplo aliorum contractuum. At de eodem pro *nexu permanente* ſumpto controvertitur. Certe Julianus Pelagianus teſte Auguſtino L. 5. contra eumdem C. 16. & Wicleffus teſte Thoma Vald. Tom. 2. de Sacr. C. 130. totam Matrimonii eſſentiam reponebant in ejus uſu, ſeu carnali conjunctione: Quamvis autem DD. orthodoxi iſtud, ceu erroneum, rejicerent: fuerunt nihilominus aliqui, qui cum Medina L. 5. de Contin. Sacr. hominum C. 64. exiſtimarent, ſine copula non eſſe verum ac perfectum Matrimonium, tametſi illud jam ante conſummationem contrahi faterentur.

Sed enim utrique opinioni huic repugnant Patrum ſenſa. Contra primam Chryſoſtomus aperte pronuntiat, dum Hom. 32. in Matth. ait: *Matrimonium non facit coitus, ſed voluntas.* Contra alteram pugnat Auguſtinus L. 1. de Nupt. & Concup. C. 11. ubi inter V. Mariam & Joſeph verum fuiſſe Matrimonium aſſerens, *neque enim*, inquit, *fallaciter ab Angelo dictum eſt ad Joſeph; noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Conjux vocatur ex prima fide deſponſationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus; nec perierat, nec mendax manſerat conjugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat carnis ulla commixtio.* Et antea ibidem: *quibus placuerit ex conſenſu ab uſu carnalis concupiſcentiæ in perpetuum continere, abſit, ut inter illos vinculum conjugale rumpatur; imo firmius erit, quo magis ea pacta ſecum inierint, quæ concordius ſervanda ſunt,*

non

non voluptuariis corporum nexibus, sed voluntariis affectibus animorum. At de his adhuc recurret sermo Differt. II. §. I. N. 36. Nunc

Reliquum est, ut Matrimonii pro vinculo permanente accepti substantiam reponamus in nexu illo & jure perpetuo, quod ex mutuo partis utriusque contractu resultat. Nimirum, cum Matrimonium hoc sensu acceptum sit quid firmum ac stabile, nequit consistere nisi in eo, quod ipsum etiam stabiliter perseveret; istud vero est vinculum & jus memoratum: non item seu contractus, seu carnalis commixtio, qui sunt actus transeuntes, ergo &c. Quid quod universim rei dominium ex contractu ortum non constituatur per contractum, aut usum rei: verum per jus permanens ad usum rei ex contractu acquisitæ; quid ni igitur idem sentiendum de Matrimonio? Hanc eamdem certe sententiam amplectitur Catechismus Concilii Trid. Par. 2. de Sacram. Matr. N. 5. & 6. ac jam ante illum D. Thomas in 4. dist. 26. qu. 2. Ar. 3. ac rursum in Supplem. qu. 44. Ar. 1. in Resp. ad 1.

Origo, & Institutio Matrimonii.

I. MAtrimonium secundum se, ac ut est merum naturæ officium, originem suam habet ex naturæ lege, quam ipsam deinde Deus lege positiva confirmavit. 4
Ut enim post D. Thomam in suppl. qu. 41. Art. 1. in ⊙ arguit Estius, *natura, etiam secluso peccato, inclinat hominem ad prolis generationem, & ad eum finem sexuum diversitas est ordinata, ut quæ extra conjugium nullum alium usum habeat.* Ipsa deinde proles, sicut concepta juxta naturæ ordinem in lucem edi debet ita in lucem edita

nu-

nutriri ac educari : utrumque porro hoc nutritionis ac educationis officium certos requirit parentes, eosque vinculo quodam indiſſolubili colligatos. Quæ quidem naturalem Matrimonii legem ſatis indicant ; hujus autem origo vel ideo repetenda eſt a Deo, quod is ſit auctor naturæ univerſæ. Sed nimirum idem legem hanc deinde poſitiva etiam ſanctione firmavit. Id quod (ut omittam alia) aperte colligitur ex iis Chriſti verbis, quibus Phariſæis interrogantibus, num uxorem liceat dimittere ? ita reſpondit Matth. 19. *non legiſtis ? quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos ; & dixit : propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una ; - - quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Quamvis autem verba ex Gen. 2. iſthic recitata, ab Adamo prolata ſint, ea nihilominus Chriſtus attribuit Deo; quia nimirum Adamus illa *Divini Spiritus inſtinctu pronuntiavit*, ut declarat Trident. Seſſ. 24. in Doctr. de Sacr. Matr.

5 II. Fatendum interim fuiſſe PP. nonnullos, qui Matrimonii originem, non ab inſtitutione naturæ, verum ex primo Protoparentum peccato repetendam cenſerent. Opinionis hujus fuerunt Chryſoſtomus Hom. 18. in Gen. Damaſcenus L. 2. Fidei Orthod. C. 30. Eutymius in Pſ. 50. quin ipſe Auguſtinus L. 1. de Geneſi contra Manich. C. 19. juxta quos inter primos Parentes noſtros ante peccatum non fuit ullum Matrimonium ; imo nec deinceps futurum erat, ſi in ſtatu innocentiæ permanſiſſent, multiplicandum proinde genus humanum fuiſſe, ſine via generationis, modo nobis incognito, ac forte eo, quo in Paradiſo creatus eſt primus homo. Sed nimirum opinio hæc ſuſtineri nequit, ut vel rationes ex D. Thoma ſupra adductæ compro-

probant. Adverſantur illi præterea plurium Patrum aliorum ſententiæ; quos inter eſt Tertullianus L. de anima C. 11. Hieronymus in C. 5. Epiſtolæ ad Epheſ. Innocentius III. L. 2. Ep. 219. & PP. Concilii Moguntini C. 36. item Colonienſis Par. 7. C. 41. Quodque amplius eſt, ipſe Auguſtinus ſubinde communem aliorum Patrum ſententiam eſt amplexus, ſuamque priorem retractavit L. 1. Retract. C. 10. 13. & 19. ac iterum de Civ. Dei L. 14. C. 21. & ſeqq. Illud nihilominus cum laud. Synodo Colonienſi fateri oportet: Matrimonium, quod ante peccatum fuit in merum naturæ officium, poſt peccatum fuiſſe ſimul in concupiſcentiæ remedium; at *non ulla nova conſtitutione*, *ſed ſola rerum mutatione*, ut obſervat Maldonatus.

Honeſtas Matrimonii.

I. EX Libris ab Irenæo, Epiphanio, & Auguſtino contra hæreſes ſcriptis conſtat, Matrimonium damnaſſe 6
Simonianos, Nicolaitas, Tatianos, Manichæos, compluresque alios hæreticos. At enim errori huic oppoſitum ſemper docuit Eccleſia; ex cujus mente Matrimonium eſt honeſtum ac licitum. Ac ſane niſi iſtud ita habeat, qui fieri poterat, ut Chriſtus Joan. 2. nuptias in Cana Galilææ ſua præſentia, imo & prodigio cohoneſtaret, ac ſanctificaret? Sed nihil in rem præſentem certius repetitis Apoſtoli verbis: *Si acceperis uxorem*, inquit, *non peccaſti*; *& ſi nupſerit virgo*, *non peccavit*. - - *Qui Matrimonio jungit virginem ſuam*, *bene facit*. 1. Cor. 7. & rurſus ad Hebr. 13. *honorabile connubium in omnibus*, *& thorus immaculatus*. At forte uſus ſaltem conjugii damnandus eſt? neque iſtud; quando rurſum Apoſtolus in cit. ad Cor. Ep. *Uxori*, inquit, *vir debitum reddat*, *ſimiliter autem & uxor viro*. - -

No-

Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.

7 II. Nec diversa est a verbis Apostoli doctrina Patrum, quorum complures propterea adversum memoratas hæreses scriptis pugnarunt. Equidem damnant illi nonnunquam commixtionem carnis; at eam, quæ est extra connubium: aut certe illam, quæ in Matrimonio ipso cum excessu sæpe conjungitur. Usum vero suis circumscriptum terminis adeo non improbant, ut eum in statu etiam innocentiæ futurum fuisse existiment. Audiatur præ aliis Augustinus L. 14. de Civ. Dei C. 22. & 23. *Certum est*, inquit, *Masculum & fœminam ita primitus institutos, ut nunc homines duos diversi sexus videmus. - - Quisquis autem dicit non fuisse coituros, nec generaturos, nisi peccassent, quid dicit, nisi propter numerositatem Sanctorum necessarium fuisse peccatum?*

Necessitas Matrimonii.

8 I. Lutherus & Calvinus sub ipsum statim suæ (si Superis placet) Reformationis principium summis curis complexi sunt Matrimonii causam. Larva nimirum aliqua inducenda fuit lasciviæ, in quam se licentiose adeo effuderunt, ut oculis subduci non posset. Quid igitur? docent Matrimonium omnibus esse necessarium, & plus quam præceptum; continentiam esse impossibilem; cœlibatum esse causam portentosæ libidinis, & nefandorum criminum &c. Vide Calvini LL. Inst. & Lutheri L. de Capt. Bab. ipsam etiam Confess. August. in Articulis de abus. mut. §. 2. cumprimis autem celebrem ad Albertum Archiep. Mogunt. Epistolam, in qua hæc legas: *non video, quomodo sine offensa & ira Dei possit manere vir sine conjuge;* &

& horribile est, si absque uxore inveniatur in morte. En reformati Evangelii placita! quae expendens Erasmus (tametsi & ipse in fide labasceret) non dubitavit L. 19. Epist. suae 50. de Reformatis haec inserere: *duo tantum quaerunt, censum & uxorem; caetera praestat illis Evangelium, hoc est, potestatem vivendi, ut volunt.* Sed jam nobis

II. Errori huic opponenda est Magistra veritatis Ecclesia: quae licet fateatur, initio mundi extitisse naturale, ac divinum Matrimonii praeceptum, imo & nunc respectu totius hominum communitatis extare; negat nihilominus illo obstringi omnes & singulos, quin etiam Matrimonio Caelibatum anteponit. 9

Scilicet mundi principio ad propagandum genus humanum necessarium erat Matrimonii medium: imo & nunc ad ejusdem conservationem eadem est necessitas; unde isthuc spectabat, ac etiamnum spectat naturae instinctus, ipsa hominis ad generationem habilitas, ac denique illa Dei verba Gen. 1. *crescite & multiplicamini*, ut quidam volunt: nam alii existimant, verbis his solam Dei benedictionem designari, cum eadem brutis etiam animantibus dicta sint. Sed enim multiplicato subinde humano genere, uti causa necessitatis hujus, ita necessitas ipsa universalis desiit; inde jam in lege veteri nonnullos vixisse caelibes & castos novimus, ut Josue, Eliam, Joannem Baptistam &c. Quid quod Is. 56. & Sap. 3. vel in thoro conjugali laudetur castitas. De legis porro Evangelicae statu minus dubium esse potest; cum Christus in se ipso & Matre sua exemplum virginitatis dederit: ac etiam per Apostolum 1. Cor. 7. edixerit: *qui Matrimonio jungit virginem suam, bene facit, & qui non jungit, melius facit.* Quae ver-

verba ſimul comprobant, Matrimonium adeo non eſſe omnibus neceſſarium, ut ei etiam virginitas ſit præferenda. Inde oppoſitum ſentientis Joviniani doctrina jam ante ab Eccleſia damnata eſt, ac noviſſime eundem reformatorum errorem Concil. Tridentinum Seſſ. 24. Can. 10. anathemati ſubjecit. Addi hic poſſent magno numero Patres, Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus &c. vel Chryſoſtomi interim L. de Virgin. clariſſima verba ſuffecerint: *mihi ipſe perſuadeo*, inquit, *Virginitatem conjugio multo eſſe præſtantiorem.*

At ſollicitum forte habebit Novatorum aliquem conſervatio generis humani: ſi enim (inquiet) ex præcepto neceſſarium non ſit Matrimonium, quin eidem præferenda etiam Virginitas, evenire poteſt, ut genus humanum deficiat. Idem plane metus aliquando inceſſerat Jovinianum, hocque ipſo errorem ſuum tuebatur. Sed enim vanus hic timor eſt: nec tam illo quæritur generis humani, quam ſpecioſum libidinis patrocinium. Hoc igitur unum a me Novatori reſponſum eſto, quod olim in eadem cauſa Joviniano dedit Hieronymus: *noli*, ajebat, *noli metuere, ne omnes Virgines fiant; difficilis eſt virginitas, & ideo rara, quia difficilis.*

§. II.

An Matrimonium in Lege Evangelica ſit verum, & proprie tale Sacramentum a Chriſto inſtitutum?

Omnes DD. Orthodoxi cum Novatoribus in eo conſentiunt, quod Matrimonium pro vinculo permanente ſumptum, non ſit Sacramentum proprie dictum; quod igitur in contro-

ver-

versiam vocatur, est actio illa transiens, per quam Matrimonium contrahitur, seu, ipse matrimonialis contractus. Quæritur nimirum: num contractus hic in Lege Evangelica ad dignitatem Sacramenti a Christo sit evectus? De quo priusquam ex sensu Ecclesiæ statuamus, præmittenda est Sacramenti Matrimonii definitio: notandæ item DD. opiniones, & Novatorum error.

Definitio Sacramenti Matrimonii.

Matrimonium pro Sacramento acceptum, est *legitimus ma-* 10
rem inter & fœminam contractus, quo sibi mutuo tradunt jus in corpora ad usum conjugalem, & se ad individuam vitæ societatem obligant, quique ex institutione Christi significat & causat gratiam sanctificantem. In hac descriptione designatur institutio ad Sacramentum requisita, materia & forma, Minister, subjectum, & effectus: uti hæc ex dicendis amplius patebunt. Nunc id notasse suffecerit: Sacramentum Matrimonii ita constitui per contractum matrimonialem, qui ad Matrimonium etiam generatim sumptum requiritur, ut ei non aliud addat, quam virtutem ex Christi institutione significandi & causandi gratiam; id quod vel relata definitio satis indicat.

DD. Orthodoxorum opiniones, & Novatorum error.

I. Matrimonii Sacramentum, ut nunc definitum est, da- 11
ri, constans semper fuit Ecclesiæ doctrina: tametsi ex ipsis DD. Orthodoxis non defuerint, qui circa illud in quibusdam variarent. Ac post Concil. quidem Tridentinum, in quo Sacramenti Matrimonii existentia apertis ver-

bis eſt definita, de inſtitutionis duntaxat tempore controvertunt. Exiſtimant videlicet aliqui inſtitutum eſſe a Chriſto ante mortem, dum nuptias in Cana Galilææ celebratas ſua præſentia cohoneſtavit: vel certe Matth. 19. dum indiſſolubilitatem Matrimonii ſtabilivit dicens, *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Alii contra inſtitutionem hanc referunt ad tempus, quo Chriſtus a mortuis reſurgens in terris egit. Quidam demum nihil de hoc ſtatuunt, imo nec ſtatui poſſe contendunt. Quæ omnia, ut clarum eſt, non pugnant contra veritatem Sacramenti. Contra

12 II. Doctorum aliqui ante Tridentinum opinationibus ſuis amplius progreſſi ſunt. Nimirum Magiſter ſent. l. 4. diſt. 2. quamvis Matrimonium inter novæ legis Sacramenta recenſeat: vim tamen illi cauſandi gratiam adimere videtur. Durandus vero in eund. l. diſt. 26. qu. 2. præterquam quod memoratam virtutem Matrimonio ineſſe neget: negat etiam eſſe Sacramentum proprie dictum, quod nimirum cum reliquis univoce conveniat. Quam ipſam ſententiam amplexi ſunt Guilielmus Peraldus in *ſumma vitiorum*, Jacobus de Vitriaco L. Occident. Hiſt. C. 36. & nonnulli Canoniſtæ in Gloſſa ad Cap. *Quidquid*, Cauſa 1. qu. 1. item in Gloſſa ad Cap. *Honorantur*, Cauſa 32. qu. 2. Atque hæ opiniones, ut nunc quidem ſunt propoſitæ, ab errore vindicari omnino non poſſunt; quid ni interim venia cenſeamus dignos earum olim Patronos, ut qui non ita pertinaciter ſenſis ſuis inhæſerunt, ut parati non fuerint ea mutare, ſi oppoſitum Eccleſia decerneret, quod tum aperte nondum præſtiterat: hinc ipſe D. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, & quidam e veteribus alii, tametſi catholicam de Matrimonii Sacramento doctrinam traderent, eam nihilominus ut probabiliorem tantum proponebant.

III. Jam

III. Jam vero Novatorum longe diversa est ab his conditio. Expunctum illi penitus volunt e Sacramentorum numero Matrimonium: huicque præterea errori pervicaciter adeo insistunt, ut ne post claram quidem Ecclesiæ in Tridentino definitionem saniora sapiant. Sed nimirum ipsi eorum Magistri de hoc audiendi sunt. Lutherus l. de Cap. Bab. Cap. de Matr. contendit, in Matrimonio *neque signum a Deo institutum, neque gratiæ promissionem esse;* hinc deinde ait: *Matrimonium non est Sacramentum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum.* Calvinus l. 4. Inst. C. 19. *Matrimonium* inquit, *quod ut a Deo institutum fatentur omnes, ita pro Sacramento datum nemo usque ad Gregorii tempora viderat; - - & cui unquam sobrio venisset in mentem;* ac rursum ibid. *non magis Sacramenti rationem Matrimonio convenire, quam agriculturæ, aut tonstrinæ, vel sutoriæ arti &c.* Atque huic errori opponenda jam nobis est Ecclesiæ doctrina ex Conc. Tridentini sess. 24. Can. 1. cujus ipsius proinde verbis sit 13

ASSERTIO I.

Matrimonium est vere & proprie unum, ex septem legis Evang. Sacramentis a Christo Dom. institutum, non vero ab hominibus in Ecclesia inventum.

Argumentum I. Ducitur ex Scriptura, illis videlicet ad Eph. 5. verbis: *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam. - - Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una; Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Ex quibus colligitur, nihil Matrimonio deesse eorum, quæ ad rationem Sacramenti requiruntur. 14

Agit nimirum isthic Apostolus de Matrimonio, quod est contractus signo externo expressus, signum proinde sensibile. Idem vero esse signum rei sacræ satis indicat, cum Matrimonium vocat *Sacramentum magnum in Christo & Ecclesia*, vel (ut in græco textu legitur) *in Christum & Ecclesiam*; quod idem est, ac Matrimonium esse mysterium significans Christi cum Ecclesia unionem, ut docent Chrysost. Hom. 56. in Gen. & Hieronymus in cit. locum Apostoli, aliique PP. cum Gregorio Naz. & Augustino. Unde autem Matrimonium habet significationem hanc mysticam, nisi ex institutione Christi? Quamvis enim longe ante adventum illius præfiguraret memoratam unionem futuram, eamdem nihilominus jam factam sola Christi voluntate significat: quatenus videlicet is post adventum suum sustulit Sacramenta ipsum promittentia, eaque illis substituit, quæ id exhiberent, quod vetera promittebant, quem in finem etiam Matrimonium, quod antea significabat Christum Ecclesiæ uniendum, assumpsit in signum significandæ hujus unionis jam factæ. Inde est, quod Apostolus cit. Cap. V. 23. conjugum Christianorum officia exponens, eadem repetat a dilectione Christi in Ecclesiam, hujusque erga illum subjectione. Quibus ipsis innuit, Matrimonium, prout a Christo ad rationem Sacramenti evectum, non esse, jam amplius, ut erat antea, signum mere vacuum ac inefficax: verum prorsus practicum, & effectivum gratiæ, qua conjugum animi ea indissolubili charitate copulentur, qua Christus diligit Ecclesiam. Hoc certe sensu laud. ad Eph. locum exponit Trident. Sess. 24. in doctr. de Matr. *Gratiam vero*, inquit, *quæ naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium Sacramentorum institutor ac perfector, sua nobis passione promeruit, quod Paulus Ap. innuit dicens: Viri diligite uxores, sicut Christus*

dilexit

dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, mox ſubjungens: Sacramentum hoc magnum eſt &c.

Quæ omnia invicem collata graviſſimum, ut vides, ex S. Literis ſuggerunt momentum pro Sacramenti hujus veritate. Fatendum interim, ſi pro ea ſolius ſcripturæ pugnetur teſtimonio, nunquam Novatoribus defuturum effugium: cum vel ex DD. Catholicis cum Vaſquezio & Eſtio nonnulli RR. exiſtiment, ex ſcriptura ſola efficaciter demonſtrari non poſſe Matrimonium eſſe verum Sacramentum. Quo igitur iſtud contra Sectarios conficiatur certius, adjiciendum eſt

Argumentum II. ex Traditione. Ac hoc quidem adeo 15
convincens viſum eſt Tridentino, ut illud ſtatim principio Seſſ. 24. in Doctr. de Sacr. Matr. ante anathematiſmos ſcuti inſtar firmiſſimi Novatoribus opponeret, ita arguens: *Cum igitur Matrimonium in Lege Evang. veteribus connubiis per Chriſtum gratia præſtet, merito inter novæ Legis Sacramenta annumerandum SS. PP. noſtri, Concilia, & univerſalis Eccleſiæ traditio ſemper docuerant.* Iſtud vero ita ſe habere, copioſiſſime demonſtrat Bellarminus L. un. de Sacr. Matr. C. 3. & 4. poſtquam jam antea toto C. 2. pro veritate Sacram. Matrimonii ex S. Literis egregie pugnavit. Nobis pro aſſerenda Traditione ſatis fuerit commemorare præcipua Patrum & Conciliorum teſtimonia, Latinæ item & Græcæ Eccleſiæ conſenſionem. Ac primum quidem

Ex Patribus eorum ſuffecerit audire aliquos, qui ante Gregorium M. floruerunt. Tertullian. L. 2. ad uxorem C. ult. *unde ſufficiam ad enarrandam felicitatem ejus Matrimonii, quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, & obſignat benedictio?* Ambroſius L. 1. de Abraham C. 7. de eo, qui alteri nuptam ducit, *qui ſic egerit*, inquit, *peccat in Deum, cujus legem violat, gratiam ſolvit; & ideo, quia in Deum*

 peccat,

peccat, Sacramenti cœlestis amittit consortium. Augustinus L. de bono Conjug., *bonum nuptiarum per omnes gentes - - - causa generandi est, - - - quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti.* & L. de fide & oper. C. 7. *in Ecclesia nuptiarum non solum vinculum, sed etiam Sacramentum commendatur.* Plura ex eodem loca vide apud laud. Bellarm. Demum Cyrillus Alex. L. 2. in Joan. C. 22. docet, *Christum sanctificasse conjugium, & gratiam nuptiis præparasse.* En Patres, qui Gregorium M. antecesserunt! quorumque sententia Matrimonium ab Ecclesia conciliatur, benedicitur, rationem Sacramenti habet, simulque adnexam gratiam ex Christi præparatione, seu institutione. Qua fronte igitur Calvinus dicere ausus? *Matrimonium pro Sacramento datum nemo usque ad Gregorii tempora viderat.*

Ex Conciliis huc faciunt ea, quæ pro fronte hujus L. laudavimus. Nimirum Lateranense IV. meminit solemnitatis, quæ ex ritu Ecclesiæ in Matrimoniis celebrandis est adhibenda: de qua ipsa jam antea Conc. Carthaginense IV. An. 398. egerat, dum Cap. 13. statueret *sponsum & sponsam benedicendos esse a Sacerdote.* Conc. Constantiense Sacramentis accenset Matrimonium: quod ipsum deinde clarius præstitit Florentinum, ac Tridentinum.

Consensio demum Græcæ & Latinæ Ecclesiæ in hanc doctrinam perpetua invictissimum est Traditionis Apostolicæ argumentum. Hanc autem consensionem vel illud comprobat, quod Græci nunquam exprobraverint Latinis, admitti ab eis Matrimonii Sacramentum: nec Latini unquam Græcis objecerint, quod male sentirent de eodem Sacramento. Inspiciantur præterea utriusque Ecclesiæ vetustissimi LL. Rituales, ac in omnibus procul dubio reperietur nomen

nomen Sacramenti Matrimonii, ritusque illud benedicendi. Ac si hæc Novatoribus non sufficiant, revocent in memoriam Græcorum confessionem in Synodis duabus Constantinopolitanis Sec. XVI. & XVII. factam, alteram contra Lutheranos appellantes, contra Cyrillum Lascar apostatam Calvinianum alteram: in utraque apertis verbis septem Sacramenta, ac inter hæc Matrimonii Sacramentum profitentur. Posterioris Synodi contra Cyrillum verba ex Art. 15. recitare juverit: *Negat Ecclesia Sacramenta quinque, Sacerdotium, sacram Unctionem, sacrum oleum, Confessionem cum pœnitentia, & honorabiles nuptias, quæ omnia ut Sacramenta, & divinam gratiam conferentia, antiqua nobis Traditio reliquit.*

Dicant jam vero Novatores, quando & quis doctrinam hanc primus in Ecclesiam utramque invexerit? Certe ex Patribus supra laudatis constat, perperam provocari ad Gregorium Magnum; præsertim cum hic in suo Sacramentario non aliud referat, quam ritum benedicendi Nuptias, huncque ipsum non ut novitium, & a se inductum, sed jam antea usitatum, ut certum est ex Tertulliano, Clemente Alex. & aliis Patribus antiquioribus, qui benedictionis hujus meminerunt. Cum igitur hæc de Matrimonii Sacramento doctrina utrique Ecclesiæ sit communis, eademque antiquissima, nec initium ejus ab ullo Patre, Pontifice, aut Concilio repeti possit, quid ni eam juxta Tertulliani & Augustini regulam necesse est referre ad Traditionem Apostolicam, atque adeo ad Christum ipsum? Unde cum Tertull. L. de præscript. C. 28. lubet concludere: *ecquid verisimile est, ut tot ac tanta in unam fidem erraverint? variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Cæterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum. Audeat ergo aliquis dicere illos errasse, qui tradiderunt.*

ASSER-

ASSERTIO II.

Institutio hujus Sacramenti, spectatis Patrum sensis, probabiliter facta est tum, dum Christus in Cana Galilææ interfuit nuptiis Joan. 2.

16 AB ipso immediate Christo Matrimonium ad dignitatem Sacramenti evectum esse, supra N. 14. sub medium docuimus; quanquam istud vel inde satis constet, quod omnium Sacramentorum auctor sit ipse Christus, ut jam alias sæpe dictum, imo etiam L. I. de Sacr. in Gen. §. III. ex proposito comprobatum. Quod jam vero ad institutionis hujus tempus attinet, fateor ex S. Literis nihil statui posse. Si porro Patrum attendamus sensa, existimasse videntur id, quod in Assertione contendimus. Nimirum eorum aliqui docent, Christum in Cana Galilææ *benedixisse nuptiis*: ita PP. Ephesini in Concilio, & Epiphanius Hær. 67. Alii addunt, eo tempore Christi benedictione etiam *sanctificatum fuisse conjugium, eidem præparatam gratiam, castitatem conjugalem firmatam*: ita Cyrillus Alexandr. in Ep. ad Nestor. & L. 2. in Joan. C. 22. Augustinus Tract. 9. in Joan. Maximus Hom. I. de Epiph. Domini. Quibus verbis admodum probabile est Patres intellexisse institutionem eam, qua Christus Matrimonio prærogativam Sacramenti indiderit: cum nullo alio magis proprio sensu dici possit, Christum ita benedixisse nuptiis, ut sanctificaret conjugium, gratiam ei præpararet, hacque ipsa castitatem conjugalem firmaret.

Refelluntur Novatorum argutiæ.

BEllarminus supra laud. L. C. 5. copiose recenset Lutheri, Calvini, & Kemnitii argumenta, eademque ibidem

dem minutim diluit. Nos eorum ſumma referemus capita, ex quibus de cæteris pronum erit judicare. Ita autem Novatores.

Arguunt I. Verum Evangelicæ Legis Sacramentum 17
non pugnat cum aliis: cum interim Sacramento Ordinis adverſetur Matrimonium. Idem licite contrahitur cum pacto de certa pecunia; iſtud vero absque ſimoniæ labe fieri non poſſet, ſi Matrimonium foret Sacramentum.

II. Sacramenti prærogativa Matrimonio attribuitur, propterea, quod ſit ſignum rei ſacræ, unionis videlicet Chriſti cum Eccleſia; at unionem hanc perinde ſignificabat Matrimonium in ſtatu naturæ & Legis, quin tamen dici queat fuiſſe verum Sacramentum. Quid quod Sacramenta Evangelica univerſim id operentur, quod ſignificant: certe autem Matrimonium non operatur dictam unionem, tametſi eam ſignificet.

Reſp. ad I. Matrimonium non pugnare abſolute cum Sacramento Ordinis: nam conjugatus cum conſenſu uxoris initiari poteſt etiam Sacerdotio, manente vinculo conjugali. Præterea, quod conjugati communiter non admittantur ad Ordines, nec ordinatis concedatur conjugium, hocque ſenſu detur aliqua oppoſitio, id ex natura Matrimonii non provenit; verum ex jure duntaxat Eccleſiaſtico, iſtud prohibente propter majorem ſtatus ſacri decentiam, ac ad certius removenda impedimenta, quæ ex conjugio conſequuntur, quæque Eccleſiæ Miniſtros a divinis officiis haud parum avocare poſſent. Quod autem de ſimonia additur, nihil momenti habere ſatis conſtat, cum pecunia illa non exigatur pro Sacramento, ſed pro oneribus Matrimonii ſuſtinendis.

Resp. ad II. Diversitas inter vetus & Evangelicum Matrimonium est duplex; illud quippe figurabat unionem primum futuram; hoc vero jam factam significat, ac præterea vim habet in conjugatis efficiendi gratiam sanctificantem, quo cumprimis nomine Sacramentis Evangelicis accensetur. Hac igitur virtute cum destitutum fuerit in Lege veteri Matrimonium, verum ac proprie tale, ut jam nunc est, Sacramentum esse non potuit; imo ne legale quidem fuisse existimo, cum nullam legalem sanctitatem contulerit. Sensu interim aliquo latiore Sacramentum dici potest propterea, quod fuerit signum rei sacræ: atque hoc sensu uno intelligendus est Innocentius III. dum infidelium matrimonia vocat Sacramentum.

Atque ex his expeditum habes responsum ad id, quo ab effectiva Sacramenti virtute urgetur objectio. Nimirum in Sacramento Matrimonii duplex est significatio, unionis videlicet memoratæ, sacramentalis item gratiæ; illam significat tantum speculative: hanc simul practice, ita ut eam simul *ex opere operato* efficiat. Istud vero ad rationem Sacramenti satis esse docemur exemplo Baptismi, qui, tametsi Christi sepulturam & resurrectionem repræsentet, non tamen eam operatur, sed solam gratiam.

18 Instant I. Quamvis Matrimonio concedatur virtus *ex opere operato* effectiva gratiæ, nequit attamen esse Legis novæ Sacramentum, nisi id, quod in eo signi sensibilis rationem habet, a Christo fuerit primum institutum; at certe mutuus consensus sensibiliter expressus, in quo natura Matrimonii constituitur, non est id genus signum: nam jam ante Christum ritu hujusmodi matrimonia celebrabantur, ergo &c.

Resp.

Resp. Dist. Maj. nisi hoc signum fuerit a Christo primum institutum in ratione signi sacramentalis, hoc est, practice *ex opere operato* causantis gratiam C. in ratione signi generatim sumpti N. Eadem distinctione explicanda est subjecta propositio: tametsi enim jam antea hoc signum extiterit, idem nihilominus a Christo primum assumi potuit, ac revera assumptum est pro signo sacramentali, & vero Legis novae Sacramento. Habes in hanc rem exemplum a Poenitentia, quam ipsam, jam prius a Deo praeceptam, deinde Christus erexit ad rationem Sacramenti. Neque hinc inferas: igitur & Martyrium erit in Lege Evang. proprie tale Sacramentum; nam huic ex Dei privilegio longe ante adventum Christi inerat vis *ex opere operato* causandi gratiam; quamvis autem illud in ratione hujus signi practici etiam Christus confirmaverit, non tamen esse voluit instrumentum communicandae gratiae ordinarium, quod proprium est Sacramentis. Vide adhaec in hanc rem dicta L. II. de Bapt. Differt. II. §. III. N. 86. in Resp. ad II. V. *Neque tamen* &c.

Instant II. Etiamnum controvertunt Theologi de materia, forma, & Ministro Sacramenti Matrimonii: tempore item, quo a Christo institutum fuerit; imo a quibusdam Sec. XII. XIII. & XIV. negata etiam fuit veritas hujus Sacramenti, ut supra N. 12. retulimus. Qui igitur doctrina haec dici possit universae Ecclesiae consensu confirmata? 19

Resp. Controversiae hae, ac etiam paucorum quorumdam veterum error officere nequeunt, quando pro Sacramenti Matrimonii quo ad substantiam veritate luculenta aliunde habemus argumenta, quae ipsa Traditionem, & universalis Ecclesiae in hanc doctrinam consensum invicte testantur.

ſtantur. Sed nimirum de ſingulis, quæ objiciuntur, pauca ſpeciatim dicenda ſunt.

Ac prima quidem de materia, forma, & Miniſtro controverſia cur officiat? Differunt, fateor, in his aſſignandis Theologi; omnes attamen aliquid ſtatuunt, quod materiæ & formæ rationem habeat: unaque pro Miniſtro aliquam deſignant perſonam, ſacerdotem videlicet, vel contrahentes: omnes item conſentiunt, ratum fore procul dubio Matrimonii Sacramentum, ſi contractus matrimonialis coram teſtibus & Sacerdote aſſiſtente ac benedicente celebretur; omnes igitur profitentur Matrimonium eſſe Sacramentum, quin & in iis, quæ ad ejus ſubſtantiam generatim pertinent, omnes conveniunt.

Idem eſto judicium de controverſia altera. Vel ideo enim, quod de ſolo inſtitutionis tempore DD. controvertant, inſtitutionem ipſam a Chriſto factam agnoſcunt; certe autem nemo illorum negat, tempus hoc eſſe disjunctive aliquod ex iis, de quibus ſpeciatim controvertunt. Quæ porro noſtra de hoc ſit opinio, ſupra in Aſſert. II. expoſuimus. Neque adverſus eam facit, quod Matrimonii Sacramentum inſtituendum fuerit poſt Baptiſmum: nam juxta nos Chriſtus ante mortem ſuam Baptiſmum inſtituit; probabilis præterea eſt eorum ſententia, qui id factum ajunt tum, dum in Jordane baptizaretur: hic vero Baptiſmus Nuptias in Cana Galilææ celebratas anteceſſit, ut conſtat ex Joan. C. 1. & 2. Cæterum absque ullo inconvenienti poterat Chriſtus Matrimonii Sacramentum etiam ante Baptiſmum inſtituere: non minus enim libera illi fuit Sacramentorum quoad tempus & ordinem, ac quoad ſubſtantiam inſtitutio.

Quod

Quod demum ad DD. illos veteres attinet, qui negasse videntur Matrimonium esse Sacramentum, illud dixisse suffecerit: Catholici dogmatis veritatem non debere æstimari ex quorundam privatorum judicio, sed ex communi Conciliorum ac Patrum Traditione. Ita novimus Ecclesiam Traditione nixam definivisse, Baptismum ab hæreticis collatum esse validum, licet aliquando nonnulli Episcopi cum S. Cypriano oppositum existimarent. Hi ipsi interim Doctores, qui nobis a Novatoribus objiciuntur, non adimebant penitus rationem Sacramenti Matrimonio: verum in iis duntaxat errarunt, quæ tum circa illud nondum erant aperte definita, ut patebit expendenti eorum opiniones N. 12. relatas. Certe autem jam Sec. XII. quo Magister Sent. floruit, Matrimonium esse Sacramentum negantibus anathema dictum est a Lucio III. An. 1181. creato S. P. in Cap. *Ad abolendam*, Tit. de Hæret. ubi, *universos*, inquit, *qui de Sacramento Corp. & Sangv. D. N. J. Christi, vel de Baptismate, seu de peccatorum Confessione, Matrimonio, vel reliquis Ecclesiasticis Sacramentis aliter sentire aut docere non metuunt, quam S. Rom. Ecclesia prædicat & observat, - - - vinculo perpetui anathematis innodamus.*

§. III.

An quodlibet Matrimonium in statu legis Evangelicæ contractum sit verum Sacramentum?

QUamvis ex præced. §. generatim constet, Matrimonium in hoc legis Evangelicæ statu esse a Christo ad rationem Sacramenti evectum, ultro nihilominus in particulari quæritur: num quodlibet, in quovis casu, & a quocunque contractum sit verum Sacramentum? sunt autem de hoc quædam

certa, controversa alia; utraque nunc referemus, nostram simul de controversis opinionem adjecturi.

Sententiæ certæ.

20 CErtum est I. Matrimonium ab infidelibus hoc legis statu legitimæ initum valere quidem ac firmum esse in ratione Matrimonii: nec tamen esse Sacramentum. Ratio 1*mi.* est: quia contractus conjugalis jure naturali & divino jam inde a Principio valuit; nullum autem est fundamentum dicendi, in lege Evang. reddi irritum eo ipso, quod ab infidelibus celebretur. Imo validum esse constat ex Apostolo 1 Cor. 7. v. 12. jubente, ne infidelis ad fidem conversus dimittat uxorem, cui se in infidelitate conjunxerat, si ea cum ipso pacifice habitare consentiat; hinc & Innocentius III. Cap. *Gaudemus*, de divort. ait, *per Baptismum non solvuntur conjugia*: uterque igitur supposuit validum esse Matrimonium in infidelitate contractum. Ratio 2*dæ.* partis est: quia Christus non nisi baptizatorum matrimonia ad rationem Sacramenti evexit, cum aliunde ante Baptismum nemo sit capax Sacramentorum.

21 Certum est II. Matrimonium esse Sacramentum, si a Catholicis præsentibus, ac implicite saltem illud intendentibus, nec ullo impedimento dirimente irretitis, mutuo consensu contrahatur coram duobus testibus & Parocho, hicque illud ex ritu Ecclesiæ benedicat. Quid enim hoc casu desideres ad rationem Sacramenti? Certe ne inter controversas quidem opiniones, quæ in præsenti argumento complures occurrunt, ulla est, quæ amplius requirat seu ex parte materiæ & formæ, seu ex parte Ministri & subjecti. Quod autem dictum est de Catholicis, idem censeri debet universim de baptizatis omnibus: cum enim Christus baptizatorum Matrimoniis præroga-

rogativam Sacramenti contulerit, nulla est ratio, cur non perinde contractus matrimonialis hæreticorum, vel Catholici cum hæretica parte sit Sacramentum, modo in requisitis cæteris non deficiat.

Sententiæ controversæ.

Controvertitur I. num Matrimonium, a baptizatis sine intentione Sacramenti contractum, valere possit in ratione contractus civilis, quin idem valeat in ratione Sacramenti? Negant cum Præposito Bellarminus, Sanchez, Coninck, &c. ex adverso affirmant Vasquez, Pontius, Hurtadus, Gonet &c. Mihi cum postremis sentiendum videtur: cur enim Sacramenta reliqua possint esse invalida defectu intentionis, non item etiam Matrimonii Sacramentum? quo quidem casu nihil Matrimonio deerit, quo minus habeat valorem contractus mere civilis. Certe baptizati Matrimonium contrahentes non tantum possunt carere intentione Sacramenti, sed & prorsus contrariam habere: id quod facile evenit apud hæreticos Matrimonium e Sacramentorum numero expungentes; quis autem credat, aut quo fundamento dici potest, Christum hoc Sacramentum ita instituisse, ut illud ratum esse voluerit etiam nolente Ministro? Profecto, tametsi Christus ablutionem aqua factam cum verbis *ego te baptizo in nomine &c.* evexerit ad rationem Sacramenti, si tamen requisita desit intentio, fieri potest id genus ablutio, quin evadat Sacramentum; perinde igitur &c. 22

Controvertitur II. An Matrimonium inter absentes Christianos per Procuratorem ritu legitimo celebratum sit Sacramentum? Negat Durandus, Cajetanus, idemque sentire videtur Estius in 4. dist. 29. §. 5. affirmant vero Dominicus Soto, Platelius, Simonet, & plures alii, quorum sententia multo probabilior est priore. Nimirum Christus baptizato- 23

rum

rum Matrimonium evexit ad rationem Sacramenti, nullo ad id præterea speciali ritu instituto; sicut igitur absentes per Procuratorem valide contrahunt Matrimonium, ita hoc ipsum etiam in ratione Sacramenti valide perficiunt. Hoc casu porro sicut actio contrahendi, ita & actio Sacramentalis ab ipso contrahente ponitur mediate, mediante scilicet Procuratore, seu instrumento: ac rursum sicut contractus hujusmodi solos contrahentes obligat, sic pariter ab his solis recipitur Matrimonii Sacramentum. Neque pugnat contra hanc opinionem: contrahentes sæpe dormire, aut saltem de Sacramento non cogitare eo tempore, quo Procurator contractum celebrat; cum enim status hic contrahentium non officiat valori contractus, non etiam Sacramento. Quorum omnium ratio repetitur a voluntate Christi, fidelium Matrimonia ad rationem Sacramenti ita evehentis, ut nullum præterea specialem ritum requisiverit: potest igitur omni eo ritu externo ministrari & suscipi hoc Sacramentum, quo potest fieri contractus Matrimonii validus.

24 Controvertitur III. An Matrimonium fidelis cum infideli per dispensationem contractum sit Sacramentum ex parte fidelis? Consulto additur *per dispensationem*: cultus quippe disparitas a XII. ut minimum Seculo est unum ex impedimentis Matrimonium dirimentibus; unde non nisi accedente dispensatione fit legitimum id genus Matrimonium. Posse autem per dispensationem reddi legitimum, illud suadet: quod quamvis Ecclesia generatim semper prohibuerit hujusmodi Matrimonia propter adjunctum subversionis periculum; hoc nihilominus cessante toleravit illa, ac pro legitimis habuit, idque saltem primis quinque seculis, quibus constat sanctas quasdam mulieres absque ulla censura Ecclesiastica gentilibus nupsisse. Ita Eunice Timothei mater Christiana, ut colligitur ex 2. Timoth. 1. v. 5. nupsit gen-

gentili Act. 16. V. 2. item Monica Augustini mater teste ipso August. L. 9. Confess. C. 9. idem est de S. Clotilde nupta Clodovæo Regi ethnico apud Gregorium Turon. L. 2. Hist. C. 28. & pluribus aliis a Ven. Beda commemoratis in Hist. Angl. L. 1. C. 25. & L. 2. C. 9. Imo (quod refert Platelius C. infra laudando, §. 7. N. 1169.) Paulus V. An. 1616. facultatem in hoc impedimento dispensandi concessit ad decennium Episcopo Funainensi in Japonia, & Superioribus Soc. J. in Regno Chinensi.

Jam vero de quæstione sic proposita cum Vasquez pars Theologorum maxima censet respondendum negative; nonnulli interim cum Catharino & Dominico Soto opinantur, Matrimonium hujusmodi ex parte fidelis fore Sacramentum. Meam de hoc si requiras sententiam: difficile esse fateor aliquid statuere. Id igitur solum cum Tournelyo habe: nulla satis firma ratione demonstrari, id genus Matrimonium ex parte fidelis non esse Sacramentum. Nimirum (ut observat Platelius in Synop. Theol. de Sacr. C. 7. §. 4. N. 1066.) *dici posset, quod Christus unum & indivisibilem Matrimonii contractum elevaverit ad esse duo partialia Sacramenta, quorum unum possit subsistere sine altero; sicut alter conjugum potest recipere gratiam hujus Sacramenti, altero illam non recipiente defectu dispositionis.*

Controvertitur IV. num Matrimonium inter infideles 25 contractum fiat Sacramentum accedente Baptismo? Probabile id videtur multis cum Bellarmino, Sanchezio, Laymon, Platelio &c. negandum contra alii existimant cum Vasquezio, Pontio, Simonnet. &c. quibus & ipse accedendum puto. Etenim Matrimonium hoc casu evaderet Sacramentum vel per ipsum Baptismum: vel per consensus ratificationem post Baptismum factam. At certe non per Baptismum:

quo enim fundamento virtutem hanc illi attribuas? quando ex institutione Christi illud colligi prorsus non potest. Non etiam per consensum renovatum: nam Matrimonii materia & forma, ipsumque Sacramentum consistit in actione contrahentium, seu in contractu, qui actu initur; atqui inter hos infideles post Baptismum non initur contractus, sed antea initus supponitur, ergo &c. Nec obest, per Baptismum ita hoc Matrimonium reddi firmum, ut dissolvi amplius non possit: hæc quippe firmitas inde solum provenit, quod jam cesset ratio, propter quam antea dissolvi poterat. Nimirum Matrimonium infidelium solvi potest, si uno conjugum ad fidem converso, alter infidelis non velit pacifice cohabitare absque Creatoris injuria: quæ ratio, ut clarum est, cessat accedente utriusque Baptismo.

DISSERTATIO II.

DE MATERIA, FORMA, MINISTRO, ET SUBJECTO SACRAM. MATRIMONII.

§. I.

Quæ sit Sacramenti Matrimonii materia & forma?

Controversia hæc prorsus connexa est cum altera, quæ de Ministro institui solet; inde (jam nunc prævie notatis simul de Sacramenti hujus Ministro, simul de materia & forma Doctorum opinionibus) paucis duntaxat ad præsens quæsitum respondebimus: plenior dein hujus ipsius Asserti notitia petenda erit ex sequ. §. quo speciatim de Ministro differemus.

Opi-

Opiniones de Miniſtro, materia item, & forma hujus Sacramenti.

I. Communiter Theologi exiſtimant, ipſos contrahentes 26
eſſe Miniſtros Sacramenti Matrimonii. Pro hac ſententia Cl. Simonnet. Tract. 18. de Matrim. diſp. 2. Art. un. §. 1. e veteribus laudat Hugonem a S. Victore, Magiſtrum Sent. D. Thomam, S. Bonaventuram, Scotum, & Durandum; eandem cum Dominico Soto, Suarezio, Vaſquezio & Bellarmino deinceps amplexi ſunt plurimi, ac hodie etiam amplectuntur. Verum inter hos ipſos non convenit de materia & forma. Quidam eorum cum Platelio putant, corpora contrahentium eſſe materiam, ſigna autem conſenſum exprimentia formam. Alii tam materiam quam formam reponunt in contrahentium verbis, conſenſum exprimentibus: ita videlicet, ut ſub ratione traditionis ſint materia, forma vero ſub ratione acceptionis; atque hæc opinio tribuitur Dominico Soto & Suarezio. Plurimis attamen cum Navarro videtur, materiam haberi in conſenſu contrahentium interno, formam autem in verbis vel ſignis aliis conſenſum exprimentibus.

II. Altera de Miniſtro hujus Sacramenti ſententia, quam 27
Domin. Soto *ſingularem* vocat, eſt eorum, qui docent Miniſtrum Matrimonii, quatenus eſt Sacramentum, eſſe Sacerdotem. Atque hi omnes in eo conſentiunt, quod materia hujus Sacramenti ſit conſenſus contrahentium verbis vel alio ſigno expreſſus: forma vero Sacerdotis benedictio, ſeu verba illa, quibus Sacerdos conjuges in Matrimonium conjungit. Quis jam vero hujus opinionis ſit auctor, non ſatis conſtat. Plurimi eam cum Vaſquezio & Tournelyo attribuunt Guillelmo Pariſienſi, qui Sec. XIII. floruit; aliquibus interim videtur, eum de Matr. C. 9. benedictioni ſacerdotali non aſſe-

fuisse Sacramenti efficientiam : verum id tantum ad Sacramenti hujus virtutem requisivisse, *ut nuptialis benedictio non contemnatur.* Ut ut interim sit istud, post Card. Cajetanum Tom. 1. Opusc. Tract. 12. qu. 1. & præcipue Melchiorem Canum de locis Theolog. l. 8. C. 5. sententiam hanc tuiti sunt Toletus, Maldonatus, Estius, Sylvius: ex recentioribus vero Du-Hamel, Juenin, Vanroy, Tournely &c.

28 III. Hæc jam porro opinionum varietas satis indicat, nihildum de præsenti controversia Ecclesiam decretorio oraculo pronuntiasse : præsertim cum teste Pallavicino l. 23. Hist. Trid. C. 9. ipsum Concilium Trident. *nunquam declaraverit clandestina Matrimonia fuisse Sacramenta.* Salva igitur fide & Sacramenti veritate in utramvis partem disceptatur a Theologis, estque integrum cuilibet de hoc argumento sentire, ut libet.

Ac mihi quidem, fateor, aliquando visa sunt posterioris sententiæ momenta tanti ponderis, ut me in eam inclinarent; sed enim, cum rem ex proposito & attentius utrinque expendo, nihil in ea reperio, quo persuaderi possim ad deserendam opinionem communiter receptam : quin hanc denique existimo Concilii Florentini & Tridentini sensui magis conformem, ac Ritualibus invicem conciliandis prorsus opportunam. Secundum eam igitur de materia & forma sit

ASSERTIO.

Verisimilius est, materiam Sacramenti Matrimonii esse legitimum contrahentium consensum internum : formam vero, verba vel alia signa hunc consensum exprimentia.

29 Probationem hujus Asserti uno duntaxat nunc complectemur argumento; eo ipso videlicet, quod suggerit Concil. Florenti-

rentinum in Decr. pro Arm. ubi §. de Matr. ait: *Septimum eſt Sacramentum Matrimonii, - - cauſa efficiens Matrimonii regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus.* Hinc interim antequam argumentum inſtruam, hæc quatuor prævie notari velim. Nimirum 1*mo*, iſthic agitur de Matrimonio, *ut eſt Sacramentum;* id enim aperte indicant verba ſtatim principio §. poſita: tum etiam propoſitum Concilii, quod hoc §. intendit Armenos docere nominatim de Matrimonii Sacramento, ſicut idem jam prioribus §§. præſtiterat de aliis Sacramentis. 2*do*, dum Concilium hoc loco *cauſam efficientem* nominat, non ſumit eam ſenſu ſtricto; hoc enim ſenſu cauſa efficiens Matrimonii eſt ipſe Miniſter, ut nemo negat. Reliquum igitur eſt, ut dicamus: cauſam efficientem hic accipi in ſignificatione minus propria & latiore, hoc eſt, pro *cauſa formaliter efficiente*, ſeu conſtitutiva; hoc certe ſenſu etiam de gratia dicitur, quod hominem ſanctum & juſtum efficiat. 3*tio*, cum Concilium pro cauſa Sacram. Matrimonii conſtituente non aliud aſſignet, quam conſenſum memoratum, recte infertur, ad conſtituendum illud quoad ſubſtantiam nihil requiri amplius ex mente Concilii. 4*to*, adjectum τὸ *regulariter*, ſatis indicat cenſuiſſe Concilium, non officere valori hujus Sacramenti, ſi conſenſus diverſo a verbis ſigno aliquo exprimatur: tametſi iſtud regulariter fieri debeat verbis.

Hac jam vero quadruplici animadverſione præmiſſa, ita 30
pro Aſſertione arguo: ex ſenſu laud. Concilii totum id, quod Matrimonii Sacramentum quoad ſubſtantiam conſtituit, eſt mutuus conſenſus per verba vel alio ſigno expreſſus; atqui id, quod Matrimonii Sacramentum quoad ſubſtantiam conſtituit, eſt ejus materia & forma; ergo ex ſenſu Concilii materia & forma hujus Sacramenti eſt conſenſus memoratus per verba vel aliud ſignum expreſſus. Nominatim

autem internum consensum esse materiam, verba autem (idem est de signo alio) esse formam inde patet: quod consensus internus ad rationem signi sensibilis & sacramentalis determinetur per verba eumdem significantia; id vero, quod sic determinatur est materia, quod determinat est forma: præsertim cum idem Conc. in eod. Decr. generatim dicat, Sacramenta perfici verbis tanquam forma.

Atque hæc pro Assertione tuenda nunc retulisse sufsecerit; momenta reliqua petenda sunt ex sequ. §. unde etiam ad Objecta pronum erit respondere. Id vero isthic nobis est adhuc reliquum, ut pro Corollario exponamus ea, quæ conferunt ad pleniorem notitiam matrimonialis consensus, in quo hujus Sacramenti materiam & formam reponimus.

Corollarium I.

de Requisitis ad consensum, qui sit contractus Matrimonii legitimus.

CUm Christus contractum Matrimonii, nulla in eo mutatione facta, ad rationem Sacramenti evexerit: idem plane consensus, qui ad contractum Matrimonii legitimum sufficit, sufficit pariter ad constituendum hujus Sacramenti materiam & formam. Jam vero ad hunc consensum

31 Requiritur I. ut sit mutuus, idemque verus. *Mutuus* quidem: cum enim natura contractus cujuslibet mutuam exigat contrahentium consensionem, potiori id jure necessarium est in Matrimonii contractu: ut qui est animorum & corporum conjunctio, individua vitæ societas, vinculum-

que

que perpetuum, quod ſolvi non poſſit. Hinc Doctor Ang. in 4. diſt. 27. qu. 1. Ar. 2. *ſi deſit*, inquit, *conſenſus maritalis ex parte unius*, *ex neutra parte eſt Matrimonium; quia Matrimonium conſiſtit in mutua conjunctione.* Idem porro conſenſus debet eſſe *verus*, hoc eſt, ſincerus & non fictus: quia Matrimonii contractus eſt mutua translatio juris in corpora, eſt vinculum perpetui amoris, & animorum conjunctio; quæ profecto conſiſtere nequeunt absque vero & & ſincero conſenſu. Unde S. Bonaventura in 4. diſt. 27. qu. 2. aperte docet: *ſi ſit conſenſus exterior ſine interiori, non eſt Matrimonium ſecundum veritatem*, *nec ſecundum divinum judicium*, *nec ſecundum conſcientiæ forum*. Utrumque demum iſtud colligitur ex pluribus Canonibus, præſertim ex Cap. *Cum apud Sedem*. Cap. *Tuæ paternitatis.* Cap. *Tuas*. De Sponſa duorum. Item Cap. *Cum locum*. de Sponſalibus. Quomodo autem conſenſus veritatem vitiet metus aut error, videndum eſt apud Canoniſtas iis locis, quibus de utroque hoc impedimento dirimente pertractant.

Requiritur II. ut conſenſus interior ſigno aliquo exteriori ſit expreſſus. Nimirum ſuus Matrimonio valor conſtare nequit, niſi conſenſus contrahentium ita ſit mutuus, ut traditio corporis ab uno facta acceptetur ab altero conjuge, & viciſſim: acceptari autem nequit, niſi cognoſcatur per ſignum exterius. Signum porro hoc ex uſu ordinario conſiſtit in verbis; interim *verborum loco* (ut declarat Catech. Rom. Par. 2. de Matr.) *tum nutus & ſigna*, *quæ intimum conſenſum aperte indicent*, *ſatis ad Matrimonium eſſe poſſunt: tum ipſa etiam taciturnitas*, *cum puella propter verecundiam non reſpondet*, *ſed pro ea Parentes loquuntur.* Id ipſum inſinuat Conc. Florent. in Decr. pro Arm. cum ait, Matrimonii cauſam efficientem eſſe *regulariter mutuum conſenſum per verba expreſſum.* 32

Re-

33 Requiritur III. ut consensus sit publicus, hoc est, ut contractus ex præscripto Tridentini celebretur coram Parocho & testibus; ac demum generatim, ne personæ contrahentes ullo dirimente impedimento sint irretitæ; secus enim Matrimonii contractus erit invalidus, proinde nec Sacramenti rationem habebit. De his recurret adhuc sermo infra §. III.

Corollarium II.

De conditionibus vel pactis, quæ consensui adjecta Matrimonio non officiunt: aut ex adverso illud reddunt irritum.

DE his certa sunt alia, alia controversa; hinc seorsim de utrisque dicendum erit. Et quidem

34 I. Certum est, ex communiore saltem Doctorum sententia, conditionem de præsenti vel præterito consensui appositam, modo ea subsistat, valori Matrimonii non officere; id genus quippe consensus re ipsa est absolutus: uti interim Matrimonio hoc casu conjuges non possunt, dum eis innotescat conditionem esse impletam. Contra, si adjecta conditio sit de futuro, eademque simul honesta, aut saltem indifferens, valor Matrimonii suspenditur usque ad conditionis eventum; hinc illum contrahentes tenentur expectare. An autem, dein conditione (ut vulgo dicitur) purificata, Matrimonium continuo reddatur absolute validum sine novo consensu? disceptant etiamnum Theologi: quorum tamen pars potior affirmandum censet, modo prior consensus interea non fuerit retractatus. Id nimirum etiam in contractibus aliis sub hujusmodi conditione initis evenire novimus; cur non igitur perinde sentiendum sit de contractu conjugali? Propter opinionis interim adversæ probabilitatem in praxi

xi curandum est, ut hoc modo contrahentes, impleta conditione, consensum renovent, & quidem coram Parocho & testibus, ubi Tridentinum est receptum.

35 II. Certum item est, per adjectam ejusmodi conditionem, quæ pugnat cum natura aut fine Matrimonii, contractum matrimonialem reddi irritum: id quod & ratio ipsa suadet, & ab aliorum contractuum exemplo confirmatur. Inde Cap. *Si conditiones*, de conditionibus appositis, Gregorius IX. S. P. declarat, nullum esse Matrimonium sub his conditionibus contractum: *si generationem prolis evites; aut donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem; aut si pro quæstu adulterandam te tradas:* quorum primum repugnat fini Matrimonii, alterum ejus indissolubilitati, tertium fidei Matrimonii & sanctitati Sacramenti. Ex adverso, secundum fori externi præsumptionem non est irritum Matrimonium, si contrahatur sub conditione turpi vel impossibili, modo ea non repugnet substantiæ Matrimonii, e. g. contraho tecum, si commiseris furtum, homicidium &c. si solem stiteris, vel cœlo detraxeris &c. Habetur istud ex supra laud. Cap. *Si conditiones*, ubi post memoratam declarationem addit Pontifex: *licet aliæ conditiones appositæ in Matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.* Consulto autem est additum: *secundum præsumptionem fori externi;* in hoc enim juxta cit. Cap. supponitur, conditiones hujusmodi non esse adjectas serio. Unde, si quis consensum tali conditioni ita alliget, ut revera contrahere non velit nisi expleta illa, in foro conscientiæ irritum est Matrimonium.

36 III. Quod jam vero hic potissimum controvertitur, primum est: num valeat Matrimonium sub conditione minus proprie tali, hoc est, sub modo servandi perpetuam virginitatem

tatem contractum, præsertim si modus hic deducatur in pactum? Negant multi cum Sanchez & Layman: plures attamen affirmant cum Paludano, Vasquez. &c.

Ac omnino affirmantium opinio videtur probabilior ex triplici capite. Nimirum *1mo*, modus hic non repugnat substantiæ Matrimonii; secus enim pactum de servanda perpetua castitate ne quidem post jam contractum Matrimonium fieri posset, quod tamen fit non tantum licite, sed & meritorie. *2do*, quia Matrimonium est validum quoad substantiam, dum ex mutua traditione & acceptatione habetur jus mutuum in corpora ad usum conjugalem; in casu autem hujus pacti per contractum matrimonialem haberetur jus ejusmodi, tametsi illud ex adjecto pacto esset impeditum ab usu licito: quæ duo invicem non pugnant. *3tio*, quia inter B. Virginem & S. Josephum, salva utriusque virginitate, verum ac proprie tale fuit Matrimonium, ut colligitur utrumque ex pluribus Scripturæ locis invicem collatis, nempe Matth. 1. V. 18. 19. & 20. Luc. 1. V. 34. aperteque docent Ambrosius L. de instit. Virg. C. 6. item Augustin. L. 1. de Nupt. & concup. C. 11. L. de sancta Virginit. C. 4. & L. 23. contra Faust. C. 8. Jam vero id multo verisimilius ac expeditius sustinetur in hac sententia: si nimirum dicatur, B. Virginem & S. Josephum contraxisse cum pacto tacito vel expresso perpetuæ castitatis; in adversa enim opinione recurri debet ad specialem revelationem B. Virgini factam, quod S. Josephus nunquam sit usurus jure conjugali, cujus tamen revelationis nullum exstat in S. Literis fundamentum. Ac omnino de hoc B. Virginis Matrimonio, & cum eo conjuncto servandæ virginitatis pacto integre nobiscum sentit Augustinus cit. L. 1. de Nupt. & concup. C. 11. dum ait: *Quibus vero placuerit ex consensu ab usu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit, ut inter illos vinculum conjugale rumpatur;*

imo

imo firmius erit, quo magis ea pacta secum inierint &c. Neque enim fallaciter ab Angelo dictum est ad Joseph: Noli timere accipere Mariam Conjugem tuam: Conjux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus &c.

Dictum est autem in proposita quaestione: *sub conditione minus proprie tali.* Dum enim contendimus valere hunc contractum matrimonialem: *contraho tecum, si perpetuam castitatem servaveris*, per particulam *si* non intelligimus conditionem proprie talem de futuro, quae utique valorem Matrimonii suspenderet ad tempus conditionis non purificandae nisi cum fine vitae. Intelligimus itaque duntaxat modum, seu onus perpetuae castitatis deductum in pactum, ut adeo hujusmodi contractus faciat hunc sensum: *Contraho tecum, si te simul obliges ad servandam perpetuam castitatem*, quae conditio, utpote de praesenti, non est suspensiva, proinde nec proprie talis. Hujusmodi porro pactum non repugnat substantiae & fini Matrimonii: nam servando perpetuam castitatem prolis generatio non evitatur positive, sed mere negative; in quantum videlicet omittitur usus Matrimonii. Quo quidem in casu evitationem generationis non adversari positive bono prolis vel ideo certum est, quod secus etiam post contractum Matrimonium non foret licitum inter conjuges pactum de servanda castitate perpetua.

IV. Controvertitur praeterea nominatim de Calvinia- 37
norum Matrimoniis: an nimirum ea valida sint, si contractui adjiciant conditionem, *si fidem thori servaveris?*

De hoc antequam sententiam dicamus, illud observandum: quamvis tam Lutherani quam Calviniani ex cer-

tis caufis, præfertim ex caufa adulterii, diffolvi poffe Matrimonium doceant, fi tamen contractui hanc diffolutionis conditionem non apponant, ex communi Doctorum fenfu validum eft eorum Matrimonium; quia nimirum eo cafu præfumuntur velle inire verum Matrimonium, ut adeo tum particulari errori prævaleat intentio generalis de faciendo contractu legitimo. Tota igitur controverfia in eo verfatur: an tum etiam pro rato ac valido habendum fit, cum diffolutionis hujus conditio (ut crebro fit apud Calvinianos) contractui apponitur, & in pactum deducitur? Nec defuerunt e Theologis complures, qui id genus etiam Matrimonium pro valido habendum cenferent propterea, quod hoc etiam cafu exiftimaverint conditionem aut pactum hujusmodi elidi virtute intentionis generalis, qua Sectarii intendunt verum inire Matrimonium. At enim oppofitum docet pars Theologorum potior; cum quibus

Dicendum omnino eft: Matrimonia fub hujusmodi conditione vel pacto a Calvinianis, aut aliis quibuscumque contracta penitus effe nulla ac irrita. Etenim dubitari nequit, conditionem hanc aut pactum adverfari fubftantiæ Matrimonii, ejus videlicet indiffolubilitati; adjectione autem talis conditionis elidi virtutem intentionis generalis ex fupra laud. Cap. *Si conditiones*, de condit. appofit. fatis conftat: idque etiam eo certius eft de Calvinianis, quod Matrimonia fic inita, violatis conditionibus contractui adjectis, diffolvere attentent, fæpe imo (quod experientia docemur) re ipfa diffolvant, nifi Magiftratus publici auctoritate prohibeantur. Plura in hanc rem difputari poffent, nifi id jam fuperfluum foret poft apertam hodie regnantis S. P. BENEDICTI XIV. Declarationem: hanc unam proinde pro affirmanda, quam tuemur, fententia adjicimus. Ne quis porro de fenfu Summi Pontificis relinquatur du-

bitandi

bitandi locus, factum ipsum, cujus occasione Declaratio emanavit, lubet referre.

Ita autem facti series habet. Illustriss. Domina N. origine Transylvana & Calvinum professa cum Domino N. eidem sectæ addicto coram Ministro pariter Calviniano An. 1742. Matrimonium contraxit sub conditione dissolubilitatis; eademque subinde, ejurato Calvino, Religionem Catholicam amplexa de sui Matrimonii valore dubitare cæpit: imo etiam, si hoc irritum foret, ad alia vota transire cogitavit. Consulit eapropter Sacerdotem N. Ord. Min. Obs. Refor. in Transylvania Missionarium; qui, ne quid improvide decerneret, Romana sensa censuit exploranda. Eo igitur proposito duos casus hoc argumentum complexos S. Congregationi de propag. Fide submittit. Horum primus erat: *Sempronius Calvinista Diœcesis Transylvaniæ - - coram Curione suo Calvinista - - sub conditionibus*, contraho tecum si, vel quamdiu manseris in honestate conjugali, vel si fidem thori servaveris, *contraxit Matrimonium cum Sempronia Calviniana; hæc Sempronium aliquoties infideliter deseruit, redire renuit. Sempronius fidem Catholicam suscepit &c.* Alter casus: *Titius Calvinista coram Ministro ejusdem sectæ & testibus in Diœc. Alb. Transyl. contraxit Matrimonium cum Titia Calviniana - - sub iisdem conditionibus; iidem nunc, recenter conversi ad fidem Catholicam, dubitant &c.* His præmissis quærit: *an Sempronius validum contrahat Matrimonium? siquidem & ipsi hæretici violatis dictis conditionibus Conjuges ad alia vota transmittunt.* Quærit item: *an taliter in hæresi contrahentes, postquam convertuntur, juxta formam Concilii Tridentini consensum renovare teneantur?*

 Hacte-

Hactenus P. Missionarii quæsita: quæ a S. Congr. de propag. continuo remissa sunt ad S. Congreg. Gener. Inquisit. in qua demum, coram ipso SS. Domino An. 1748. die 1. Mensis Augusti habita, de proposita controversia pronuntiatum est. Declaratio autem facta sic habet. *BENEDICTUS Dom. N. Papa, prædictis auditis votis DD. Eminentiss. & Reverendiss. Cardinalium Generalium Inquisitorum, censuit rescribendum esse per eamdem S. Congregationem de fide propag. Patri N. Ord. Min. Obs. Refor. Missionario in Transylvania, Matrimonia in utroque casu relata nulla prorsus esse & invalida; & ad primum dubium specialiter, Sempronium non teneri ad recipiendam uxorem in hæresi Calviniana manentem: imo nec teneri ad eam recipiendam, si ad Catholicam fidem convertatur; posse tamen ad Catholicam fidem conversam recipere (si velit) in uxorem, renovato coram Parocho & testibus utriusque consensu &c. Ad secundum vero dubium: debere recenter conversos consensum coram Parocho & testibus renovare, ut tanquam legitimi Conjuges in Conjugio manere possint.* Subscripsit, *Paulus Ant. Capellanus S. Rom. & Univers. Inquisitionis Notar.*

Atque hac Romana Declaratione accepta, nihil jam dubitavit memorata Illustr. Domina N. deserto priore Calviniano Conjuge, cum alio Nob. Viro N. Matrimonium inire: uti etiam illud re ipsa deinde ritu catholico iniit. De quo cum subinde ad sedem Apostolicam notitia perveniret, ratum illud ac validum esse Summus Pontifex pronuntiavit, in eam rem ad Excellentiss. ac Reverendiss. Albensem in Transylvania Episcopum Brevi Apostolico ad diem 25. May. An. 1754. dato: de quo ipso hoc eod. die & Anno D. Ludovicus de Valentibus Assessor S. Officii supra memoratam Illustriss. Dominam nomine Pontificis certiorem reddidit per Epistolam, quam præ manibus habeo.

Huic

Huic jam vero tam apertæ Declarationi nihil est, opinor, quod adjici debeat; reliquum duntaxat habemus, ut pro ea, qua nos in Sedem Apostolicam ferri oportet observantia, Sapientissimi Pontificis sensa omni submissione amplectamur.

§. II.

Quis sit Minister Sacramenti Matrimonii?

Cum indubitatum sit, eum esse Sacramenti Ministrum, qui ejus materiam & formam ponit, ex præc. §. ultro jam consequitur

ASSERTIO.

Verisimilius est Ministros Sacramenti Matrimonii esse ipsos contrahentes: non autem Parochum.

Summa argumentorum omnium, quibus hæc sententia nititur, in eo est: quod Christus, fidelium Matrimonio ad rationem Sacramenti evecto, nihil peculiare ritui ejus substantiali adjecerit; id quod deducitur ex doctrina CC. Florentini & Tridentini, vario item in LL. Ritualibus præscripto ritu, Doctorum communi sensu, ac demum ex ratione: ut adeo quinque sint præcipua hujus loci argumenta.

Argumentum I. ex Conc. Florentino. Juxta hoc causa 38
constitutive efficiens Sacram. Matrimonii, ac proinde ejus materia & forma est consensus mutuus regulariter per verba de præsenti expressus; ergo juxta idem Concil. is est hujus Sacramenti Minister, qui ponit dictum consensum: atqui hunc ponunt contrahentes, non Parochus; non igitur iste, sed contrahentes ipsi sunt Ministri Sacramenti Matrimonii juxta Concilium. Argumentatio hæc (ut vides) est legiti-

gitima, modo sua sit Asserto primo veritas. Cur vero illa in dubium revocetur?

Causam efficientem commemorans Concilium, inquiunt Adversarii, non amplius agit de Matrimonii Sacramento: verum de Matrimonio duntaxat pro contractu civili sumpto, & ut est in naturæ officium. At enim ex N. 29. constat arbitrarie istud dici; quin nec absque Concilii injuria dici posse contendo. Etenim si his verbis Concilium agat de causa efficiente Matrimonii ut Sacramenti, integre dat doctrinam de materia & forma, imo etiam Ministro hujus Sacramenti: cum universim is sit Minister Sacramentalis, qui materiam & formam ponit; ex adverso, si assignet causam efficientem Matrimonii solum ut contractus naturalis & civilis, nihil eorum præstat: manca proinde & mutila est ejus doctrina de Matrimonii Sacramento, contra quam pro instructione Armenorum sibi proposuerit Concilium, ac jam de aliis Sacramentis re ipsa præstiterit.

Sed consulto forte nolebat de Ministro hujus Sacramenti quidquam statuere propter controversiam Scholasticam. Itane vero? Qui ante Concilium Florent. de Ministro Sacramenti Matrimonii controverteret, unus fuit duntaxat Guillelmus Parisiensis: & persuaserit sibi quispiam, Synodum statuere nihil voluisse propter singularem unius Doctoris opinionem, reliquis omnibus contrarium sentientibus? præsertim cum constet, quod, tametsi Magister Sentent. item Durandus, & complures Canonistæ in Matrimonii Sacramento conferri gratiam negarent, nihilominus Concilium juxta communem aliorum sententiam non dubitaverit in Decreto suo docere Armenos oppositum: cum videlicet, enumeratis septem Sacramentis, continere illa gratiam, ac etiam conferre generatim asseruit.

Ar-

Argumentum II. ex Conc. Tridentino. Nimirum ſecundum hujus Concilii declarationem, 39

1*mo*, Seſſ. 24. in Doctr. de Sacram. Matrimonii, inter illud, ut eſt novæ Legis Sacramentum, & Matrimonium, ut fuit ante Legem Evangelicam, non aliud intercedit diſcrimen, quam quod illud veteribus connubiis præſtet virtute conferendi gratiam per Chriſtum; igitur Concilium cenſuit, nihil præterea peculiare habere Matrimonium, ut eſt Sacramentum: eamdem proinde eſſe ejus materiam & formam, ac etiam Miniſtrum, quæ erant in Matrimonio ante Legem Evangelicam; ante hanc autem indubium eſt, Miniſtrum ejus fuiſſe contrahentes, conſenſum autem ab illis per ſigna expreſſum totam Matrimonii ſubſtantiam conſtituiſſe.

2*do*, cit. Seſſ. Can. 1. generatim definit, baptizatorum Matrimonium eſſe verum Legis Evang. Sacramentum: & Can. 11. nuptiarum *benedictiones* refert ad ſolemnitatem & cæremonias Matrimonii; ergo ex mente Concilii univerſim Matrimonium inter Chriſtianos (ſuppoſita intentione ad Sacramenti confectionem requiſita) eſt verum Sacramentum, ſi ſit verum ac legitimum quoad ſubſtantiam Matrimonium: tale autem eſt ſine benedictione Parochi, tametſi is videlicet nulla verba proferat, modo cum duobus aliis teſtibus Matrimonio aſſiſtat. Ex quo recte intuleris, exiſtimaſſe Concilium benedicentis Parochi verba, utpote ad meram ſolemnem cæremoniam pertinentia, non eſſe formam hujus Sacramenti: nec Parochum fungi officio Miniſtri Sacramentalis, ſed teſtem duntaxat agere, & Miniſtrum ſolemnitatis.

3*tio*, in Decr. de Reform. Matr. Cap. 1. ait: *dubitandum non eſt, clandeſtina Matrimonia, libero contrahentium con-*

ſenſu facta, rata & vera eſſe Matrimonia, quamdiu Eccleſia ea irrita non fecit; jam vero Matrimonium *ratum* ex uſu loquendi Eccleſiaſtico eſt verum Sacramentum, ut patet ex Cap. *Quanto*, de Divort. ubi Innocentius III. *etſi*, inquit, *Matrimonium verum inter infideles exiſtat, non tamen eſt ratum: inter fideles autem verum & ratum exiſtit, quia Sacramentum fidei, quod ſemel eſt admiſſum, nunquam amittitur, ſed ratum efficit conjugii Sacramentum &c.* igitur clandeſtina Matrimonia, ante Concilium Trident. celebrata ſine Parocho, fuerunt Sacramenta, atque adeo ex mente ejusd. Concilii Parochus non eſt Miniſter hujus Sacramenti.

4*to*. Demum & illud addendum. Ex toto paulo ante cit. Cap. haud obſcure colligitur, in Matrimoniis celebrandis teſtium & Parochi præſentiam, propterea tantum requiri, ut vitentur incommoda, quæ oriuntur ex clandeſtinis conjugiis: cui quidem malo ſatis occurritur, ſi Parochus nomine Eccleſiæ teſtem agat; nuſpiam autem certe Concilium innuit, Parochum adeſſe debere ceu Miniſtrum Sacramenti quoad ſubſtantiam.

40 Argumentum III. eſt ex LL. Ritualibus, Pontificalibus, & Miſſalibus; ex quibus invicem collatis colligitur, hæc, aut his ſimilia Sacerdotis verba, *ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris &c.* non eſſe formam Sacramenti quoad ſubſtantiam: proinde nec Sacerdotem eſſe ejus Miniſtrum, niſi quoad ſolemnitatem. Ita autem iſtud arguo.

1*mo*, referente erud. Martene de antiq. Eccl. Rit. Par. 2. L. 1. Cap. 5. in MS. Miſſali Redonenſi annorum circiter 700. in MS. Monaſterii Lyrenſis Pontificali annorum 600. in MS. Codice Victorino annorum 500. in MSS. Pontificalibus

bus Ecclesiæ Arelatensis & Antissiodorensis annorum circiter 400. idem est de Pontificalibus Eccl. Lugdun. & Ambianen. ac etiam Missali Eccl. Parisiensis, ante annos circiter 300. scriptis, in his inquam omnibus, post consensum mutuum a sponsis præstitum, non aliud præscribitur Sacerdoti dicendum, quam *orationes*, & quidem fere complures, ac demum: *Deus Abraham*, *Deus Isaac*, *Deus Jacob*, *sit vobiscum; ipse conjungat vos*, *impleatque benedictionem suam in vobis.* Quid jam vero in his formæ Sacramentalis rationem habeat? Non *orationes;* præterquam quod enim illæ sensum formæ non contineant: similis oratio etiam in Rituali Rom. Pauli V. præscribitur præter verba: *ego vos conjungo &c.* in hac autem oratione, cum prædictis verbis conjuncta, nemo formam Sacr. Matrimonii constituit. Non verba illa, *Deus Abraham &c.* hæc quippe quoad omnia prorsus diversum sensum faciunt ab his, *ego vos conjungo &c.* in quibus tamen juxta Rituale Rom. prolatis Adversarii formam reponunt.

2*do*, apud eumd. Martene loco cit. juxta Missale Gelasianum, item MSS. Codices Rhemensem & Gellonensem annorum 900. in celebratione Matrimonii Sacerdos nihil dicendum habet præter orationes, quibus petit: ut Deus *nuptias has confirmare dignetur*, *consortio maritali copulatos filiorum successibus fœcundet*, eorum *conjunctiones foveat &c.* Dominicus Soto Volum. 2. in 4. pag. 101. refert, in quibusdam Ecclesiis formam a Sacerdote proferendam his verbis definiri: *quod Deus conjunxit*, *homo non separet.* In Rituali Salisburgensi (teste Cl. Berti. de Theol. Discipl. L. 37. C. 10.) hæc forma Parocho præscribitur: *Matrimonium*, *in facie Ecclesiæ inter vos me annuente contractum*, *Deus confirmet; & ego illud approbo*, *perficio*, *atque solemnizo*, *in nomine Patris &c.* Quid multis? in ipso nostro Viennensi

Rituali An. 1730. edito, cujusque etiam hodie usus est in hac Archi-Diœcesi, totus Matrimonii celebrandi ritus his absolvitur: mutuum consensum sponsi verbis exprimunt, tradunt sibi annulum, conjungunt manus, hasque dein Sacerdos stola circumvolvens, dicit: *Matrimonium, in facie Ecclesiæ inter vos me annuente contractum, Deus confirmet; & ego illud &c.* ut supra in Rit. Salisburgensi. Quæ quidem omnia satis indicant, verba Sacerdotis supponere potius Matrimonium jam factum, quam illud efficiant; ut primum autem inter fideles Matrimonium est validum, est simul Sacramentum: nemini enim usque huc in mentem venit, duo hæc diversis temporibus perfici, atque ab invicem separari. Quod igitur hinc consequitur, Sacerdotis verba non pertinent ad substantiam formæ Sacramenti Matrimonii: sed ad solemnitatem duntaxat, & testimonium, quo videlicet significatur Matrimonium ab Ecclesia approbari, & quoad solemnitatem perfici. Unde, conformiter ad nunc relatas formas, communiter recepta forma illa: *ego vos conjungo in Matrimonium in nomine Patris &c.* non alium ex mente Ecclesiæ sensum facit, quam, *ego approbo, solemniter confirmo, & benedico conjugium vestrum.*

3*tio*, in vetusto Rituali Ecclesiæ Catalaunensis (apud laud. Martene eod. C.) non præscribitur aliud, quam ut post mutuum consensum sponsorum, junctasque eorum manus, & traditum annulum, *Sacerdos aspergat eos aqua benedicta.* En! nulla sunt isthic Sacerdotis verba: Matrimonium nihilominus hoc ritu in facie Ecclesiæ celebratum est verum Sacramentum; igitur Sacerdotis verba non sunt forma hujus Sacramenti, nec Sacerdos ejus Minister. Fateor equidem in hoc eod. Rituali Parochum moneri, ut post aspersionem factam dicatur Missa, atque in hac post Communionem recitetur pro benedicendis sponsis Oratio, *Propitiare*

pitiare &c. & *Deus*, *qui poteſtate virtutis* &c. At hæc benedictio, ſub finem Miſſæ fieri ſolita, juxta omnes non eſt Sacramentalis, ſed mere cæremonialis: cum ſecundis Nuptiis communiter impendi ſoleat.

4to, Rituale Leodienſe, rurſum a Martene loco cit. relatum, ritum Matrimonii in facie Eccleſiæ celebrandi ita deſcribit. Poſt annulum traditum Paſtor ſponſorum manus ſtola colligabit, ſignoque Crucis facto dicet, *in nomine Patris &c.* Præeunte dein eodem Paſtore verba, contractum matrimonialem exprimentia, ſponſi proferunt; quibus peractis (verba ſunt Ritualis) *admonitis ambobus*, *ſi jam contracti Matrimonii qualitas benedictionem admittit*, *ut eam devote ſuſcipiant*, *Sacerdos ſigno benedictionis*, *ſeu Crucis*, *ſuper eos facto*, *pronuntiet:* Deus Abraham - - ille vos in Chriſto benedicat, & creſcere faciat in gentem magnam, in nomine Patris &c. *Quam quidem benedicendi formam non impendet ſecundis Nuptiis*, *ſed primis duntaxat: non quidem quod ſecundæ Nuptiæ non verum ac legitimum Matrimonium contineant; ſed quod non tam adæquate*, *ſeu perfecte*, *ſicut primæ Chriſti Domini unius ſponſi cum unica ſua ſponſa Eccleſia unicam ac ſimplicem repræſentent conjunctionem.* In hoc jam ritu, poſt mutuum conſenſum ſponſorum, nulla Sacerdotis verba occurrunt alia, quam *Deus Abraham &c.* hæc autem certe dici nequeunt Sacramenti forma, cum omitti debeant in ſecundis Nuptiis, quæ tamen perinde ſunt verum Sacramentum, ac primæ; ergo juxta hunc ritum Matrimonii Sacramentum perficitur ſine forma a Sacerdote prolata, ac proinde abſque ejus Miniſterio Sacramentali.

Argumentum IV. ex Doctorum conſenſu. Sententiam 41
hanc ſcilicet cum duobus Eccleſiæ Doctoribus D. Thoma & S. Bonaventura olim amplexi ſunt omnes Theologi, dem-

pto Guillelmo Parisiensi, de quo ipso est ambiguum; ab unanimi autem Majorum doctrina non est recedendum, nisi gravia in oppositum proferantur momenta: præsertim cum in multis Ecclesiæ sensus nobis potissimum ex consentientibus Doctorum suffragiis innotescat. Loca porro ex veteribus DD. pro nobis facientia copiose recitat Simonnet supra N. 26. laudatus. Equidem scio Melchiorem Canum adniti, ut D. Thomam suarum faciat partium: Sylvius etiam multa ex ejus Operibus colligit, quo ostendit illum in *summa* retractasse complura, quæ in LL. Sententiarum scripserat. At enim nuspiam legitur retractasse, quod in 4. dist. 26. qu. 2. Ar. 1. ita habet: *Verba, quibus consensus exprimitur, sunt forma hujus Sacramenti; non autem benedictio Sacerdotis, quæ est quoddam Sacramentale;* idem quippe repetit ad Annibaldum L. 4. dist. 27. Ar. 2. imo & in iis locis, quæ pro se laudat Canus, modo contextus attendatur. Consule cit. Simonnetum pro germano Divi Thomæ sensu acriter pugnantem.

42 Argumentum V. ex ratione. Sacramenti Matrimonii is est Minister, qui ponit id, quod Christus evexit ad rationem Sacramenti Matrimonii; atqui istud non aliud est, quam contractus Matrimonialis legitimus: hic enim perfecte significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, eumque ponunt soli contrahentes, & quidem tacente etiam, nihilque proferente præsente Parocho; soli igitur contrahentes sunt Ministri Sacramenti Matrimonii.

Respondetur adversæ sententiæ Patronis.

Argumenta, quibus opinio nostra impugnatur, fere collecta sunt ex Cano, Estio, & Sylvio; his nihilominus etiam RR. aliqua adjecerunt, præsertim du Hamel, Tournely,

nely, & Vanroy. Quia autem omnia petuntur vel ex Patrum & Pontificum sensis, vel Conciliorum Decretis, vel Ll. Ritualibus, aut demum ex ratione: libet eadem hoc eodem ordine expedire.

Opponitur auctoritas Patrum & Pontificum eorum, qui 43
dicunt Matrimonia conciliari per Ministros Ecclesiæ, horumque benedictiones ad Matrimonii Sacramentum requiri; ut adeo censuisse videantur, Parochum esse Ministrum hujus Sacramenti, formamque illius in benedictione Sacerdotali consistere. Ita

I. Tertullian. L. 2. ad Uxorem C. 9. commendat *felicitatem ejus Matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio.* Ambrosius Ep. 70. nunc 19. ait: *conjugium Sacerdotali benedictione sanctificari oportet.* Augustinus in Ps. 149. Matrimonii vinculum comparans compedibus, *tales,* inquit, *compedes consolidant vobis & Episcopi manus;* ubi per *manus* intelligitur *potestas.* D. Thomas 2. 2. qu. 100. Ar. 2. *benedictionem nubentium* refert ad Matrimonium, *in quantum est Ecclesiæ Sacramentum.* Et in 4. dist. 1. qu. 1. Ar. 3. de Poenitentia & Matrimonio ait, *secundum quod utrumque est Sacramentum, in dispensatione Ministrorum Ecclesiæ consistens, utrumque habet aliqua verba; sicut in Matrimonio sunt verba exprimentia consensum, & iterum benedictiones ab Ecclesia instituta: in Pœnitentia autem est absolutio Sacerdotis.* Item 3. p. qu. 83. Ar. 3. *dispensatio Sacramentorum pertinet ad Ministros Ecclesiæ.*

II. Complures Pontifices cum Siricio & Hormisda docent Matrimonium esse Sacramentum, *si Sacerdotis ministerium interveniat:* utque sine hoc non contrahantur Matrimonia pluribus Canonibus præcipiunt. Hinc Evaristus C. *Aliter.*

ter. C. 30. qu. 5. ait, *Connubia ſine Sacerdotis benedictione contracta, - - adulteria aut fornicationes potius, quam legitima conjugia eſſe.* Nicolaus I. C. *Lotharius.* C. 31. qu. 2. declarat, Matrimonium inter Lotharium & Gualdradam initum non eſſe validum, *ſi nuptiæ non fuerint per benedictionem Sacerdotis celebratæ.*

Reſp. I. generatim: ex his Patrum & Pontificum verbis id unum deduci, quod ex Præcepto Matrimonium celebrandum ſit ſolemniter in facie Eccleſiæ, proinde coram Sacerdote & per ejus benedictionem; atque adeo Sacramenti Matrimonii ſimul quoad integritatem, ſeu ſolemnitatem Eccleſiaſticam ſumpti Miniſtrum eſſe Sacerdotem: benedictionem autem ejus, vel alia verba, quibus Matrimonium nomine Eccleſiæ confirmat & approbat, eſſe formam. Unde

Reſp. II. in particulari, & quidem ad I. Tertullianus non plus dicit, quam felix eſſe Matrimonium, quod Eccleſia conciliat, hoc eſt, quod a fidelibus approbante Eccleſia contrahitur; id quod adverſum nos non pugnat. Ambroſius vero loquitur de præcepto benedictionis a Conjugibus ſuſcipiendæ; huic autem attribuit ſanctificationem ſolum accidentalem, eam videlicet, quæ cæremoniæ ſacræ reſpondet: non autem Sacramentalem, quam benedictio ex opere operato efficiat. Colligitur iſtud vel inde, quod juxta Ambroſium cit. Ep. nuptiæ ſanctificentur etiam *Sacerdotali velamine*: juxta alios autem PP. *oblationibus*; quorum certe neutrum pertinet ad ſubſtantiam Sacramenti, nec virtutem habet efficiendæ ſacramentalis gratiæ. Si tamen Ambroſius intelligat ſanctificationem Sacramento propriam, id eo ſenſu congrue exponitur: quod ſine benedictione Sacerdotali ab Eccleſia præcepta non conferatur gratia ſanctificans defectu

fectu dispositionis conjugum Ecclesiæ præceptum violantium. Quod ex Augustino refertur, verbo *consolidant* satis innuit S. Doctor Matrimonium per Episcopum confirmari duntaxat, quo videlicet publico Ministri Ecclesiæ testimonio pro rato ac legitimo habeatur.

Demum de D. Thoma ita habe: in primis duobus obj. locis id solum vult, benedictionem pertinere ad Matrimonii Sacramentum, esse ejus formam, prout nimirum Matrimonii Sacramentum sumitur etiam integraliter quoad solemnitatem. Atque istud dici debere colligitur ex eusdem verbis supra N. 41. recitatis; quæ eadem repetit in suppl. qu. 42. Ar. 1. ad 1. & confirmat ad dist. 18. qu. 1. Art. 3. ubi ait: *Sacerdotis benedictio non requiritur in Matrimonio quasi de essentia Sacramenti.* Ex quibus patet, quo sensu accipiendus sit locus ultimo objectus. Nimirum ex mente S. Doctoris ad Ministros Ecclesiæ pertinet dispensatio Sacramentorum, reliquorum quidem tam quoad substantiam, quam quoad solemnitatem: hujus vero tantum quoad solemnitatem. Ipsa profecto loca, quæ Adversarii ex D. Thoma objiciunt, si totus eorum contextus consulatur, sensum a nobis intentum satis produnt.

Resp. ad II. universim Pontifices præceptis suis eo tantum spectare; ut impediant clandestina Matrimonia, quæ sine testibus, & solemni Sacerdotis ministerio ac benedictione contra Ecclesiæ prohibitionem fiunt: quæque propterea quidam eorum dicunt non esse Sacramenta, intellige, actu gratiam conferentia ob indispositionem contrahentium. Nominatim certe Evaristus agit de clandestinis Matrimoniis, & quidem iis, quæ secundum fori externi præsumptionem non habentur pro legitimis, nisi legitimus contrahentium consensus probari possit; continuo quippe post laud. verba subjicit:

nisi voluntas suffragaverit, & vota succurrerint legitima. Ac profecto nisi istud dicatur, quomodo Trident. Sess. 24. C. 1. declarare poterat, clandestina Matrimonia, libero consensu inita, ante irritationem ab Ecclesia factam rata & vera fuisse? Idem esto judicium de Nicolai I. declaratione; nam cit. C. præterea ait: *si minime probatum fuerit Gualdradam fuisse uxorem legitimam, neque nuptiis secundum morem celebratis, per benedictionem scilicet Sacerdotis, Lothario extitisse conjunctam, suggerite illi, ut non moleste ferat legitimam sibi reconciliari uxorem*, Teutpergam scilicet, quam repudiaverat. Id ipsum colligitur ex Baronio & Du-Mesnil ad An. 862. ubi de nuptiis Lotharii disserunt. Cæterum hæc objectio, ex Evaristi & Lotharii verbis petita, perinde Adversariis resolvenda est: cum ante Tridentinum Matrimonia clandestina saltem in ratione contractus, ejusque indissolubilis, fuerint valida.

44 Concilia, ad quæ Adversarii provocant, sunt I. Florent. & Trident. Nimirum illud in Decr. pro Arm. generatim ait Sacramenta *perfici verbis, tanquam forma*; id quod verum non est de Sacramento Matrimonii, si Sacerdos non sit ejus Minister, nec verba a Sacerdote prolata habeant rationem formæ Sacramentalis: nam in hac sententia ratum est Matrimonii Sacramentum, modo contrahentes consensum nutu aut quovis signo alio exprimant. Tridentinum vero Sess. 24. Cap. 1. præscribit Parocho, ut, mutuo sponsorum consensu intellecto, dicat: *ego vos in Matrimonium conjungo &c.* hæc igitur sunt illa verba, quibus *tanquam forma* perficitur Matrimonium in ratione Sacramenti; secus enim falsa esse oportet, cum Parochus sponsos non conjungat in ratione contractus.

II. Ca-

II. Carthaginense IV. Can. 13. per modum consilii ait: *sponsus & sponsa - - cum acceperint benedictionem, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant?* quorsum autem istud? si Matrimonium non fiat Sacramentum per Sacerdotis benedictionem. Fieri certe supponit Conc. Lateranense sub Alexandro III. celebratum, in quo Cap. *Cum in Ecclesiæ.* de simonia, dicitur: *horribile est, quod in quibusdam Ecclesiis locum venalitas perhibetur habere, ita ut - - pro sepulturis & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, seu aliis Sacramentis aliquid requiratur;* ubi vides benedictionem nubentium aliis Sacramentis accenseri. Idem supposuit Conc. Constantiense, cum Sess. 15. in quæsitis, quæ suspectis de hæresi proponi debeant, *solemnisationem Matrimonii* inter Sacramenta numeret.

III. Conc. Coloniense An. 1536. Par. 7. C. 40. asserit, Matrimonium accedente Sacerdotali *benedictione & precatione* gratiam conferre. Item Petricoviense An. 1551. a Cl. Vanroy productum, *firmitatem vinculi conjugalis, & donum perseverantiæ* (quod utrumque habetur per Sacramenti gratiam) ait *effici accedente verbo, a visibili, quæ fit per Sacerdotem, copulatione.* Quod si autem Sacerdotis verba gratiam Sacramenti efficiant, sunt utique ejus forma, Sacerdos vero Minister.

Resp. ad I. sensum Florentini esse: Sacramenta verbis tanquam forma perfici, sex priora quidem *essentialiter*, ut constat ex Traditione & sensu Ecclesiæ: Matrimonium autem *regulariter*, quæ particula in eod. Decr. §. de Sacr. Matr. nominatim adjicitur. Neque propterea dixeris falsa reddi Sacerdotis verba, *ego vos conjungo*, si formæ Sacramentalis vim non habeant: ut enim N. 40. V. 2. &c. insinuavimus, eorum sensus est: ego Matrimonium vestrum

 aucto-

auctoritate Ecclesiæ ratum habeo, id est solemniter approbo & confirmo; hinc Parochus sponsos conjungit approbative, non efficienter. Violenta forte Adversariis videbitur hæc verborum acceptio? at, si consulant formam in Rituali Salisburgensi & nostro Viennensi præscriptam, eamque etiam hodie usitatam, facile in animum inducent, nullam nos vim inferre verbis in sensu Ecclesiæ acceptis. Ac omnino nisi istud admittant, quomodo ratum erit Matrimonii Sacramentum, in cujus solemni celebratione ex ritu quarumdam Ecclesiarum Parochi proferunt verba, quoad sensum prorsus differentia ab his: *ego conjungo* &c. & tamen Trident. eod. C. 1. suum cuique Ecclesiæ ritum integre relinquit: *vel aliis* (inquit de Parocho assistente) *utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum.* Consule ac etiam invicem confer Ritualia supra N. 40. relata.

Resp. ad II. ex Carthaginensi haud recte argui: nam non tantum Sacramenta, sed etiam Sacramentalia præsertim solemniora, qualis est nuptiarum benedictio, digna sunt magna veneratione. At cur non potius, inquies, hanc continentiam suadet propter Sacramentum? imo propter hoc etiam; cujus sponsos sufficienter admonet per benedictionem, quæ impenditur propter Matrimonii Sacramentum, illudque quoad integritatem & solemnitatem complet. Solam interim benedictionem nominat: cum enim hæc fiat sacris verbis, facilius illis excitantur ad memoriam rei sacræ in Matrimonio acceptæ. Quod ad Lateranense attinet: Sacramenta isthic sumuntur latiore significatione, cum inter illa etiam sepulturæ & exequiæ mortuorum numerentur. Aut, si mavis, dic: τὸ *aliis* isthic non esse relativum, sed absolutum, ita ut sensus sit: seu pro aliis rebus sacris, qualia sunt Sacramenta. Ita & Luc. 23. *ducebantur autem*

autem & alii duo nequam cum eo, τὸ *alii* non accipitur relative ad plures nequam. Quod ſi hæc Adverſariis non ſatisfaciant, licebit perinde inferre, etiam ſepulturam eſſe Sacramentum. Demum Conc. Conſtantienſe fruſtra opponitur; voluit illud quidem de hæreſi ſuſpectos interrogari: *num credant, quod peccet contemnens ſuſceptionem Sacramentorum Confirmationis, vel Extr. Unctionis, vel ſolemniſationis Matrimonii?* at poſtrema hæc verba re ipſa non plus ſupponunt, quam *ſolemniſatum Matrimonium* eſſe Sacramentum: id quod verum eſt, tametſi *ſolemnitas* non pertineat ad ſubſtantiam, ſed tantum ad integritatem Sacramenti. Quid quod Huſſitarum de Matrimonio error, contra quem cit. ſeſſ. agit Concilium, in eo duntaxat fuerit, quod ejus *ſolemniſationem*, utpote ab Eccleſia tantum inſtitutam, contemnerent: non autem, quod illam negarent eſſe Sacramentum; cui errori ut occurreretur, ſatis erat declarare, memoratam *ſolemniſationem* absque piaculo contemni non poſſe.

Reſp. ad III. Utrumque laud. Concilium propterea ait Matrimonium conferre gratiam, accedente Sacerdotis benedictione & copulatione: quia, qui illam contra præſcriptum Eccleſiæ negligit, hoc ipſo neglectu incapacem ſe reddit recipiendæ gratiæ Sacramento propriæ. Unde nominatim Petricovienſis Synodi verba accipienda ſunt hoc ſenſu: gratiam effici ab illa viſibili, hoc eſt, verbis contrahentium ſenſibiliter expreſſa copulatione, quæ per Sacerdotem ſolemniter confirmatur & benedicitur.

Quæ ex LL. Ritualibus objiciuntur, hæc fere ſunt. 45
Rituale vetus Roman. An. 1494. ait: *contrahentibus reſpondentibus ſe nec eſſe affines, nec conſanguineos &c. Sacerdos pronuntiet verba, quæ ſunt forma hujus Sacramenti.* Alterum

 vero

vero Rit. Rom. Pauli V. in Præfat. inter Sacramenta, quæ ministrari debent a Parochis, recenset Matrimonium; ac in eodem, uti & in plurimis aliis Ecclesiarum Ritualibus, Sacerdos jubetur proferre hæc verba: *ego vos conjungo* &c. Quin in Enchiridio Conc. Coloniensis An. 1536. & Manuali Iprensi An. 1576. ac Mechliniensi 1589. notatur, verba hujusmodi dicenda esse a Sacerdote, *tanquam Ministro Ecclesiæ.* Denique (præter complura alia apud Martene loco a nobis supra citato) Rituale Mediolanense ex præscripto S.Caroli Bor. Actorum Par. 4. quinque Sacramenta esse ait, quæ *Parochus ex officio administrare potest*, ac inter hæc Matrimonium numerat. Igitur testimonio Ritualium Parochus est Minister, verba autem ejus sunt forma Sacramenti Matrimonii.

Resp. ex omnibus his Ritualibus non plus evinci, quam Sacerdotem in Matrimonii celebratione esse *Ministrum solemnitatis*: & verba ab eo prolata esse *formam Sacramenti Matrimonii quoad integritatem simul, seu solemnitatem ab Ecclesia institutam accepti.* Istud porro congrue dici, tria suadent. 1*mo*, quia omnia Ritualia agunt de solemni celebratione Matrimonii, proinde de hoc Sacramento, non mere quoad substantiam, sed simul integraliter, quoad solemnitatem sumpto. 2*do*, quia illud ipsum Concilii Colon. Enchiridion, quod nobis objicitur, tametsi dicat, a Sacerdote tanquam Ministro proferenda esse verba, simul hæc addit: *verbum hujus Sacramenti, quo accedente ad elementum fit Sacramentum, id nimirum est, quo ambo mas & fæmina cum pietatis respectu, quæ in Deum est, sibi mutuo fidem conjugalem dant, accipiuntque.* Juxta hoc igitur Enchiridion verborum forma, qua fit Sacramentum, ponitur a contrahentibus, hique proinde sunt Ministri Sacramenti: Sacerdos autem est tantum Minister solemnitatis. 3*tio*, quia hæc expositio est magis conformis sensui Florentini & Tridentini: imo sine illa explicari nequit, quomodo Matrimonia

monia juxta ritum quarumdam Ecclesiarum celebrata sint verum Sacramentum. Vide Ritualia N. 40. laudata, præsertim Catalaunense & Leodiense.

Ex ratione theologica ita arguitur. I. Minister in aliis Sacramentis diversus est a suscipiente; quidni igitur etiam in Matrimonii Sacramento? Quid quod contrahentes non gerant personam Christi, quod tamen est proprium Ministro Sacramentali; imo plerique ignorant se esse Ministros, carent proinde intentione ad perficiendum Sacramentum requisita. 46

II. Quomodo contrahentium verba, *ego te accipio in meam*, aut alia his similia possint habere rationem formæ Sacramentalis, cum nec sint sacra, nec significent effectum Sacramenti Matrimonii?

III. Cum secundum Jus antiquum (idem est & nunc de locis, in quibus non est receptum Tridentinum) sponsalia per copulam, affectu maritali factam, transiverint in Matrimonium, sequitur, si contrahentes sint Ministri, copulam hanc illicitam posse esse partem Sacramenti Matrimonii; id quod sine gravi inconvenientia dici non potest.

Resp. ad I. ab aliis Sacramentis haud recte argui ad Matrimonii Sacramentum: hoc enim plene consistit in ipso conjugum contractu legitimo, ad rationem Sacramenti per Christum evecto; sicut igitur contractus hujus subjectum simul & Minister sunt conjuges, sic & Sacramenti Matrimonii: nihil autem simile occurrit in aliis Sacramentis. Nec dubium est contrahentes simul gerere personam Christi: quatenus nimirum per hujusmodi matrimonialem contractum ex institutione Christi significant unionem Christi cum Ecclesia, & Sacramen-

cramenti gratiam operantur. Sed nec requiſita deeſt illis intentio: vel ideo enim, quod Matrimonium intendant contrahere eo modo, quo contrahitur a fidelibus in Eccleſia, implicite ſaltem intendunt Sacramentum.

Reſp. ad II. Conjugum verba, aut ſigna quævis alia, quibus internum conſenſum exprimunt, non quidem, mere ſecundum ſe ſpectata, verum prout ad rationem Sacramenti evecta, ac proinde a Chriſto ad ſignificandam & efficiendam gratiam inſtituta, ſunt quid ſacrum, ac etiam effectum Sacramenti ſignificant.

Reſp. ad III. verbis Platelii, qui in Synop. Th. de Sacram. C. 7. §. 4. N. 1102. ait: *eſſe moraliter impoſſibile, ut copulam affectu maritali affectam non præcedant verba, quibus ſignificent ſe in eam affectu maritali conſentire; ac proinde antecedenter ad illam contractum eſſe per iſta verba Matrimonium. Si tamen aliquo caſu contingeret, ut ipſa copula foret primum ſignum mutui conſenſus in Matrimonium, non eſſet abſurdum dicere, quod copula illa in ratione ſigni conſenſus mutui concurreret ad hoc Sacramentum: ſicut non eſt abſurdum aſſerere, quod actio turpis, qua v. g. aqua applicaretur baptizando per tactus impudicos, eſſet materia proxima Baptiſmi.* Ita ille ad verbum.

§. III.

Quod ſit ſubjectum capax Sacram. Matrimonii?

TRia in præſenti ſecernenda ſunt ab invicem: Subjecti videlicet generatim capacitas; capacitas item ad valide tantum, vel licite ſimul recipiendum hoc Sacramentum. Seorſim pauca notabimus de ſingulis.

De

De capacitate ſubjecti generatim.

SPectata ratione ſubjecti ſecundum ſe capacis ſoli fideles 47
poſſunt Matrimonii Sacramentum ſuſcipere: tum quod in Lege Evangelica fidelium duntaxat Matrimonia ex inſtitutione Chriſti dignitatem Sacramenti ſortita ſint; tum quod ſine Baptiſmo nulli ad Sacramenta reliqua aditus pateat. Inde, tametſi non baptizati perinde in nova ac veteri Lege vera ac firma in ratione contractus celebrent Matrimonia, eadem nihilominus Sacramenti proprie talis rationem non habent.

De ſubjecti capacitate ad valide ſuſcipiendum Matrimonii Sacramentum.

I. QUamvis baptizati ex ſe hujus Sacramenti ſint capaces, 48
non tamen omnes. Nimirum valere nequit Matrimonii Sacramentum, niſi valeat contractus ipse matrimonialis: ſicut igitur hic ab omnibus fidelibus valide ac legitime iniri nequit, ita nec Matrimonii Sacramentum ab omnibus poteſt ſuſcipi valide. Jam vero ea, quæ Matrimonium in ratione contractus reddunt irritum, ſunt *impedimenta Matrimonium dirimentia*, his verſibus expreſſa:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Amens, affinis, ſi clandeſtinus, & impos,
Si mulier ſit rapta, loco nec reddita tuto;
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Horum porro alia ſunt juris naturalis, ut: error perſonæ, amentia, perpetua impotentia &c. alia juris Eccleſiaſtici, e. g. votum, remotiores cognationis gradus, crimen, cultus diſparitas, clandeſtinitas, raptus &c. quorum omnium nomine

mine quid veniat, quidque ſpeciatim de ſingulis ſit obſervandum, copioſe docent paſſim Canoniſtæ & Theologi Morales: ad quos, cum mihi non vacet, Lectorem benevolum remittere neceſſe habeo. Id ſolum addo: fideles horum impedimentorum aliquo irretitos, uti capaces non eſſe Matrimonii valide contrahendi, ita nec hujus Sacramenti.

II. Quod iſthic Novatores offendit, ſunt impedimenta
49 juris Eccleſiaſtici. Negant nimirum Eccleſiæ eam poteſtatem, qua ſtatuere poſſit aliquid, quo irritum reddatur Matrimonium. Sed enim, cum error hic proficiſcatur ex eo, quod Matrimonio rationem Sacramenti ineſſe negent, nihilque in illo niſi humanum & civile agnoſcant, veritate hujus Sacramenti a nobis jam aſſerta, hic quoque error alter abunde confutatus eſt. Adde: poteſtatis hujus uſum & praxi Eccleſiæ perpetua, & definitione Concilii Lateranenſis IV. Can. 50. ac rurſum Tridentini Seſſ. 24. Can. 3. & 4. eſſe confirmatum. Nec propterea Eccleſia mutat materiam & formam a Chriſto inſtitutam; quo enim is conſtitui voluit Matrimonii Sacramentum, non aliud eſt, quam contractus matrimonialis legitimus ac civiliter validus: quin determinaverit in ſpecie infima, per quid præciſe valor hic habeatur. Jam vero Eccleſia legitimum contractum a ratione Sacramenti nunquam excludit: dum autem certas ſtatuit conditiones ac leges, quibus non ſervatis contractus matrimonialis, qui ante illas fuit legitimus, redditur irritus, id agit vi poteſtatis a Chriſto acceptæ, eoque ſpectantis, ut animarum bono ac Sacramenti reverentiæ opportunius conſulatur. Sicut autem Eccleſia poteſt impedimenta ſtatuere, ita in iiſdem gravi ex cauſa etiam diſpenſare: de quo vide Tridentini cit. ſeſſ. Cap. 5. & Can. 3.

De

De subjecti capacitate ad licitam ejusdem Sacramenti susceptionem.

Potest a fidelibus valide celebrari Matrimonii Sacramen- 50
tum, quin propterea istud fiat etiam licite. Etenim si contractus matrimonialis ineatur sine ullo dirimente impedimento, non potest non esse validus: illicitus erit nihilominus, si quod impedimentum eorum, quæ *impedientia* vel *simplicia* dicuntur, interveniat. Ac id genus quidem olim impedimenta numerabantur duodecim, ex quibus jam septem abolita sunt, scilicet: pœnitentia publica, incestus cum consanguinea uxoris in primo & secundo gradu, raptus alienæ sponsæ, uxoricidium, occisio Presbyteri, conjugium cum Moniali, & fraudulenta propriæ prolis ad Baptismum vel Confirmationem susceptio eo fine, ut alter conjux frustretur conjugali debito. His igitur abolitis quinque duntaxat deinde obtinuerunt juxta vulgatos illos versus:

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque Catechismus, sponsalia, jungito votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Ex his ipsis interim *Catechismi* impedimentum amplius in usu non est; quin per Tridentinum penitus sublatum videtur, ut cum Navarro, Coninck, Fagnano, & communiter aliis docet Sanchez L. 7. Disp. 10. hinc etiam laud. AA. monent, ut Parochus in Libro distinguat Patrinos Catechismi a Patrinis Baptismi. Atque ita nunc ex impedimentis simplicibus quatuor tantum sunt reliqua, scilicet:

Ecclesiæ vetitum, votum, sponsalia, tempus.

DISSERTATIO III.

DE EFFECTIBUS ET PROPRIETATIBUS SACRAMENTI MATRIMONII.

§. I.

Qui ſint Effectus Sacramenti Matrimonii?

Perſpecta Sacramenti Matrimonii natura, facile eſt de effectibus illius ſtatuere. Nimirum

51 I. Vel ideo, quod Matrimonium ſit verum novæ Legis Sacramentum, in Conjugibus rite diſpoſitis ex opere operato efficit ſanctificantem gratiam: non eam quidem primam, at ſecundam, ſeu augmentum illius, cum non mortuorum, ſed vivorum ſit Sacramentum. Certa hæc ſunt ex iis, quæ L. I. de Sacr. in Gen. Diſſ. III. §. I. diſputavimus: ac etiam ex Patrum doctrina hoc L. Diſſert. I. §. II. a nobis jam laudata. Tridentino certe adeo non erat ſatis iſtud declarare Seſſ. 24. in Doctr. de Sacr. Matr. ut etiam deinde Can. 1. ſub anathemate definiret.

52 II. Quod porro gratia hæc peculiare habet, eſt jus ei adnexum ad illas nominatim opportuno tempore conferendas actuales gratias, in quibus conjuges habeant remedium adverſus mala, quæ per culpam primorum Parentum in nuptias irrepſere: quibusque adjuventur ad implendas obligationes ſtatui conjugali proprias. Quorum ratio eſt: quia univerſim in Sacramentis confertur ſanctificans gratia ſimul cum jure in illa fundato ad auxilia tam neceſſaria,

quam

quam conducentia ad finem Sacramenti; id genus vero memoratæ auxiliantes gratiæ non modo conducentes, ſed & neceſſariæ ſunt ad finem Sacramenti Matrimonii, ut clarum eſt. Quæ jam autem nominatim ſint mala in Matrimonio cavenda: quæ item Conjugum obligationes, patebit ex §. ſequ. Nunc in rem noſtram referre ſuffecerit Tridentini doctrinam a Catechiſmo Rom. §. de Matr. Sacr. ita explicatam: *Sed gratiam quoque hoc Sacramento ſignificari & tribui, in quo maxime ratio Sacramenti ineſt, ea Synodi* (Trid. ſeſſ. 24. in doctr. de Sacr. Matr.) *verba declarant:* Gratiam vero, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indiſſolubilem unitatem confirmaret, Conjugesque ſanctificaret, ipſe Chriſtus venerabilium Sacramentorum inſtitutor atque perfector, ſua nobis paſſione promeruit. *Quare docendum eſt, hujus Sacramenti gratia effici, ut vir & uxor, mutua charitatis vinculo conjuncti, alter in alterius benevolentia conquieſcat, alienosque, & illicitos amores & concubitus non quærat: ſed in omnibus ſit honorabile connubium, & thorus immaculatus.* Hebr. 13.

§. II.

Quæ ſint proprietates Sacram. Matrimonii?

Poſt S. Auguſtinum & D. Thomam in 4. diſt. 31. communiter Theologi tria numerant Matrimonii Bona: fidem ſcilicet, Sacramentum, & prolem. Nomine *fidei* venit ea pars juſtitiæ, qua Conjuges facta ſibi mutuo in matrimoniali contractu promiſſa implent; nomine *Sacramenti* autem firmitas contractus conjugalis; per *prolem* demum intelligitur procreatio prolis, ejusque cura & inſtitutio. His jam vero ſpectatis haud difficulter quisque deduxerit Matri-

monii proprietates, quarum ego præcipuas ad tria capita revoco: unitatem videlicet, quæ ad fidem pertinet: indissolubilitatem, quæ est Sacramenti; peculiares deinde Conjugum obligationes, quæ ex omnibus Matrimonii Bonis ortum habent.

De unitate Matrimonii, eique opposita Polygamia.

Unitas Matrimoni consistit in eo, ut vir unam uxorem habeat, & vicissim; inde unitati huic adversatur polygamia. At quæ, inquies, illa? simultanea, an successiva? hæc de utraque habe.

53 I. Polygamia simultanea est, cum eodem tempore aut vir plures uxores, aut mulier plures habet viros. Atque hæc indubie pugnat cum unitate Matrimonii: estque hoc Legis gratiæ statu jure divino illicita simul & irrita ejusmodi conjunctio. Utrumque istud disertis verbis docet Tridentinum; *illicitam* quidem sess. 24. Can. 2. *irritam* autem ead. Sess. in Doctr. de Sacr. Matr. ubi ait: *hoc vinculo duos tantummodo copulari & conjungi Christus Dom. apertius docuit* &c. Tridentini doctrinam confirmat perpetua Ecclesiæ praxis & Traditio; nunquam enim in Ecclesia polygamia simultanea fuit permissa, imo semper ut jure divino illicita ac irrita est habita. Quam in rem faciunt Christi, Matrimonium ad primævam institutionem reducentis, & licentiam Patriarchis factam revocantis, verba illa Luc. 16. *omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur;* potiori igitur jure mœchatur, qui alteram ducit priore retenta. Item illa Matth. 19. *propter hoc dimittet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una;* in quæ verba Innocent. III. Cap. 8. de Divort. *non dixit tres vel plures, sed duo: nec dixit, adhærebit uxoribus, sed uxori.* At

At ſenior Valentinianus Imper. (inquies) duas habuit uxores: imo & aliis conjugii hujusmodi veniam fecit publico edicto? Quod ſi iſtud ita ſe habeat, indubitanter affirmo, tam factum quam edictum Valentiniani iniquum fuiſſe: certe autem ſuffragio Eccleſiæ nunquam eſt approbatum. Cæterum tota hæc narratio dubiæ eſt fidei: cum apud neminem ſcriptorum, præter Socratem, reperiatur.

II. Ac hæc quidem in Lege Evangelica in dubium 54
vocari nequeunt; controvertitur autem: num, & quo jure univerſim pro quovis ſtatu illicita ſit nominatim ſimultanea uxorum pluralitas? Mihi videtur cum iis ſentiendum, qui illam dicunt univerſim illicitam, ac legi naturali repugnare citra peculiarem Dei diſpenſationem. Etenim Adamus ex ſolo inſtinctu a Deo naturæ auctore ſibi indito (nondum quippe tum ulla extabat lex Dei poſitiva prohibens) Gen. 2. dixit: *relinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una;* certe autem duorum in una carne conjunctio ſimultaneam uxorum pluralitatem excludit. Inde Hieronymus in C. 19. Matth. ait: Chriſtum ibid. V. 6. & 8. ad confirmandam in Matrimonio uxoris unitatem, *adducere in teſtimonium S. Scripturam & naturalem legem.* Quid quod pluralitas hæc vel ideo lege naturali ſit prohibita, quod ſecundariis ſaltem Matrimonii finibus adverſetur. Nimirum 1*mo*, vir & uxor ex contractu inito quoad thorum ſunt pares: quia teſte Apoſtolo 1. Cor. 7. ſicut corpus uxoris eſt in poteſtate viri, ita pariter corpus viri eſt in poteſtate uxoris; tam uxori proinde quam viro infertur injuria, cum alterutrius corpus alteri traditur, id quod fieret in hoc caſu. 2*do*, inter alios Matrimonii fines eſt animorum conjunctio, & ordinata prolis cura ac educatio: quibus quanto impedimento eſſe poſſit plurium uxorum ſocietas, pronum eſt cogitare.

Con-

Consulto autem est additum, *citra Dei dispensationem*: nam Patriarchæ veteres & alii in Lege Mosaica post diluvium, Deo dispensante, pluribus simul veris uxoribus fuerunt copulati, ut Abraham Gen. 16. Jacob Gen. 29. & 30. pluresque alii. *Tunc enim* (Chrysostomus ait Hom. 56. in C. 30. Gen.) *quia principia erant, permissum fuit, cum duabus, vel pluribus uxoribus misceri, ut genus humanum propagaretur.* Et Augustin. L. 3. de doctr. Christ. C. 12. *sufficiendæ prolis causa, erat uxorum plurium simul uni viro habendarum inculpabilis consuetudo.* In eumdem sensum loquuntur Ambrosius L. 1. de Abraham C. 4. Hieronymus in Ep. ad Oceanum, & Patres alii. Dispensationem porro hanc per Dei revelationem innotuisse, communis est opinio; at num revelatio hæc facta sit speciatim singulis, an Abrahamo soli, ab eoque dein aliis tradita? controversum est, nec certo definiri potest. Illud in hac sententia pro indubitato habendum: uxorum pluralitatem, accedente divina concessione, non repugnare juri naturali, hocque proinde conditionatum duntaxat, non absolutum esse. Nimirum, facta hac dispensatione, Deus suppeditat media, quibus ex id genus polygamia provenientibus malis occurratur: simulque suprema sua potestate jus, quod uxor una ex contractu matrimoniali in corpus mariti haberet exclusive, in plures dividit.

Neque pugnat adversus hanc opinionem, quod Gen. 25. & aliis Scripturæ locis mulieres, uxori primæ a Patriarchis adjunctæ, vocentur concubinæ: quodque virorum pluralitas ex communi Doctorum sensu ita sit illicita, ut nec Deus in illa dispensare possit. Nam (quod ad primum attinet) eædem mulieres in Scriptura dicuntur etiam uxores, ut Gen. 16. ac etiam C. 25. Quæ duo ut concilientur invicem, Scripturæ interpretes observant: apud Hebræos duo fuisse

fuiſſe uxorum genera. Aliquæ non tantum prolis cauſa, ſed &'ad bonorum communionem & rem familiarem adminiſtrandam aſſumebantur: atque harum proles adibant Patris hæreditatem. Aliæ, quæ modo uxores, modo concubinæ in Scriptura vocantur, aſſumebantur ſolum ad procreandos liberos, quibus tamen jus hæreditatis non competebat. Omnes igitur erant uxores veræ quoad vinculum: quamvis honoris & poteſtatis gradu diverſæ. A virorum autem pluralitate non recte argui, inde patet: quod ea repugnet fini primario Matrimonii, hoc eſt, prolis generationi, quæ virorum plurium commixtione communiter impeditur; ac tametſi quandoque non impediatur, incertum nihilominus reddit patrem, quod prolis educationi adverſatur. Vide plura apud Bellarminum L. de Sacr. Matr. C. 10.|& 11. ubi diſputat contra Lutherum, polygamiam uxorum etiam in Lege Evang. admittentem.

III. His de ſimultanea polygamia præmiſſis, dicendum 55
eſt pariter de ea, quæ ſucceſſiva dicitur, quamque Montaniſtæ & Novatiani damnarunt. Eſt autem polygamia ſucceſſiva, cum, mortuo conjuge uno, alter ad ſecundas vel ulteriores tranſit nuptias. Hanc jam vero eſſe licitam, nec ullo jure naturali aut divino prohibitam, Catholicis omnibus certum eſt 1*mo* ex Apoſtolo 1. Cor. 7. dicente: *mulier alligata eſt legi quanto tempore vir ejus vivit; quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt, cui vult nubat, tantum in Domino.* Id quod perinde de viro intelligendum eſt, cum par ſit ratio pro utroque conjuge. Certum eſt 2*do* ex Traditione, cujus teſtes ſunt Baſilius Ep. ad Amphiloch. Can. 41. Ambroſius L. de Viduis, Auguſtinus L. de bono viduit. Epiphan. Hær. 59. & plures alii. Unum his omnibus antiquiorem libeat audire Clementem Alex. L. 3. Strom. *ſi cui Apoſtolus*, inquit, *propter intemperantiam & uſtionem ex venia ſecundum concedit*

Matrimonium, hic quidem non peccat ex testamento: non est enim lege prohibitus. Eamdem Traditionem confirmat Concil. Nicænum I. Can. 8. Laodicænum Can. 1. & Florent. in Decr. pro Arm. ubi, post laudata Apostoli verba, diserte declaratur, *non solum secundas, sed tertias, & quartas, atque ulteriores* Nuptias, *si aliquod canonicum impedimentum non obstat, licite contrahi posse*; quod ipsum nominatim jam antea dixerat Hieronymus in Apolog. ad Pammach.

Fatendum interim, Ecclesiam semper optasse, ut fideles à secundis nuptiis abstinerent; non quidem quod illas secundum se sumptas damnaret: verum quod essent incontinentiæ signum, eoque majus, quo sæpius repeterentur. Inde in Ecclesia Græca bigami subjiciebantur Pœnitentiæ publicæ: compluresque Patres cum Basilio & Gregorio Naz. durioribus verbis quandoque Secundas nuptias compellabant *castigatam fornicationem, iniquitatem &c.* Quibus omnibus non damnabantur, nec puniebantur ipsæ nuptiæ: sed incontinentia, quæ ex repetitis nuptiis præsumitur.

De Indissolubilitate Matrimonii.

INdissolubilitas in Matrimonio spectari potest vel quoad vinculum, vel quoad thorum & habitationem tantum. Utraque diffusum est in Jure Canonico, ac etiam Theologia Morali & Polemica argumentum, cujus præcipua hæc sunt capita.

56 I. Matrimonii quoad vinculum indissolubilitas est juris divini, tam positivi quam naturalis, ita ut sine concessione divina solvi nunquam potuerit. Et jus quidem positivum eruitur ex Christi ad Pharisæos responso Matth. 19. ubi, post recitata ex Genesi verba, subjungit: *quod ergo Deus conjunxit*

junxit, homo non separet. Jus vero naturale colligitur tum ex eo, quod vinculi matrimonialis solubilitas adversetur fini Matrimonii, animorum videlicet conjunctioni, convenienti prolis generationi, ejusdem educationi &c. tum quod Adamus, nulla lege positiva duce, vinculum hoc indissolubile esse divini Spiritus instinctu (ut Trid. sess. 24. notat) pronuntiaverit, cum dixit Gen. 2. *quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.*

Dictum est, *sine concessione divina:* lex quippe hæc tam positiva quam naturalis non est absoluta, sed conditionata tantum, *si nimirum Deus non dispensaverit;* id quod asserendi argumentum suggerit Lex utriusque Testamenti.

In Lege nimirum Mosaica per libellum repudii solvebatur Matrimonii vinculum, ex dispensatione divina, ut indicant illa Deuter. 24. verba: *scribet libellum repudii, - - & dimittet eam de domo sua; cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque - - dederit ei libellum repudii, - - vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem.* Tametsi autem libellus repudii Judæis permissus fuerit ad duritiam cordis, hæcque illos a peccato non excusaverit: permissio nihilominus, occasione hujus duritiæ a Deo facta, sufficiens erat ad validam, imo & licitam Matrimonii solutionem, ut docet S. Th. in suppl. qu. 67. Art. 3. ad 4. Inde, cum Deut. 24. V. 4. mulier repudiata, si alteri nupserit, *polluta & abominabilis coram Domino* dicitur, sensus est esse pollutam & abominabilem in ordine ad id, ut a secundo marito repudiata redeat ad primum, id quod deducitur ex Versibus 2. 3. & 4. invicem collatis; nam si ad primum redeat, videtur ad tempus duntaxat dimissa, & quasi commodata viro alteri, quod est abominabile.

Quod vero ad Legem Evangelicam attinet, in hac quoque certum est *1mo*, infidelium Matrimonium, etiam consummatum, dissolvi posse ex Dei dispensatione, in gratiam Religionis Christianæ concessa: ita videlicet, ut conjux ad fidem conversus liberetur a vinculo priore, possitque contrahere cum fideli, si nimirum prior infidelis ei aut penitus cohabitare nolit, aut non nisi cum Creatoris contumelia, vel eum pertrahendo ad peccatum. Habetur istud ex C. *quanto* de Divortiis, Declaratione videlicet Innocentii III. eaque fundata in Apostoli verbis 1 Cor. 7. *si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi.* Certum item est *2do*, etiam fidelium Matrimonium non consummatum dissolvi posse, ac re ipsa dissolvi per solemnem professionem, in Religione approbata factam, ut constat ex C. *verum*, & C. *Ex publico*, de Convers. Conjug. ac etiam ex definitione Tridentini sess. 24. Can. 6. Imo quidam cum Navarro docent, hujusmodi Matrimonium ex aliis quoque gravibus causis dissolvere posse Pontificem.

Ex quibus, ut vides, aperte conficitur: etiam in Lege Evang. per dispensationem divinam solvi posse Matrimonii vinculum. At illud, quod Græci & Novatores docent, solutionem hanc nimirum fieri propter adulterium, omnino erroneum est, ut constat ex Florent. in Decr. pro Arm. & Trident. sess. 24. Can. 7. Etenim in scriptura generatim & absolute dicitur: *omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur; & qui dimissam a viro ducit, mœchatur.* Lucæ 16. Idem legitur Mar. 10. item 1 Cor. 7. V. 10. 11. & 39. Quibus adde consentientem Patrum doctrinam apud Bellarminum L. de Sacr. Matr. ubi argumentum istud C. 16. & 17. copiose pertractat. Hoc ipsum porro potiori jure intelligi oportet de Matrimonio fidelium consummato.

II. In-

II. Indiſſolubilitas Matrimonii, quoad thorum tantum & cohabitationem, minoris eſt rigoris. Quamvis enim hæc quoque ſit propria Matrimonio: aliquando nihilominus Conjuges Chriſtiani, ſalvo Matrimonii vinculo, licite poſſunt ſeparari quoad thorum & cohabitationem, ut conſtat ex communi Eccleſiæ praxi, & pluribus Capp. Tit. de divortiis. Cauſæ autem, ex quibus ſeparatio hæc fieri poteſt, ſunt e. g. ſi communi conſenſu Conjuges conſentiant ad vitam perfectiorem amplectendam; ob adulterium unius partis, imo & alia crimina, quæ vergunt in grave detrimentum ſpirituale aut corporale alterius conjugis: uti eſſet ſævitia, furor, apoſtaſia, lepra, vel alius morbus contagioſus &c. Conſule de his Bellarminum in paulo ante cit. L. Cap. 14. cumprimis vero Canoniſtas in Tit. de Divort. commentantes. 57

De obligatione conjugum.

EX tribus jam memoratis Matrimonii Bonis triplex præcipua enaſcitur obligatio. Et quidem

I. Ex *Fidei* bono obligantur Conjuges ad reddendum ſibi mutuo debitum conjugale Apoſtolo ipſo monente 1. Cor. 7. *uxori vir debitum reddat, ſimiliter & autem uxor viro*; & rurſum, *nolite fraudare invicem*. Nec dubium eſt contra juſtitiam graviter peccari, ſi uno conjugum petente alter ſine juſta cauſa debitum neget; quid enim iſtud? niſi fidem in contractu datam infringere, alterum incontinentiæ periculo exponere, occaſionem odio & diſſenſionibus præbere &c. Dixi *ſine juſta cauſa*; non raro quippe denegatio debiti excuſatur a peccato gravi, imo etiam levi: ut ſi remiſſius petatur & admittatur excuſatio: ſi crebro admodum exigatur, aut loco indebito, vel tempore prorſus importuno: excuſat item notabilis morbus, periculum contagionis &c. 58

59 II. Ex *Sacramenti* Bono obligantur, ut uxor quidem per subjectionem simul & charitatem conjuncta sit viro: hicque illam rursum sincera dilectione complectatur. Matrimonium quippe, ut Sacramentum, est signum unionis Christi cum Ecclesia, confertque Conjugibus gratiam, qua divinum hoc exemplar imitentur. Inde Apostolus ad Ephes. 5. ait: *sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus;* cujus rationem jam ante præmisit, cum diceret: *quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ.* Et mox: *viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam &c.* Profecto autem, si Conjuges aliena sint ab invicem voluntate, & mutuis animorum scindantur dissidiis, hunc charitatis, qua Christus & Ecclesia conjunguntur, nexum non referunt: quodque hinc consequitur, quantum est per ipsos, Matrimonio rationem ac dignitatem Sacramenti adimunt.

60 III. Ex *Prolis* Bono demum obligantur, ut conjugali carnis commixtione prolis generationem intendant: certe ob solam voluptatem opus conjugii exercitum nunquam caret culpa, saltem veniali, ut constat ex Prop. 9. ab Innocentio XI. An. 1679. damnata. Præclare in hanc rem Augustinus L. de Bono Conjug. C. 10. *Concubitus*, inquit, *necessarius causa generandi, inculpabilis, & solus ipse nuptialis est; ille autem, qui ultra istam necessitatem progreditur, jam non rationi, sed libidini obsequitur. Et hunc tamen non exigere, sed reddere Conjugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad personam pertinet conjugalem: si autem ambo tali concupiscentiæ subiguntur, rem faciunt non plane nuptiarum.* Sicut autem Conjuges in opere Matrimonii generationem prolis spectare debent: ita pariter deinde bonum prolis procurare necesse habent. Unde graviter peccant, si conceptionem prolis impediant, aut conceptam extinguant, vel natam abjiciant,

jiciant, vel denique incuria sua aut prava educatione ejus mores corrumpant. *Qui hoc faciunt* (audiatur rursum Augustin. cit. L. C. 15.) *quamvis vocentur conjuges, non sunt*, in effectu scilicet, *nec ullam nuptiarum retinent veritatem: sed honestum nomen velandæ turpitudini obtendunt. Produntur autem, quando eousque progrediuntur, ut exponant filios, qui nascuntur invitis; oderunt enim habere vel nutrire, quos gignere metuebant. Itaque cum in suos sævit, quos nolens genuit, tenebrosa iniquitas, clara iniquitate in lucem promitur, & occulta turpitudo manifesta crudelitate convincitur.*

DISSERTATIO IV.

DE RITIBUS AD MATRIMONII SACRAMENTUM PERTINENTIBUS.

§. I.

Quæ dispositionis instar ex ritu Ecclesiæ præmittantur Sacramento Matrimonii?

Solemnes cæremoniæ, quæ juxta Ecclesiæ disciplinam, celebrationem Sacram. Matrimonii præcedunt, sunt sponsalia, & publica sponsorum denuntiatio; de his igitur, eorumque fine, ac ritu commemoranda sunt præcipua.

De natura & fine sponsalium.

I. Sponsalia a *spondendo* nomen habent: suntque mutua 61
sponsio, seu promissio Matrimonii futuri, per quod differunt a Matrimonio de præsenti. Possunt autem contrahi vel absolute

lute per ſimplicem promiſſionem: vel ſub conditione contractui adjecta. Conſtantem illorum in Eccleſia eſſe uſum, teſtantur Canones in Decr. Gratiani & LL. Decretalium repetiti, iidemque ex vetuſtiſſimis perinde ac poſterioris æri Patribus & Conciliis deſumpti. Horum interim cum nullus ſit, qui communi lege abſolutam adſtruat neceſſitatem Sponſalium, indubium eſt, iis etiam non præmiſſis ratum ac firmum eſſe Matrimonium. Laudabilis nihilominus ac pius eſt Sponſalium uſus ex pluribus cauſis. *Inſtitutum eſt* (inquit Auguſtin. L. 8. Conf. C. 3.) *ut jam pactæ ſponſæ non tradantur ſtatim, ne vilem habeat Maritus datam, quam non ſuſpiravit ſponſus dilatam.* At præcipua cauſa eſt: ut fideles rite diſpoſiti accedant ad magnum Matrimonii Sacramentum. Sunt quippe Sponſalia juxta D. Thomam veluti quoddam ſtatus conjugalis tyrocinium, in quo Sponſis elaborandum eſt: ut Chriſtianorum conjugum condiſcant officia, ſeque ad ea ſubinde præſtanda, & ad percipiendam hujus Sacramenti fructum comparent.

62 II. Attenta jam vero ſponſalium natura, ultro patet, gravem ex illis oriri obligationem contrahendi Matrimonium, promiſſio quippe ſponſalitia eſt in re gravi: in tali autem univerſim abſque piaculo fas non eſt recedere a legitimis promiſſis, dictante id ipſum, imo exigente jure naturali. Atque hæc ſententia poſt D. Thomam in 4. diſt. 27. Art. 1. ad 2. eſt communis apud Theologos. Non deſunt interim complures cauſæ, ex quibus obligatio hæc poteſt deſinere, & Sponſalia diſſolvi, ut conſtat ex L. 4. Tit. de Sponſalibus, præſertim Capp. *Præterea. Ex literis. Requiſivit.* & pluribus aliis. Id genus cauſæ ſunt: mutuus ſponſorum in diſſolutionem conſenſus; defectus dotis promiſſæ; ſubſequens Matrimonium cum alio contractum; for-

nicatio

nicatio unius post sponsalia; superveniens notabilis mutatio, ut est gravis morbus, infamia &c.

De ritu Sponsalium.

I. Si natura contractus sponsalitii spectetur, ratus ac fir- 63
mus est, modo mutua inter sponsos intercedat promissio, eaque signo aliquo exprimatur; hinc ad sponsalium valorem nullo jure communi requiritur peculiaris aliqua solemnitas ac cæremonia. Non jure veteri: secundum hoc enim vel Matrimonia clam & sine ullo solemni ritu celebrata fuisse rata ac vera constat ex Tridentino; quid ni igitur etiam sponsalia, quæ sunt accessorium quid ad Matrimonium? Non etiam jure novo: nam idem Tridentinum circa sponsalium celebrationem nihil peculiare constituit; valent igitur etiamnum perinde ac olim, tametsi clam & absque solemni cæremonia ineantur. Atque in hoc consententia sunt Theologorum non minus quam Canonistarum suffragia.

II. Ex more nihilominus tam veteri quam hodierno, 64
eoque judicio Ecclesiæ approbato, communiter ac regulariter Sponsalia celebrantur publico & solemni ritu: qui ipse attamen pro temporum ac regionum varietate est varius. Ita, usu apud plurimos recepto, sponsalitia promissio peragitur coram Parentibus & cognatis sponsorum: in quibusdam vero Diœcesibus, præsertim Galliæ, etiam Parochi præsentia requiritur. Certe juxta Conc. Rhemense An. 1583. sponsalia fieri debent *non nisi coram Parœco, idque in Ecclesia, & non alibi, nisi de licentia Ordinarii, quatuor vel tribus testibus præsentibus.* Idem jam ante præscripsit Synodus Coloniensis An. 1280. Cap. 10. Synodus autem Wirgomiensis An. 1240. præterea addit, ut *jejuna saliva*

fiant. In plurimis etiam locis porriguntur manus, traduntur annuli, offeruntur munera *jocalia*, adjicitur *arrha*, quin & conficiuntur *tabulæ matrimoniales* pacta futuri Matrimonii continentes. Quæ omnia in testimonium sponsionis & futuri Matrimonii securitatem fieri, res ipsa docet.

65 III. Ritus porro hujusmodi antiquos esse, declarant veterum monumenta. Annuli sponsalitii meminit Tertullianus L. de Cultu fœmin. ubi eum *pronubum* vocat: eumdem commemorat Gregorius Turon. in L. de Vitis Patrum C. 20. & Isidorus L. 20. Ethymolog. ubi ait, *fœminas non fuisse usas annulis, nisi quos Virgini sponsus miserat.* Arrharum speciem referebant nummi, quos in desponsatione veteres offerebant; quorumque meminit Fredegarius C. 18. in sponsalibus Clodovei Reg. Franc. cum Chlotilde. Notat vero isthic Cl. Martene de ant. Eccl. Rit. L. 1. C. 9. Art. 3. nummos hos non fuisse communes, sed in usum hunc peculiariter cusos; quorum Turonensis unus ab eo visus, & cit. Art. repræsentatus, in una facie refert duo lilia, in altera signum Crucis cum epigraphe: *Pour epouser.* Tabularum Matrimonialium sæpe mentionem injicit Augustinus, unaque ex iis valide probat, Matrimonium ineundum esse non explendæ libidinis, sed liberorum causa. *Ut non erubescant,* inquit Serm. 51. *parentes cum dant* filias, *recitantur tabulæ: ut sint soceri, non lenones. Quid ergo de tabulis recitatur? Liberorum procreandorum causa &c.*

De publica Sponsalium denunciatione.

66 I. Antequam a contractis sponsalibus procedatur ad Matrimonium in facie Ecclesiæ celebrandum, præmittuntur denunciationes publicæ, quæ in Jure vocantur *Banna.* De his nominatim agitur Cap. fin. de Clandest. Despons.

item

item in Tridentino seff. 24. de Reform. Matr. ubi Cap. 1. *Lateranensis Concilii, sub Innocentio III. celebrati, vestigiis inhærendo præcipit, ut in posterum, antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuncietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum &c.* Quis autem harum denunciationum sit finis, ex sequentibus eod. Cap. verbis colligitur: ut nimirum impedimenta, si quæ sint inter futuros conjuges, certius innotescant, impedianturque Matrimonia illegitima. Nec dubitari potest de antiquitate hujus in Ecclesia disciplinæ, ut quæ originem ducere videtur a primis Christianis, quibus (ut S. Ignatius M. indicat in Ep. ad Polycarp.) moris erat Episcopos & Sacerdotes consulere de ineundo Matrimonio, ne quid minus caute in re tanti momenti agerent. Atque hoc ipsum esse illud complures cum Albaspinæo existimant, quod Tertullian. L. 2. ad Uxorem C. 9. dicat, Ecclesiam *conciliare* Matrimonium. Utut interim sit istud, denunciationis Sponsalitiæ antiquitas satis superque probatur vel ex Conc. Lateranensi IV. An. 1215. quod, cum C. 51. usum hunc generali lege confirmet, indicat utique non esse novum, sed jam antea in quibusdam saltem Ecclesiis observatum.

II. Quod si porro de hujus denunciationis necessitate 67
quæras: certum est non esse necessariam ad valorem & substantiam Sacramenti, cum juxta Trident. cit. Cap. ex causa legitima possit celebrari Matrimonium sine ulla denunciatione prævia. Declaravit equidem Concilium irrita esse Matrimonia clandestina; at hoc nomine veniunt solum illa, quæ sine Parocho & testibus celebrantur. Necessitas attamen præcepti in dubium vocari nequit propter clara verba loco supra cit. Concilii Lateran. & Trident. Ex quo postremo simul constat, facultatem in publicis his denunciationi-

 bus

bus dispensandi ad Episcopos pertinere; quamvis autem ibid. causam dispensationis concedendæ non aliam adferat, quam *si probabilis sit suspicio Matrimonium malitiose impediendum:* quia tamen simul Episcopi *prudentiæ & judicio relinquit* rem totam, utique nec alias justas & graves causas excludit.

§. II.

Qui Ritus in solemni ministratione Sacram. Matrimonii juxta Ecclesiæ disciplinam sint aliquando observati, aut nunc observandi?

NE a proposita, & hactenus (quoad licuit) a nobis observata Ritus Sacramentales describendi ratione recedamus: isthic quoque tam veteris quam modernæ disciplinæ memores erimus, adjecturi etiam, quæ Græcis sunt peculiaria. Dicemus autem primum de tempore & loco celebrandi Matrimonii: deinde de manuum conjunctione, annulo, & benedictione nuptiali: tum de flammeis & sertis: demum de Communione nuptorum, pane item, poculo, & thalamo nuptiali.

De tempore & loco Matrimonii solemniter celebrandi.

68 I. Cum quædam tempora peculiariter destinata sint pœnitentiæ & fidelium devotioni, cum quibus carnale commercium, & festiva hilaria, quæ nuptias fere comitari solent, componi nequeunt: sapienter provisum est ab Ecclesia, ut hujusmodi temporibus non celebrentur Matrimonia. Nec tamen circa hoc *Ecclesiæ vetitum* eadem semper fuit disciplina. Concil. Laodicænum Sec. IV. habitum Can. 52. interdicit Nuptias tempore Quadragesimæ: quod ipsum Nico-

Nicolaus I. ad Confulta Bulgar. C. 48. confirmat. At Concil. Ilerdenfe fub Symmacho Papa fub init. Sec. VI. interdictum hoc (ut legere eft apud Gratian. Cau. 33. qu. 4.) fub pœna feparationis Conjugum extendit *a feptuagefima ufque ad octavas Pafchæ*, item *tres hebdomades ante feftivitatem S. Joannis Bapt. & ab adventu Domini ufque poft Epiphaniam.* His temporibus præterea in Concil. Nemaufenfi An. 1284. & Senonenfi An. 1485. adjiciuntur *Dies Rogationum: quia tunc* (ut poftremum Art. 3. C. 5. habet) *omnes magis, quam aliis temporibus, debent devotioni & orationi intendere, a quibus tamen plurimum retrahit carnale commercium.* Ex eadem caufa Conc. Aquisgranenfe. An. 836. Can. 18. vetuit diebus Dominicis nuptias *pro reverentia tantæ folemnitatis* celebrari: quod ipfum jam antea Gregorius III. in fuis Judiciis Cap. 30. decreverat, pœnitentia etiam unius vel trium dierum contra facientibus impofita. Demum (tefte Mabillonio in fuo Itinere Germ.) in quibusdam Germaniæ locis prohibentur Nuptiæ totis triginta diebus poft Feftum Affumption. B. V. M. Nunc quod ex Decreto Tridentini Seff. 24. de Reform. Matr. Cap. 10. lege univerfali obtinet, *ab Adventu Domini N. J. C. ufque in diem Epiphaniæ, & a Feria IV. Cinerum ufque in octavam Pafchatis inclufive, antiquæ folemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obfervandæ funt: in aliis vero temporibus nuptiæ folemniter celebrari permittuntur.* Hæc eadem in Rituali Rom. Pauli V. Tit. de Sacr. Matr. recenfentur tempora, quibus prohibitæ funt Nuptiarum folemnitates; ubi fimul additur: *Matrimonium autem* (intellige, feclufa folemnitate benedictionis, hilarium &c.) *omni tempore contrahi poteft.*

II. Sed nec locus celebrandi Matrimonii arbitrarius eft. 69
Certe jam a veteri in pluribus Diœcefibus fancitum novimus, ut id pro reverentia tam Sacramenti, quam benedictionis

nuptialis in Eccleſia fieret ; ita apud Martene ſæpe citato L. & C. Ar. 2. legitur in antiquis ſtatutis Eccleſiæ Lingonenſis, Maclovienſis, & Mediolanenſis. Quin apud eundem in privatis domibus & Oratoriis ſub anathematis interminatione iniri Matrimonium vetant ſtatuta ſynodalia Guillelmi Ep. Andegav. & Concilium Senonenſe ſub Triſtando Archi-ep. Idem nihilominus ibid. refert, aliquando ſolemnem nuptiarum benedictionem in domo nubentium ad thalamum celebratam, cujus ritus exemplum profert ex Actis S. Amatoris Ep. Antiſſiodor. apud Bollandiſtas ad 1. Maji. Ad hodiernam quod attinet diſciplinam, tam ex ſenſu Tridentini Seſſ. 24. Cap. 1. inſinuato, quam ex praxi communiter recepta, ac etiam in Pauli V. Rituali Rom. paſſimque aliis præſcripta in Templo celebrari oportet Matrimonia. Ritualis Rom. verba ſunt : *Matrimonium in Eccleſia maxime celebrari debet ; ſed ſi domi celebratum fuerit præſente Parocho & teſtibus, ſponſi veniant ad Eccleſiam benedictionem accepturi.* Eadem eſt Græcorum diſciplina : niſi quod apud eos ſponſi primum pro foribus conſiſtant, nec niſi acceptis a Sacerdote accenſis cereis ab eodem in templum inducantur, ut videre eſt in Euchologio a laud. Martene relato. Hæc nihilominus non officiunt, quo minus ex indulto Eccleſiæ aliquando Matrimonia ſolemniter celebrentur in privatis domibus vel Oratoriis : quod in Nuptiis Principum fieri experimur.

De manuum conjunctione, annulo, & benedictione nuptiali.

70 I. POſt conſenſum matrimonialem præſtitum ſponſi jungunt manus in teſtimonium fœderis initi, ejusque confirmationem : uti iſtud in Rituali Romano, paſſimque aliis præſcribitur. Ritus hujus meminere Tertullianus L. de veland. Virgin. C. 11. & Gregorius Nazianz. Ep. 57. ad

ad Anyſium, ac etiam multa veterum Ritualia apud Martene: unde moris hujus antiquitatem colligas. Idem nihilominus non legitur in Græcorum Euchologio a Martene cit. Ar. 2. relato. In quibusdam præterea Eccleſiis conjunctas ſponſorum manus ſtola circumvolvit Sacerdos, quo ſignificet, conjunctionem eorum ab Eccleſia acceptari, & ratam haberi.

II. Alterum, quod a contracto Matrimonio, ac etiam 71
per Sacerdotis verba confirmato, Latinorum Ritualia præſcribunt, eſt benedictio annuli: quem dein ſponſus digito annulari ſiniſtræ manus ſponſæ imponit, Sacerdote dicente, *In nomine Patris* &c. vel, *Confirma hoc Deus* &c. Cæremoniæ hujus antiquitatem rurſus docent vetuſtiſſima Ritualia apud Martene; ejusdem etiam meminit S. Iſidorus L. 2. de divin. Offic. C. 19. ubi ſimul ſignificationem ejus explicans, *illud vero*, inquit, *quod annulus a ſponſo ſponſæ datur, fit hoc vel propter mutuæ fidei ſignum: vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur.* Apud Græcos (teſte Allatio L. 3. de conſenſ. Occid. & Orient. Eccl. C. 16.) *Sacerdos ex altari duos annulos accipit, unum aureum, argenteum alterum; & aureum viro, argenteum mulieri, recitans verba ad hoc præſcripta, exhibet: annulos poſtea immutat Compater, ſive Fidejuſſor, Sacerdote orante* &c. Apud Martene in Græcorum Enchologio præterea additur: *crucem ſuper ſponſorum capita a Sacerdote faciendam annulis;* at benedictionis annuli nulla fit mentio.

III. Benedictio nuptiarum, ut res ipſa indicat, eum in
finem ordinatur, ut Neo-nuptis a Deo impetrentur gratiæ ſtatui 72
conjugali opportunæ. Uſum porro ejus jam in primæva Eccleſia fuiſſe teſtimonio ſunt Tertullianus L. 2. ad Uxorem, Ambroſius Ep. ad Vigilium, Siricius in Ep. ad Himerium, & plures alii. Certe Hormisdas ſub init. Sec. VI. Papa adjecto etiam præcepto mo-

rem

rem hunc confirmavit, ut legitur Cau. 33. qu. 5. ubi, *nullus fidelis*, inquit, *cujuscumque conditionis sit*, *occulte nuptias faciat*, *sed benedictione accepta a Sacerdote publice nubat in Domino.* Est autem ex veteri ac hodierno Ecclesiæ ritu duplex Nuptiarum benedictio. Prima fit, dum sponsis mutuo consensu contrahentibus Sacerdos dicit, *in nomine Patris* &c. vel *ego vos conjungo* &c. aut recitat Orationem quæ post annuli traditionem in Ritualibus præscribitur. Altera benedictio est, quæ conferri solet inter Missarum solemnia; de hoc Rituale Rom. ita habet: *si benedicendæ sint nuptiæ*, *Parochus Missam pro sponso & sponsa*, *ut in Missali Romano*, *celebret*, *servatis omnibus*, *quæ ibi præscribuntur.* Dicitur, *si benedicendæ sint:* nam ex more in plurimis Ecclesiis recepto secundis & ulterioribus nuptiis hæc altera benedictio non impenditur ex causis mox referendis. Fuisse autem istud jam antiquitus observatum, constat ex S. Cæsario Sec. VI. Patre, qui Serm. 289. in Append. novæ edit. S. Augustini hæc scribit: *qui uxorem optat accipere*, *sicut illam virginem invenire desiderat*, *ita ipse usque ad nuptias virgo sit*; *quia si non fuerit*, *benedictionem accipere non merebitur.* Causam hujus moris insinuat Durandus in Rationali L. 1. C. 9. ubi, *vir & mulier*, inquit, *ad digamiam transiens*, *matrimonium contrahendo non debet a Presbyteris benedici: quia*, *cum alia vice benedicti sint*, *eorum benedictio iterari non debet. Non ergo debent nuptiæ benedici*, *nisi ubi virgo cum virgine contrahit.* Et infra: *quod quidem ad exhortationem continentiæ noscitur introductum;* quibus verbis insinuat, benedictionem hanc negari propter incontinentiæ speciem, quam præ se ferunt secundæ & ulteriores nuptiæ. Diversa ab his causa redditur in Rituali Leodiensi, cujus verba recitavimus supra N. 40. V. *4to* Rituale &c.

Quamvis autem morem hunc Concil. Lateranense III. sub Alexandro III. habitum confirmaverit, ut legitur Cap. 1.

de

de ſecundis Nuptiis: ac de eodem obſervando Rit. Rom. Pauli V. ſpeciatim Parochum moneat: ſicubi tamen oppoſitum etiamnum in uſu eſt, licebit cuique Eccleſiæ ſuæ diſciplinam ſequi.

De flammeis & ſertis.

I. Olim ſub Sacerdotali nuptiarum benedictione in ſignum 73 virginei pudoris velum purpureum (quod propter flammæ colorem *flammeum nuptiale* dictum eſt) ſuper Neo-nuptos expandebatur. Ritus hic præſcribitur in compluribus antiquis Ritualibus apud Martene: ejusdemque, præter Tertullianum & Siricium Papam, ſæpius meminit Ambroſius. Ita L. de Virginit. C. 15. *utinam poſſem*, inquit, *revocare nupturas! utinam poſſem flammeum nuptiale pio integritatis mutare velamine.* Et L. Exhort. ad Virg. C. 6. a nubibus putat duci nomen nubentium, eo quod obnubantur *velamine:* quo ipſo *conjugium ſanctificari* demum Ep. 19. aſſerit. Porro Bigami, qui nuptiali benedictione carebant, nec conſequenter velabantur, tamquam qui pudorem omnem, cujus purpureum velum erat indicium, abjeciſſent, ut notat Martene. Hodie mos velandi nuptos penitus exolevit.

II. Præter ritum velaminis coronatio quoque Neo-nuptorum antiquis in uſu fuit. Teſtis hujus eſt Tertullianus L. de Corona Militis C. 13. Gregorius Turon. L. 1. C. 42. Nicolaus Papa in Reſp. ad Conſ. Bulg. 6. 3. & alii complures. Quid interim ritu hoc veteres potiſſimum deſignari voluerint, quod certi dicam, non reperio; ſi conjectura uti fas eſt, ad meram ſolemnitatem eum retuliſſe videntur: aut certe in ſignum pacis, cum ut plurimum ex olivæ ramuſculis id genus corollæ necterentur. Illud certum ex MSS. Actis S. Alexii impoſitas fuiſſe a Sacerdote nuptorum capitibus: aſſervatas

item deinde in Ecclesia, quod nominatim commemorat Nicolaus Papa paulo ante laudatus. Nunc ritus hic Latinis amplius in usu non est: nisi quod ex communi more sponsa serto viridi ornata in templo se sistat in signum virginitatis ad Matrimonium allatæ.

Græci contra etiamnum solemni ritu sponsos coronant, & quidem (ut ex Goario refert Du-Cange in Glossario græco) corollis ex olivæ ramo, candida vel purpurea seta circumdato, contextis. Quamvis autem primitus bigamos & trigamos non coronarent, id tamen progressu temporis immutatum est eo cum discrimine: ut cum una nubentium pars virgo esset, hæc quidem in capite, altera vero in humero coronaretur. Quem morem, ceu ridiculum & absurdum, insectans Theodorus Studita in Ep. ad Naucratium, *etiam tertio nubenti*, inquit, *ubinam ponetur corona? in manu an ad genu, cum ea, quæ vidua nubit, in humero coronetur?* Vide plura apud Auct. Perp. Fid. Tom. 5. L. 6. C. 2. ubi simul notat, ab hoc coronationis ritu Græcos Matrimonium vocare στεφάνωμα & στεφανισμὸς, hoc est, *coronationem.* Est autem apud Græcos prolixum *Coronationis nuptiarum Officium*, quod ex Euchologio descriptum exhibet Martene sæpe laud. C. in Ord. XVI. adjecta etiam peculiari *Oratione*, quæ a Sacerdote recitanda est, cum ex more Græcorum octava die nuptis coronæ deponuntur.

De S. Communione: poculi item, panis, & thalami nuptialis benedictione.

75 I. PRo uberioribus ad ferenda Matrimonii onera impetrandis gratiis olim in Latina Ecclesia Neo-nuptis data fuit S. Communio sub Missa nuptiali ante benedictionem. Constat id ex Missali Gelasiano, & MSS. Codicibus Rhemensi & Gellonensi

lonensi Annorum 900. in quibus in *Actione Nuptiali* post Canonem hæc notantur : *Post hæc dicis*, Pax vobiscum ; & *sic eos communicas. Deinde*, *posteaquam communicaverint*, *dicis super eos benedictionem his verbis*, Domine S. Pater &c. Unde peculiare fuit Theodori Cantuariensis Archiep. statutum in Capitulari N. 14. quo jubet, ut Neo-nupti post acceptam benedictionem *abstineant se ab Ecclesia triginta diebus ; quibus peractis*, *pœniteant quadraginta diebus & vacent orationi*, & *postea communicent cum oblatione.* Progressu temporis ea consuetudo invaluit, ut sponsi ante ipsam Matrimonii celebrationem, expiatis per Confessionem peccatis, S. Synaxi reficerentur ; de quo ipso Tridentinum sess. 24. in Decr. de Reform. Matr. Cap. 1. monet conjuges, ac etiam Rituale Rom. Hinc nostrum Rit. Viennense Tit. de Matr. Sacram. Can. 5. *laudabilis*, inquit, *consuetudo obtinuit*, *ut sponsus & sponsa*, *saltem triduo antequam Matrimonium contrahant*, *sua peccata confiteantur*, & *ad SS. Eucharistiæ Sacramentum accedant ; de his igitur peractis Parochi ab iis testimonium exigant.*

II. Apud Græcos etiam antiquitus Sponsis impertitam fuisse S. Communionem discimus ex supra laud. Epist. Theodori Studitæ ; in qua id illis peculiare fuit, quod sub una duntaxat panis specie sponsos communicarent : *quippe poculum vitreum*, *vino minime consecrato plenum*, *oblationi eorum inserviebat*, ut scribit Bertholdus Nihusius in Tract. de Oriental. Commun. sub unica specie, & notat Arcudius L. 7. C. 32. At jam nunc (teste Martene) Græci in nuptiis non communicant : sed cum a prandiis, atque etiam domi permulti Matrimonia contrahant, poculum vino benedicto plenum Presbyter solet exhibere sponso & sponsæ, dum eos Matrimonio conjungit. Hujus poculi, imo & panis benedicendi ritus apud Latinos etiam olim in usu fuit, quin & nunc in quibusdam Ecclesiis viget. 76

Vvvv 2 Verum

Verum quoad tempus benedictionis variant Ritualia apud Martene: in MSS. Pontificali Monasterii Lyrensis, Missali Eccl. Rotomagensis, & plurimis aliis præscribitur panis & vini benedictio statim a Missa nuptiali peracta ante benedictionem thalami; contra in MS. Pontificali Ecclesiæ Ambianensis, & veteri Rituali Lemovicensi prior est thalami benedictio. De utraque Pontif. Ambianense ita habet: *Benedictio thalami cum odore incensi, & aqua benedicta, & stola. Sponsus sedeat ad caput lecti, & sponsa ad pedes, & stans* Sacerdos *incipiat hanc Orationem*, Respice Domine &c. *Qua dicta, sequitur Evangelium secundum Johannem*, In principio erat verbum &c. *In cujus principio debet Sacerdos thurificare: lecto Evangelio, accipiat vinum & benedicat, dicens:* Cœnam suæ familiæ benedicat Rex gloriæ in nomine Patris &c. *Quo finito, bibat Sacerdos, & det Sponso, & sponsus det sponsæ. Deinde possunt alii bibere &c.* De benedictione panis simul & vini, eaque priusquam benedicatur thalamus, in MS. Missali Parisiensi hæc leguntur: *Missa celebrata, recedant Sponsus & Sponsa; & ipsis stantibus ante ostium domus illorum, præsentibus pane & vino, faciat Sacerdos benedictionem super panem dicens*, Benedic Domine &c. *Tunc Sponsus mordet in pane, postea Sponsa. Benedictio super vinum*, Potum servorum suorum benedicat &c. *Tunc Sponsus bibit, postea Sponsa. Quo facto, introducit eos Sacerdos per manum in domum dicens*, in nomine Patris &c. *Sequitur benedictio thalami.*


77 III. Hæc, ut vides, satis produnt variam fuisse apud veteres circa id genus benedictiones disciplinam; non minus autem hodie etiam esse variam docet praxis Ecclesiarum: in quibusdam enim nulla fit panis aut vini vel thalami benedictio, in aliis solius vini & thalami. Quo porro ex mente Ecclesiæ spectet hic ritus, non aliunde certius eruitur, quam ex contextu verbo-


rum,

rum, quibus benedictionum formæ constant. His vero attentis thalamus benedicitur, ad procurandam Conjugibus fœcunditatem, & liberandos eos ab illusione carnis ac dæmonis &c. Panis autem & vini benedictio eo refertur, ut jam nunc in his Bona Conjugum temporalia ad onus Matrimonii sustinendum necessaria, ac etiam nuptiale convivium benedicantur: hocque ipso sacro ritu admoneantur Conjuges, rerum temporalium proventus a Deo esse expectandos, & Matrimonii hilaria non nisi sancte ac sobrie agenda.

Ac revera cumprimis curæ esse debet Christianis conjugibus, ut nuptiarum solemnia cultu religioso celebrentur. Sane probrosum foret, eos in Christianorum nuptiis instrui ludos, ea convivia, a quibus pudor exularet, ubi sobrietas & modestia verterentur in crimen. Quid enim istud esset, nisi gentilium bacchanalia ad tanti Sacramenti solemnitatem transferre? quid, nisi gratiarum divinarum affluxum in ipso statim Matrimonii aditu avertere? Id quod ne eveniat, sedula ac vigili Pastorum cura opus est; propterea Pauli V. Rituale Romanum in prævia Parochorum instructione de Sacr. Matr. disertis verbis notat, *Nuptiæ vero quæ decet modestia & honestate fiant; sancta enim res est Matrimonium, sancteque tractandum.*

O. A. M. D. G.





INDEX
IN RELIQUOS QUINQUE LIBROS
SACRAMENTORUM.

De

ASSER-

Recen-

Xxxx 2 §. III.

De

§. III.

Corol-

natu

LIBER VIII. De Matrimonio - 620



Errata Corrige.

Pag.	Lin.	Errata		Corrige
12.	29.	Seff. 14.	-	Seff. 13.
17.	24.	At quod hic.	-	At quot hic.
25.	6.	N. 6. relato	-	N. 15. relato
43.	25.	An. 2531.	-	An. 1531.
45.	28.	per fe Ambrofio	-	pro fe Ambrofio
55.	9.	Originis	-	Origenis.
Ibid.	ult.	Joan. 11.	-	Joan. 15.
64.	29.	id tot numerofis	-	in tot numerofis
79.	2.	pecie	-	fpecie.
84.	9.	Certæ Forerus	-	Certe Forerus
109.	27.	azyma	-	fermentata
Ibid.	29	in fermentato	-	in azymo
162.	5.	a culpis	-	a culpis venialibus,
163.	23.	jejunium *regulariter*	-	jejunium *naturale;*
176.	12.	Can. 25.	-	Cau. 25.
190.	18.	Lev. 6.	-	Lev. 16.
214.	26.	Quæft. 5.	-	Quæft. 4.
215.	3.	Land. S. P.	-	laud. S. P.
255.	3.	facturos.	-	facturos fatis.
333.	23.	dect. 2.	-	Sect. 2.
Ibid.	24.	fi difcriminis	-	id difcriminis
338.	12.	que opus eft	-	opus eft
348.	20.	præconis inftari	-	præconis inftar
	ibid.	pœnitent,	-	pœnitenti,
362.	26.	dictant legant leges	-	dictant leges
363.	22.	per literas conceffam	-	per literas conceptam
374.	14.	Menardus in Saram.	-	Menardus in Sacramentar.
378.	25.	adjicendi	-	adjiciendi
386.	ult.	unt loca	-	funt loca
395.	2.	perfeverentia	-	perfeverantia
413.	12.	Orientaium	-	Orientalium
Ibid.	26.	ftatupoffit	-	ftatui poffit,
422.	13.	Alerum	-	Alterum
426.	5.	Ac id genus	-	At id genus
458.	3.	quæ deinde	-	quo deinde
492.	12.	ut eadem	-	ut in eadem
494.	30.	Sec. III.	-	Sec. XIII.
552.	13.	Item,	-	Idem,
576.	29.	pronuntiat eum	-	pronuntiat in eum
583.	25.	noluerint	-	noluerit
586.	25.	id quod negat	-	id quod Concilium negat
589.	14.	promovendo	-	promovendos
590.	13.	agebat Bafilius	-	ajebat Bafilius
605.	10.	tonfo capillo Deo,	-	tonfo capillo, Deo dedicantur
646.	5.	legitimæ initum	-	legitime initum





